MAXIMILIANI SANDÆI

BATAVI


E SOCIETATE IESV DOCT. THEOL.

& Herbipoli Profeſſoris

HYPERBOLE ET CASTIGATIO PRODIGÆ IESVITARVM LIBERALITATIS,

JN VOCIBVS VNIVERSALIBVS, CONFICTÆ IN Hollandia.

Cum Gratia & Priuilegio S. Cæſar. Maieſt.



41 7 D 27
Coll: Soc: Cat: B. Inscript. S.
Collegio Romano Societatis Jesu
MS. 1637

MOGVNTIÆ,

Typis ac Sumptibus IOANNIS ALBINI.

ANNO M. DC. XIX.

APPROBATIO
R. P. PROVINCIALIS
PROVINCIÆ RHENANÆ, SOCIETATIS IESV.

HAnc Hyperbolem & Caſtigationem Prodigæ Ieſvitarvm Libelitatis *in vocibus vniuerſalibus conficta in Hollandia*, à R. P. Maximiliano Sandæo Batauo Societatis noſtræ Theologo conſcriptam, atq; à deputatis ad id Theologis lectam & approbatam, Ego Ioannes Copperus Societatis Ieſu apud Rhenum Prouincialis, conceſſa mihi poteſtate ab Admodum R. P. N. Mutio Vitelleſco Societatis noſtræ Præpoſito Generali, typis mandari permitto. Fuldæ 10. Februarij Anno 1619.

REVE-

REVERENDISSIMO ET AMpliſſimo Præſuli

EVCHARIO SANGIO EPISCOPO AVGVSTOPOLITANO ET HERBIPOLENSI SVFFRAGANEO,

MAXIMILIANVS SANDÆVS.

Diatribam hanc de HYPERBOLE, quam æſtiuis horis dum vacatio datur aliqua à prælectionibus, temporis opportunitate vſus, concinnaui, TIBI inſcribere placuit, Reuerendiſſ. SANGI, idq; multiplici nomine, Meo, Sociorum, Reipublicæ. Meo quidem, vt Antiſtiti, non ampliſſimo magis, quàm amiciſſimo, & haud pridem, in eâdem exedra Collegæ, cuius moratâ familiaritate, & eruditis, dum fruor non rarò

colloquiis, iucundo quodam perfundi ſoleo, ingenuæ voluptatis ſenſu, & ad dignos Theologo conatus exſtimulor. Sociorum verò, cui Fautori, Benefactoriq; minimè vulgari, cuius, vel hoc, licet imparis obſequii, officio, conſecrari peroptarunt memoriam, tametſi Tu mutuato non egeas ſplendore, inſito coruſcus. Reipublicæ tandem, tanquã Bene-merito: illius enim intereſt, bonorum, doctorumq;, vel conditam propria dimiſſione, vel ſeculi malignitate compreſſam virtutem, famamq;, ad poſterorum exemplum, publicari.

Ea TE iamdudum Franconiæ vniuerſæ, cui ortum debes, bono natum contemplatur, & ad aliorum calcar, prædicat, quippe, qui à teneris animũ politioris literaturæ tectorio oblitum, in patria, poſtea Romæ, in Germanorum Collegio, id eſt, meo ſenſu, in Virtutis contubernio; &, Gymnaſio Romano, hoc eſt, Veritatis ipſiuſmet conteſtatione, in Sapientiæ Theatro, viuis ſacræ Doctrinæ coloribus ita expoliuiſti, vt ad abſoluti imaginem Theologi nihil deſiderari, videri poſſit. Itaq; mirum non fuit, ſolertiſſimum Paſtorem poſt reditum ex Vrbe, Tua, inter ſele-

ctiſſimos

ctiſſimos, opera, quam præclaram nauaſti, in reducendo ad ouile, per auia palabundo pecore, vti voluiſſe. Sed nimirum, hoc procemium eſſe debebat illius muneris, quod Tibi nullo ambitu, vel fauitorum prenſationibus, ſed iudicio, ac nominatione, prudẽtiſſimi Principis, à ſummo Hierarcha eſt delatum.

Quo ſuſcepto, nõ ignarus, ſummam Epiſcopalis functionis Prædicationis verbo, ac vitę exemplo ex Bernardi mentatione, contineri, vitæ morumq; innocentia ſemper, concionibus ad populum habendis, ſtatis temporum interuallis, ſæpe, publicisque de conſcientiæ doctrina prælectionibus, ſat diu, de popularibus, tandem etiam, lucubrationibus publico iuri deſtinatis, de orbe vniuerſo bene mereri non deſtitiſti. Hærere tibi imis præcordiis, opinor, vtinam omnibus, ſacra infula decoratis, EPISCOPATVM, quod Hipponenſis Præſul concinnè dixit, & verè, *nomen eſſe Oneris non Honoris, vt intelligat, non ſe eſſe Epiſcopum, qui Præeſſe dilexerit, nõ Prodeſſe.* Obuerſatur Tibi haud dubie, frequenter peritiſſimi Nomenclatoris, inſolens huic ſeculo explanatio EPISCOPATVM opus indigetantis. *Opus*, vt cõmenta-

Aug. li. 19. de Ciuit. cap. 19.

1. Tim. 3. 1. Si quis Epiſcopatũ deſiderat,

bonum opus deſiderat. mentatur vir ſancti nominis, *non dignitatem, laborem, non delitias: Opus per quod humilitate decreſcat Præſul, non intumeſcat faſtigio. Si deſpecto opere, ſolam aſpexerit dignitatem, citò corruet turris in Siloa, & excelſa cedri fulmine ferientur, & erecta ceruix frangetur, & cygnus, extento collo, & in ſublime ſe tendens inter immundas volucres deputabitur.*

S.Hier.epi. 83. ad Ocean.

Idem in Soph.c.3.

Legis frequenter, & penſiculatè verſas, illud ſummi Antiſtitum Magiſtri: *Oportet* EPISCOPVM *Doctorem eſſe*, id eſt, vt interpretatur Theodoretus, *eruditum in Diuinis, vt poſſit ea ſuadere, quæ conuenit. Epiſcopi enim eſt*, quod ſerio monet magnus Epiſcopus, *de Prædicationis miniſterio, ſemper cogitare, intenſiſſimo timore, conſiderans, quod receſſurus ad percipiendum regnum Dominus, & talenta ſeruis diſtribuens dicat*, Negotiamini dum venio. *Quod profectò negotium, tunc verè agit Epiſcopus, cum viuendo & loquendo proximorum animas lucratur: cum infirmos in ſuperno amore roborat: cum proteruos & tumidos, gehennæ ſupplicia terribiliter inſonando, flectit; cum nulli contra veritatem parcit; cum ſupernis amicitiis deditus, humanas inimicitias non timet.*

1.Tim.3.2

Greg.li.2. epiſt.39.

Li.4.ep.17 Eiuſdem eſt monitum: *Lingua Epi-*

ſcopi

ſcopi fomentum ſit bonis, aculeus malis, tumidos retundat, iratos mitiget, pigros ac deſides exacuat, ac ſuccendat, aſperis blandiatur, deſperatos conſoletur: Innocens enim & abſque ſermone conuerſatio, quod ſagaciter animaduertit Hieronymus, *quantum exemplo prodeſt, tantum ſilentio nocet, nam & latratu canum, baculoq; paſtoris, luporum rabies, deterrenda eſt.* Atquoniam non omnium eſt, ex ſuperiori loco hortari & monere; ſed quibus ad id dotes communicatę cœlitus, nec deſunt cauſæ legitimæ, ob quas Principes Eccleſiaſtici, hanc officii partem idoneis poſſint iure committere: laudo equidem eos, qui Valerium imitati, Auguſtinos, conquirunt, vt ſibi ſubſtituant, quorum vitæ exemplo, & ſapientia, eloquentiæ fulgore illuſtrata, qua in vniuerſo, nihil vt eſt pretioſius, ſic mirabilius, quàm-plurimi verum agnoſcant, virtutemq; amplectentur. Sed quid ego hiſce diſputandis diſtineor? quum breuiſsimè, quur Tibi, Reuerendiſſime Præſul, Opuſculum de Hyperbole inſcripſerim, dicere poſſem. Quod, qui abſque Hyperbole laudatur à bonis, is vnus optimè ferre poſsit de Hyperboles natura *Epiſt. 83. ad Ocean.*

 iudici-

iudicium. Aeternum vale. Herbipoli III, Non. Sext. cIↄ Iↄ c XIX.

LECTORI.
M. S.

DIſceptationi occaſionem dedit Batauus Calumniator, cui non ſat fuit, infamatrice charta, in qua CONSCIENTIAM CAVTERIATAM, ſtigmaticus ipſe, mendaci penicillo pingere eſt aggreſſus, Societatis IESV laceſsiuiſſe innocentiam, APPENDICEM etiam adtexere placuit, oram cycladi deſpurcatiſſimæ homogeneam: in quâ, ad pompam, capitali charactere legitur, PRODIGA IESVITARVM LIBERALITAS in vocibus vniuerſalibus. Huic laciniam opuſculi noſtri opponimus, indignum rati, conſarcinatorem reſponſo vberiore. Neque hoc tuliſſet, infra Doctorum iram, ferulâ excipiendus plebeius ſcriptor, niſi bono publico eſſet iam dudum animus ſyntagmatium de Hyperbole dare, quod facimus non infructuoſum, vt arbitramur veritatis Indagatori, qualem te eſſe votum eſt vel exiſtimatio. Vale & fruere.

INDEX LIBRORVM ET DISSERTATIONVM.

HYperbole tribus libris continetur. In primo diſputatur de Sacrâ, cuius naturam,conditionẽ, vſum copioſe, ex diuinâ potiſſimum Scripturâ, vel eruimus, vel illuſtramus. In ſecundo agitur de Luthero-Caluiniſtica,quam paucis exemplis, ſed quæ in infinitum duci poſſent, mundo patefacimus.In tertio tractatur de IESVITICA, quæ quam nihil prodigi,in exemplis, à calumniatore allatis,habeat, breuiter demonſtratur. Lubuit autem diſſertatiunculis agere,tum varietatis, quæ oblectare ſolet, gratiâ, tum,quod nonnulla refellenda eſſent,cum feſtiuitate aliqua,& per iocum, Puerilitati aduerſariorum debitum. Multa enim ſunt,ſic digna reuinci,ne grauitate adorentur. Vanitati proprie feſtiuitas cedit, quæ dialogiſmis amœnius immiſcetur.

LIBER PRIMVS.

De vſu ſacro Hyperboles.

DISSERTATIO I.

Ingreſſus in rem Societas Ieſu, eatenus ſordida, amodò prodiga, quia Sabini, quod volunt, ſomniant. p. 1.

DISSERT. II.

Itur ad iudicium, cuius Præſes Adeodatus, accuſantur Ieſuitæ

Ieſuitæ Prodigalitatis à Pſeudolo, cuius puerilitatem detegit Oecumenius; rident Iuriſconſulti: caſtigandum Sinicè cenſent Oratores. 8

DISSERT. III.

Hyperbole finitur, & illuſtratur: fit pluribus modis, quà augendo, quà minuendo. Augendo, plus facto eſſe dicendo, aut per ſimilitudinem attollendo, ſignis, tranſlatione, vel aliâ inſuper additâ. In minuendo totidem ſunt genera. 14

DISSERT. IV.

Diuini libri, & Patrum volumina abundant Tropis quorum aliquibus vtuntur, ſignificationis gratiâ, aliis magis ad decorem & ornatum. 17

DISSERT. V.

Hyperboles multiplex ex ſacra Scriptura, in omni genere exemplum. Primus modus. 30

DISSERT. VI.

Exempla ſacra Hyperboles ſecundi modi. 39

DISSERT. VII.

Exempla ſacra Hyperboles tertij modi. 44

DISSERT. VIII.

Exempla ſacra Hyperboles quarti modi. 58

DISSERT. IX.

Exempla ſacra Hyperboles minuentis. 63

DISSERT. X.

Vox vniuerſalis OMNIS hyperbolicè accepta apud ſacros authores. 65

DISSERT. XI.

Signo vniuerſali NVLLVS hyperbolicè vtitur ſacra Scriptura, Patres, Scriptores Eccleſiaſtici.

DISSERT. XII.

SEMPER hyperbolicè vſurpatum in diuinis libris.

DISSER-

DISSERT. XIII.

Vocibus NVNQVAM, & TOTVM *ſubeſſe in Scripturis ſacris Hyperbolem.* 97

DISSERT. XIV.

Particula vniuerſalis VBIQVE *hyperbolικῶς ab haiographis ſumitur.* 98

DISSERT. XV.

Voculam generalem NIHIL *per hyperbolem eſſe in ſacris vſitatam.* 104

DISSERT. XVI.

Hyperbolem vſus loquendi poſtulat. 112

DISSERT. XVII.

Quando liceat ſuſpicari eſſe Hyperbolem in vocibus vniuerſalibus. 120

DISSERT. XVIII.

An proſcribenda Hyperbole quod mendacium adornet? 127

LIBER SECVNDVS.

HYPERBOLE, LVTHERO-CALuiniſtica, ſeu de abuſu Hyperboles.

DISSERT. I.

Hyperbolis abuti ſolere improbos. 135

DISSERT. II.

Hæreticos Hyperbolarum fictione conari hæreſes ſtabilire, & Scripturas inuertere. 145

DISSERT. III.

Hæreticos ob malè intellectas voces vniuerſales, & Hyperboles ignorantiam, abſurdos errores in Eccleſiam inuehere. 152

DISSERT. IV.

Sacrilega Luthero- Caluiniſtarum Prodigalitas in

vſu, an abuſu? Hyperboles, & vocibus vniuerſalibus, Omnis, Nullus, Nihil, Semper, Nunquam, Vbique, Nuſquam, Totum. 169

DISSERT. V.

Quomodo abuſi particula Omnis. *1. in titulo de bonis operibus. 2. de obſeruatione feſtorum. 3. de materia Baptiſmi. 4. de forma Baptiſmi. 5. de materia Euchariſtiæ. 6. de Sacerdotio & Miniſterio Euchariſtiæ. 7. de effectu Sacramentorum. 8. de Iudice controuerſiarum fidei. 9. de Polygamia. 10. de Chriſtianiſmo. 11. de Auctore peccati. 12. de perſona Chriſti. 13. de Chriſto Mediatore. 14. de legibus Eccleſiaſticis. 15. de Religioſis, & Votis Monaſticis. 16. de peccatorum diſcrimine. 17. de Beatorum gloria. 18. de litterarum ſtudiis. à 170. ad 193*

DISSERTATIO VI.

Quam Prodigus apud Sectarios ſit vſus vocabuli vniuerſalis Nullus, *tum in loco de Sacramentis. 1. titulo de Miniſterio Baptiſmi. 2. de Sacramento Altaris. 3. de forma Euchariſtiæ. 4. de Miniſterio Euchariſtiæ. 5. de efficacia Sacramentorum, tum in aliis multis capitibus. 1. de ſigno Crucis. 2. de coactione ad noua ſacra. 3. de Bigamis. 4. de examine ordinandorum. 4. de impedimẽtis Matrimonij. 5. de vera Chriſti Eccleſia. 6. de Magiſtratu. 7. de certitudine gratiæ. 8. de Sanctorum inuocatione. 9. de vſura. à 193. ad 207*

DISSERT. VII.

Super-hyperbolicus abuſus vocis Nihil *apud hæreticos, in tractatu 1. de Sanctorum Reliquiis. 2. de præceptis Decalogi. 3. de Scripturæ ſacræ difficultate. 4. de Chriſto patiente. 5. de Chriſti merito. 6. de Limbo. 6. de fide & ſpe. 8. de legis efficacitate. à p. 207. ad 215*

DISSERT. VIII.

Aduerbium Semper, *deſeruit Nouatoribus ad mẽdaciſſimas hyperboles in materia, 1. de fide. 2. de concupiſcentia.* 215

DISS.

Digitized by Google

DISSERT. IX.

Vniuerſalis vox Totum,*prodigalitatis Lutheranæ inſtrumentum.* 215

DISSERT. X.

Nunquam *vſurpari perſæpè ab hæreticis pluſquam prodigaliter. 1. in capite de Miniſtro Sacramentorum. 2. de firmitate fidei. 3. de Petri commoratione Romana.* 217

DISSERT. XI.

Locale Vbique *prodigalitatis Proteſtantiæ eſſe teſſeram,maximè in controuerſia de Humanitate Chriſti,in qua delirant* Vbiquetarij. 219

LIBER III.

De Hyperbole Ieſuitica,ſeu ſobriè vſos voculis vniuerſalibus Doctores Societatis Ieſu. 225

PROOEMIVM.

In quo nexus libri cum ſuperioribus, & propoſitio, quæ probanda contrariorum dilutione,Ieſuitæ non ſunt abuſi vocibus vniuerſalibus.

Refelluntur Articuli 18. *quos enumerat libellus* Iacobi Laurentij *inſcriptus Prodiga Ieſuitarum liberalitas in vocibus vniuerſalibus*, Omnis, Nullus, Semper, Nunquam, Vbique, Nuſquam, Totum Nihil,*ſiue, Appendix ad cauteriatam Ieſuitarum conſcientiam.* 225

Articulus 1. *De Purgatorio.* 226

2. *De probitate vitæ Proteſtantium.* 229

3. *De vnione cum Romano Pontifice.* 244

4. *De Conuerſione Indorum.* 251

5. *De Merito Chriſti.* 258

6. *De Eruditione Proteſtantium.* 263

7. *De officio Diaconorum.* 267

8. *De turpitudine & abſurditate doctrinæ Eccleſiæ Romanæ.* 272
9. *De Neſcientia, ſeu Ignorantia Chriſti.* 282
10. *De diſcordia Pontificum in Decretis.* 285
11. *De denominatione Hæreticorum.* 290
12. *De erroribus veterum Patrum.* 298
13. *De Traditionibus non ſcriptis.* 301
14. *De Sanctis mortuis.* 304
15. *De coniugio Sacerdotum.* 309
16. *De Sanctorum mortuorum Reliquiis, Orationibus, & cœlibatu Sacerdotum.* 311
17. *De Cœna Domini.* 315
18. *De Impuritate vitæ Magiſtrorum Eccleſiæ Romanæ.* 318
Epilogus, in quo Aſſeſſorum de Pſeudoli ſupplicio anceps deliberatio. Ieſuitarum pro Pſeudolo interceſſio. Iudicis ſententia. 325

FACVL-

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS PROVINciæ Rhenanæ Societatis Ieſv.

CVm Sacræ Cæſareæ Maieſtatis Decreto, omnibus & ſingulis Typographis, & Bibliopolis, ac aliis quamcunq; librariam negotiationem exercentibus ſeriò firmiterq; inhibeatur, ne quiſquam vllos libros à noſtris Patribus hactenus editos, vel impoſterum edendos, intra S. R. Imperij Regnorum, Dominiorum ſuæ Cæſareæ Maieſtatis hæreditariorum fines, ſimili vel alio characteris genere aut forma, ſiue in toto, ſiue in parte recudere, vel alio recudendos mittere, aut alibi etiam impreſſos adducere, vendere & diſtrahere, clam ſeu palam, citra iudicium ac teſtimonium ſupradictorum Patrum audeat vel præſumat. Concedo ego Ioannes Copperus Societatis Ieſu per Rheni Prouinciam Præpoſitus Prouincialis (poteſtate ad id mihi facta ab Admodum Reuerendo Patre N. Generali Mutio Vitelleſco) Ioanni Albino Moguntino Typographo facultatē excudedi *Hyperbolen & Caſtigationem prodigæ Ieſuitarū liberalitatis in vocibus vniuerſalib. confictæ in Hollandia*, à P. Maximiliano Sandæo Batauo Societatis noſtræ Theologo conſcriptam, atque à deputatis ad id Theologis lectam & approbatam. In quorum fidem hoc ei teſtimonium manu noſtra ſubſcriptum, & ſigillo noſtro munitum dare voluimus. Fuldæ 10. Februarij Ann. 1619.

LIBER

LIBER PRIMVS.

HYPERBOLE SACRA,

SEV,

DE VSV SACRO *HYPERBOLES.*

DISSERTATIO PRIMA.

INGRESSVS IN REM, SOCIETAS IESV *eatenus ſordida, amodo prodiga, quia Sabini, quod volunt, ſomniant.*

Pſeudolus. Gelaſinus.

Pſ. HActenus IESVITAS Orbi propinauimus, & feliciter, vt auaros, alienis inhiantes, incubantes ſuis, tenaces Eucliones, turpes harpyas, concionales hirudines ærarij: ſemper pumices, ſemper ſpongias, Cræſos domi, foris Iros, queis

Si Babylonis opes, Lydæ ſi pondera Gazæ,
Indorumq; dares, Seiumq; Arabumq; potentes
Diuitias. ————

non ſatisfaceres. nam hiſce implendis, nec par
eſt Iſter, nec Sequanus, nec Danubius, nec Tiberis, Mœnum, Rhenumq; per Deos, volens ſileo, vt minores riuos, quum nec Lydia tell
——— nec qua Zephyro
Subdita tellus, ſtupet aurato
Flumine, clarum radiare Tagum.
ad chaſma Loioliticum infarciendum plenè ſufficiat. Crede mihi frater in Chriſto dilecte Gelaſine; inter ſpumantes auro cados ſitiunt, in mediis fluctibus hiant aridi, vt Tantalus. Ex iis
Non Tarteſiacis vllum ſatiaret arenis
Tempeſtas pretioſa Tagi, non ſtagna rubentis
Aurea Pactoli, totumq; exhauſerit Hermum,
Ardebit maiore ſiti. ———
nimirum, ſitiunt, non ex indigentia, ſed vitio: quare quicquid congeritur, non finis eſt cupiditatis, ſed gradus. Auaritia deſideratis rebus non extinguitur, ſed augetur: nam more ignis, quum ligna, quę conſumat, acceperit, accreſcit: & vnde videtur ad momentum flamma comprimi, inde paulò poſt, cernitur dilatari. Semper concupiſcunt, quia præſentium inexplebiles ſunt. Proinde ſi duplum quidpiam habent, triplum illicò ſtudent adquirere. Si triplum, quadruplum appetere incipiunt. nam nouis ſemper cupiditatibus occupati, non quid habent, ſed quid petant, inſpiciunt; nō in id quod eſt, ſed in id quod appetunt intenti? quicquid enim iis domi eſt, vile eſt, quicquid alibi, in pretio.
Non miſſura cutem niſi plena cruoris hirudo.
&, ne tunc quidem: ſemper ſibilat: *Affer, affer, trade, trade.* Infixo ſemper ſanguini capite viuēs,
Lib. 2. c. 34. memoratum Plinio animalculum, atque ita intume-

tumeſcens, cui cibi non eſt exitus, dehiſcit nimiâ ſatietate, alimento ipſo moriens: non opus multis, vt intelligas Symbolum:

Ita antidhac Eſuaitas depinximus. is eorum color, qui

Pauperibus docti legata auertere fraude.
Teſtamenta ſenum captare, & prædia ——
Semper inuncantes viduarum è viſcere prædas
Sedibus antiquis veteres arcere colonos:
Atque eleemoſynas ſubducere pauperis, atque
Amplas ſectari prædas, contemnere paruas.

Audiſti quid numerè Sociennus noſter panxit, feſtiuè equidem, & verè, quia in IESVITAM

Magna petis, qui parua fugis, pietatis auaræ
Huius amore tuum pectus feruescit, & ardet
O laruæ & lemures, veſpertilionis habetis
Caligantis opes, & cæcæ pignora talpæ.

Hinc votum in eiuſmodi Picos, ocelli Galliæ, legiſti indubiè laureatã Satyram, & in eâ, quod memoriæ impreſsi indelebiliter:

At procul Harpyiæ hinc, procul hinc Ixione nati,
Semiferi grauidæ nubis inane genus. Et
Non alit ingenio talia monſtra ſuo
Gallia.
Quin procul ad fuſcos: Gens dira remittitur Indos?
Illic mira canunt, edere facta Patres.
Illic Religio per ſola ſilentia creſcit,
Nec res verbo agitur, iuſsit vt ille Dei.
Conſita ſed granis in ſacra roſaria ramos
Fundit, & in ramis muta ſigilla gerit
His, quibus internos perit artibus, incipit illic
Religio. ——

At modò, noui criminis eoſdem reos agere eſt animus, vt qui auari retrò, deinceps PRODIGI audiant.

Gel. Prudenter Pſeudole: nam reuera poſtquam Apologetas peruolutaui, qui rem *IESVITICAM* accuratius pertractarunt, Veritas coëgit. nam adfectum erga illos meum, & præconceptam olim opinionem, te clam non eſſe arbitror, vt exiſtimem fabulas eſſe, Charonticis haud veriores, quæ narrantur de inexplebili auiditate, illorum hominum: & non dubitem, carmina, quæ fideliſsimè retuliſti, magis eſſe ludentis ingenij felicioris exercitamenta, quam veri præconia. atq; vtinam nemo profudiſſet, nō haberet orbis, *AMPHITHEATRVM* honoris, quod *Horroris* ex noſtris vir magnus nominat, in quo, ob paucorum inſaniam, heu nimis quam verè, communes noſtri Ordinis, aut Religionis, quondam innocentiæ famâ nobilis, deteguntur Sycophantiæ: non ſupereſſent ſpongiæ, tam eluendis calumniarum ſordibus, quàm noſtræ deturpandæ innocentiæ paratæ: acetum non flueret, quo dentes etiamnum cotidie nobis defricantur acrius: non tereretur volſella, quâ prô dolor! ad ignominiam ſempiternam depilamur. Quare rectiſsimè aliam tu quercum excutere aggrederis.

Sed difficile, ædepol, erit perſuadere Iudici, qui auaros exiſtimat, in iiſdem pugnantia reperiri crimina; eoſdem tenaces, & effuſos; largos, parcos: ſtupidos, intemperantes. Quæ contrariè ſunt oppoſita, niſi Philoſophi delirent, eidem ſubiecto ineſſe non poſſunt; eâ ſaltem excellentiâ, vt titulos inde mutuetur. At tu cenſes fortaſſe, ſicut virtutum, ita vitiorum connexionem eſſe, vt qui vnius hæreditatem adiit, cęterorum portiunculis aſpergi debeat: at non ita ſe rem habere in ſcholis perhibent, quum

virtu-

virtutum ſine vllâ diſcordiâ ſit concentus: vitiorum diſſonantia æterna: & vni virtuti oppoſita occurrant vitia, quę æquè ac exceſſus, & defectus differunt, liberalitati ἀνελευθερία, & ἀσωτία. quomodo igitur idem ſit auarus & profuſus, aut, vt tu nouè quidem effers, *prodige liberalis*? quâ formulâ bellè vitium virtuti adſuis, tam peritè, quàm pictor, qui *Auaritia. Prodigalitas.*

Humano capiti ceruicem iungit equinam.

Pſ. Subtilitates iſtiuſmodi,

Sunt Apinæ, tricæq́; & ſi quid vilius ———

quas ego ad Sophiſtarum cellulas relegare doctus ſum, & populo ſcribere, dum in IESVITAS; nam ei perſuaſiſsimum, noſtris conſultoribus, Prædicantes eſſe Phœbi Myſtas, ſeſsitare perpetuò in Tripode, & non niſi oracula ſpuere, licet ſint lapides igniti, ſed in hoſtile caput. Magnatibus quoque lucubrando prodeſſe volumus, qui lecto libellorum titulo, nam ſatias eos capit, poſt primam pagellã, quod in frontiſpicio pingitur, ſculpiturve, vt folium Sibyllæ æſtimant, & in Sympoſiis geminare aſſueſcunt. denique ſat eſt ad calumniam tenaciſsimam infame quidpiam Ieſuitarum nomini attexere; hoc inprimis nobis curæ, veritati aliàs litandum, non quum de IESVITIS ſcribitur. Euangelij propagandi gratiâ tempori ſeruire decorum eſt, & mendacio, vt medicamento vti. Non eſt perfidioſum, & nefarium, perfidis, & ab Euangelio noſtro alienis, ex ingenio quidpiam adfingere, quod æſtimationem minuat. Ita à maioribus noſtris didicimus, illi à ſuis, de quibus Auguſtinus; *Chriſtianæ ac fraternæ charitatis obliti, in tantum æſtimationem noſtram* (Catholicorum) *quo quo modo ſtudent lædere, vt ſuam ſe euertere nocendi cupiditate non videant: Contexunt enim, & qualibus* *Aug To 7. reſpon ad art. ſibi falſo impoſ. initio. Proſper in Præf. ad ca. Vinc obiect.*

 poſſunt

poſſunt ſententiis comprehendũt, ineptiſsimarum quarundam blaſphemiarum prodigioſa mendacia, eaq; oſtendenda, & ingerenda multis publicè priuatimq; circumferunt, aſſerentes talia in noſtro eſſe ſenſu, qualia diabolico continentur indiculo.

Gel. Catè, mediusfidius, &, ad perpendiculum Euangelicum. Profectò, Pſeudole, ſi tui ſimiles legionem haberet Reformata in Batauis Eccleſia, vſurpare poſſet quilibet, licet occumbens in acie, cum auo noſtro, illud Magni Prophetæ:

Lutheri vide Suriũ Ann. 1546.

Peſtis eram viuus, moriens ero mors tua PAPA.

Velim tamen, &, vt alterum me, moneo, vt colorem adhibeas aliquem, licet enim, qui verecundiæ fines ſemel tranſierit, eum benè, & gnauiter oporteat eſſe impudentem; tamen fabrè mentiendum eſt, ne manibus ſemper tangantur, quæ occuſi decuiſſet: non malè equidem commentatum illum reor, qui haud ita pridem de *ARTE MENTIENDI CALVINISTICE*, libellum conſcripſit, eſt enim id artis, & meo iudicio, non omnibus, ſed Magno Ioui Mendacifigulo acceptiſsimis tantum perſpectæ. Itaque hoc agamus, idem ſit Criminis titulus, qui tibi ſapit. Accuſentur *IESVITAE* vt Prodigi, erunt vulgo, quia dicentur à nobis, ſed prodigalitas detorqueatur ad maiora quædam, quàm ſint nummuli; vt dum profuſionem *IESVITICAM* legunt, ad quos nihil de auaritiâ peruenit, habeant, quod improperent; & qui eoſdem, vt tenaces execrantur, alio in genere profuſos ſciant, ſicq; vt orbis habitati portenta, nam reapſe monſtra ſunt, exſibilent. Porro hac fini opus eſt, vt vigiliarum Deo Medioxumo lites, & noctem inſomnem ducas; tum verò ad pectoris omnipatentis comitium aduoces, quicquid

hacte-

hactenus tibi lectum, in Salmerone, Bellarmino, Coſtero, Azorio, Lorino, aliiſque exercitus illius triariis. quicquid auditum de Roffenſi, Cano, Senenſi, Ianſenio, & ſimilibus auxiliaris agminis Pontificij copiis. Virum hic te præſta Pſeudole, & nihil non, quod calumniæ morſum immedicabilem reddat accerſe. Hyperaſpiſtem ego agam, & ſi quid induſtriâ meâ potero: iam nunc addico lubens, ſeriò.

Pſ. Rectè mones vir myſterioſiſsime, cuius obſequiis impar, quum operâ nequeam, reſpõdere conabor adfectis. Et quia

Nox ruit, ac fuſcis tellurem amplectitur alis,

tuis obtemperans conſiliis, domum proficiſcor in muſæolo cubaturus: inibi per otiũ poſt pertinacem lectionem, centuriabo argumẽtorum phalanges, quas

_______Vbi primos craſtinus ortus
Extulerit Titan, radiiſq; retexerit orbem

explicatis ſignis ad Tribunal producam. Tu modo adſis DIA Calumnia, & me tibi æterno nexu deuinctiſsimum, poſt amicam ad pectorationem, impenetrabili contumaciæ rigidioris peltâ protege. Interim frater Gelaſine, tibi ſit ſalus æiterna in Iehoua noſtro, & μονογενεῖ μεσίτῃ Θεῦ καὶ ἀνθρώπων.

Gel. Ἄμην ἀμήν. diuellitur inde Pſeudolus & Gelaſinus.

Iamq; quieſcebant voces, hominumq; canumq;
Lunaq; nocturnos alta regebat equos.

& libros IESVITARVM omnes, vt vulpes pyrum comeſtus eſt, deuorare nitebatur Pſeudolus.

DISSERTATIO II.

Itur ad Iudicium, cuius Præſes Adeodatus accuſantur Ieſuitæ prodigalitatis à Pſeudolo; cuius puerilitatem detegit Oecumenius, rident I C^{ti}, caſtigandum ſinicè cenſent Oratores.

Pſeudolus. Oecumenius.

Die inſequenti,
Vt primum lux alma data eſt.

CONueniunt, ex condicto, Pſeudolus, & Gelaſinus, acceptaq; & redditâ viciſsim ſalute, ad Iudicem properant. Is eo anno, non humanis ſuffragiis electus, ſed miſſus cœlitus dicebatur, *A DEO DATVS*, vir conſtantiſsimæ æquitatis, nihil gratiæ dare ſolitus οὐκ προσωπολήπτης, ſi quis alius Iudicio locus lectus erat Aedes iuſtitiæ, cuius pilis, quæ plurimæ, amplã illam molem ſuſtinebant, inciſæ erant δόξαι κύριαι, quibus ad iuſtam ſententiam ferẽdam exſtimulabantur Iudices; & ad veritatem dicendam accuſator, ad æquanimitatem reus. Splendidius autem ceteris fulgurabat, in tabulâ ex pelle neſcio cuius concinnatâ, aureis literis cubitali magnitudine expreſſum, *NEC SPE, NEC METV.* Eò vt ventum ab accuſatoribus, iam Adeodatus in curuli viſebatur, humanâ formâ auguſtior. Circumfuſa erat ingens multitudo.

Theocr. *Velut formicæ innumeri & infiniti.*

Ὡς μύρμακες, ἀνήριθμοι, καὶ ἄμετροι.

eminebant, vt ſignatè notari poſſent *OECVMENIVS ROMANVS*, & *L. NVTANTIVS LEIDENSIS*, vterque. vt fama erat, Theologicis innutritus, vterque partis ſuæ Anteſignanus

gnanus, vterque ſcriptis domi, foriſq; clarus. Sublato digito ab accenſo qui Sigalionem, geſtu, habituq; referebat:

Conticuere omnes, intentiq; ora tenebant.

tum facta dicendi poteſtate in hunc fere modum orditus eſt.

Pſeudolus. Non te latet æquiſsime Iudex,

Quæ noua ſurrepit ſecta, & mentitur IESVM
Dulce latrocinium, prætendens nomen opertis.
Tartareis miſſam eſſe vadis.

& hactenus quidem ſpoliaria plebis inſtituendo vafrè ad eam perueniſſe fortunarum amplitudinem, vt vel cum Craſſo, qui in agris ſeſtertium M.M. poſsidebat ſolus, & legionem annuo reditu tuebatur; vel cum Claudio Cæcilio, qui teſtamento reliquit ſeruorum millia quattuor, centum XVI. iuga boum tria millia ſexcenta, reliqui pecoris CC. quinquaginta ſeptem millia in numerato H-S. DC. Vel cum Ptolomæo qui octona equitum millia, ſuâ pecuniâ tolerare potuit, poſt mille conuiuas, totidem aureis potoriis exceptos, & ad oſtentationem, mutatis ad miſſuum numerum vaſis, ſuperbè ſaginatos, vel cum Pythio Bithynio ſepties centena LXXXVIII. hominum millia, è Xerxis copiis, excipiente epulo: ſtipendium quinque menſium, ac frumentum ſpondente: tandemq; platanum auream & vitem, antiquitatis omnis ſtupore celebratam, Dario dono dante, conferri poſsit. Et cui bono, tandem apud moderatiſsimos illos Patres, & Mundi Sotericos, vt haberi volunt, auri & nummorum?

Varro.

Plin lib. 33. c 10. Herodot lib 7. Dio Chryſ. ora 58. Plutar li 2. de fort Alexan Athenæ lib 12 Hyginus de interp fabula. Philip. Camerari, operar ſucciſ c. 20. Briſſon li. 1 de principatu Perſarum.

Crœſus ille Halyttei in Lydiis erat regnans,

Matricem vrbis regiam Sardeis, qui poſſidebat:
Pactolo autem fluente illuc ante, aureum
Imbribus ex Tmolo monte ramentum ſuſcipiente,
Omnibus longè ditior fuit regibus.
Diuitiis autem veneratus, & theſauris immenſis.
Beneuolus erat omnibus, & ex numero liberalium,
Sicut enim, Pindarus inquit, filius Diaphantis
Venientem ad ipſum Alcmæona illuſtrem,
Quantum poſſet capere, iuſſit auri.
Ille autem tunicam indutus latiſinuoſam plurimũ
Cothurnos & tragicos, & laticalceos,
Theſauros ingreſſus, omnia implet auro ,
Ita vt Cæſariem ſuiipſius detinens dentibus,
Auri pondere autem ire non valens,
Crœſum mouit ad riſum itione, atq; ſpectaculo
Super his ille iuſſit bis tot accipere alia.

Crœſicum Alcmæone hiſtoria. Loa Tretr. Chilia. 1. Hiſtor. 1.

Hoc ſi nobis vel ſemel in ſpelæis Loioliticis cõtingeret, næ in orbe terrarum, fauitores diuitiarum ſuarum maiores nullos Proteſtantium Miniſtris haberent Ieſuitæ. At nunc, ò tempora! illi noſtri Crœſi

——— *Veteres tellure recondunt*

——— *Theſauros, ignotum argenti pondus, & auri.*

abdunt opes immenſas, nonniſi fraterculis, ad fœda & nefanda, in Caci antris patrari ſolita, vſui futuras, nobis interim optimis, optimi verbi Miniſtris, perpetuo, araneantem ſtomachũ deferentibus, & Magnis Diis Inediæ, Imbibeſię, Patellæ, vacuitati, fami, ſiti, pallori, pauori, cloacinæ etiam, & Matri Deûm fatuæ, cum numeroſiſsima noſtra prole, vt totidem popis, thure, & molâ ſalſa ſupplicantibus. Quod quum in triuiis omnibus decantetur, & ſæpè eo de crimine coram grauiſsimis viris in publicis iudiciis ſit actum, fruſtra ſim, ſi in eo detegendo, aut exaggerando immorari velim diutius.

Nouum

Nouum, itaque Iudex, & ſuperiori omnimodis contrarium, à nobis primitus animaduerſum, & magnâ ſagacitate refoſſum, quod præfiſcini dictum volumus, verè tamen, ita me amet Apollo Delphicus, ad Te deferimus; ſiquidem *PRODIGALITATE* haud paulò tetrius, quam *AVARITIA*, criminoſam *IESVITARVM* gentem, ego, vnaque mecum, quotquot in Batauiâ, ſuperſtitioni idololatricæ parentauimus, pronuncio: & eo quidem Prodigalitatis genere, quod, quia eſt in rebus ſummi momenti, quæque cum auri, & argenti aut gemmarum pretiis non ſunt conferendæ, meritò eandem, multo magis, quam auri ſacra fames, & inexſatiabilis habendi cupido, exoſam bonis omnibus debet reddere. Maximè quum iſta ipſa *PRODIGALITAS*, impudentiæ meretriciæ, ac mendaciloquentiæ hiſtrionicè, ne quid grauius dicam, nam modeſtiæ legem mihi hodie indixi, ſit fœtus. Eſt enim per Ecaſtor, Hæreticorum, quales omnes Romanenſes, & in his primo-pili *IESVITAE* priuilegium impudenter *MENTIRI*. Quod vt faciant perquam dextrè, quos vltimo loco, vt excrementa Satanæ nominaui, ſicque, vt ſunt verſipelles, imponant rudi popello, vocibus, vt indigetamus, vniuerſalibus, ſigna vocant Dialectici, ſunt autem

OMNIS, NVLLVS, SEMPER, NVNQVAM VBIQVE, NVSQVAM, TOTVM, NIHIL.

prodiga liberalitate abutuntur. Hoc eſt illud crimen atrox, immane, fœdum nefarium, ſacrilegio par, ac parricidio, ob quod iure optimo Ieſuitæ omnes, beſtiarum poſtremiſsimi, calumniarũ ſterquilinia, canes latrãtes, καϑάρματα, lutum *Scalig. in Elenc. Euſ.*

lutum ſtercore maceratum, pecudes, piaculares, propudia, retrimenta inſcitiæ, ſcarabæi, ſycophantæ, Thraſones, veteratores, linguæ circulatrices, carnifice digni, cenſurâ & elogiis litterarum Principis ter Max. Scaligeri audiant, & quam latè patet Chriſtianorũ nomen, proſcribantur, paſtrino æternùm addicendi. Id quod à Te Iudex religioſiſsimè, facile me impetraturum, ſi cauſæ huius cognitionem pleniorem habueris, confido.

Atque vt rem totam initio vniuerſim conficiam. Cupio mihi dari, quod iure meo poſſem accipere, quum probatione non egeat, voces vniuerſales, ſicut & pronunciata, cui adiunguntur, eius eſſe naturæ, vt æquipolleant, ita enim loquuntur eruditi, aggregationi omnium ſingularium. Eſt igitur neceſſarium, vt dum dicitur omnis arbor, ſignificetur nullam excipi, dum effertur. Nullus homo, intelligatur, neminem plane eſſe, cui illud conueniat, de quo ſermo eſt. Eapropter nonnihi vitioſe vſurpantur eiuſcemodi vocabula, ſi ad omnia, quæ cõprehendunt, non extendantur. Hoc autem pacto, iis non rarenter vti *IESVITAS*, vel Patroni ipſorum inficias ire non poſſunt. Eſt itaq; *IESVITARVM* iis in vocibus vſurpandis prodiga liberalitas. An non hæc eſt apodixis, cui nullam in ſtagyreis analyticis parem deſignes? ſequuta eſt admurmuratio, & confuſus clamor turbæ, grande σοφῶ! tumultu compreſſo.

Oecumenius Romanus admiratus nouitij lucumonis rabulæ, puerile tripudiũ, quæſiuit adnuente Iudice, an vnquam eloquentiæ addiſcendæ dediſſet operam? quo adfirmante, quod incredibile videri poterat. In ſtuporem

ine das, inquit. quod, quum oratoriæ ſis operatus, vti adſeris, quæ tamen eius ſint pręcipua lumina, ignores: cœlum, noctis meridie, ſyderibus inoculatum, vt gemmulis, ſuſpexiſti, & nullam in oculos incurriſſe ſtellulam tute fateris, quod pulcherrimum eſt in elegantiſsimo corpore, non animaduertiſti. Ornatè dicendum eſſe monent Rhetores, ornari autem orationē, omnem, tum genere ipſo toto, tum tropis & ſchematibus, inter quæ, non minimum decus addit Hyperbole, quo, qui vtuntur in tempore, iis perurgente Batauo Palęmone, non ſolum ex L. in prodigos latâ, per Prætorem vrbanum bonis interdicendum eſt, & vt euerſoribus tutores adſignandi; ſed etiam aquâ & igni nouis ſanctionibus in Imperio Hollandico firmandis,3 interdicendum. Hoc enim exaſciatiſsimâ apodixi, & totius declamationis tolutiloquentiâ extorquere ſatagit;

Prodigis per prætorē vrbanum boreis interdicebatur

Paul I.C. li. 3 ſent tit.

1 Valer. l. 3. cap 5 li. 8. c. 6 Vnde in ff. Prodigus deſcribitur is, cui bonis interdictum eſt. l 18 ff. Qui teſtam facer poſſ L. 6 ff de verborum obligat. Prodigus vocatur euerſor à Caio lib. 1. inſt tit de tutela.

Riſum mouit I. Ctis, qui ſumma ſubſellia occupabant, iſthæc ſerio-iocoſa Oecumenij expoſtulatio, bilem eloquentiæ ſtudioſis, qui frequentes aderant, & collatis illicò operis, per libellum ſuplicem petunt à Iudice, vt ob Oratoriæ Maieſtatem impie violatam, detractâque per ſummum ſcelus, venuſtiſsimæ Diuæ purpurâ, velit, iubeat, extemplò duci Pſeudolum Declamatorem, & lege apud Sinenſes vſitatâ pronum extendi, ac tamdiu, cannis, vel fuſtibus in ſuras, quæque iis vicinæ ſunt, partes adactis, tundi, donec hyperboliκῶς, nullum in ſe vitæ ſpiritum amplius ſupereſſe contentiſsimo, fœmineo.

Vide Trigant. l. 5. c. 19

Digitized by Google

mineoque vlulatu, teſtetur. Moueri videbatur Iudex, & non huius ſolum facinoris cauſa, ſed atrociſsimæ quoque calumniæ, de qua nuper conuictus erat Pſeudolus, & ſtigmate idcirco cauteriatus, exemplum in illo velle ſtatuere iuſtæ ſeueritatis. Sed, neſcio quis, ad auriculam monuit, ne præcipitaret: ſufflaminandam videri vindictæ, licet iuſtiſsimè ſumendæ impetum: tempus fore opportunum meritas de calumniatore exigendi pœnas. Quia verò non omnium diſciplinarum amatoribus, æquè perſpecta erat Hyperboles natura, & conditiones ad illam vſurpandam neceſſariæ, ignaros autem eâ abuti poſſe, & ſolere conſtabat, placuit Iudici, vt de toto genere accuratior ſuſciperetur diſputatio, cuius initium vt daret, Oecumenio eſt imperatum, qui ſic dilucidè, & breuiter, Tullium ſequutus, & Fabium optimos dicendi Magiſtros.

Author ad Heren l. 4. Quint. lib. 8. c. 6.

DISSERTATIO III.

Hyperbole definitur & illuſtratur, fit pluribus modis, quà augendo quà minuendo. Augendo plus facto eſſe dicendo, aut per ſimilitudinem attollendo, ſignis, translatione, vel alia inſuper addita: in minuendo totidem ſunt genera.

Quid ſit Hyperbole.

Oecum. HYperbolen tropum eſſe docuerunt Grammatici. Tropum autem nihil aliud, quàm verbi, vel ſermonis, à propria ſignificatione in aliam cum virtute mutationem. Troporum quoſdam gratiâ ſignificationis, quoſdam decoris adſumi: &, eſſe alios in verbis propriis, alios in translatis. Ab omnibus ornari Orationem; ornatus autẽ audacioris

nerito ſummum locum conſcendere poſſe
perbolen. Hæc definiri poteſt, *EMENTIENS*
PERFECTIO. Virtus eius ex diuerſo par,
gendi atque minuendi. Fit pluribus modis,
ecipuos deſigno. Primus eſt, quando plus fa-
dicimus, Cicero Philipp. 2. *Vomens, fruſtis e-*
lentis, gremium ſuum, & totum tribunal impleuit.
rgil. Aeneid. 1.

——— geminiq; minantur
In cœlum ſcopuli ———

em; *Ingrediturq; ſolo, & caput inter nubila condit.*
uod à Callimacho deſumptum, & Homero,
ſeruat Muretus in variis lectio. lib. 1. c. 18.
Homerus canit:

Ἥ τ' ὀλίγη μὲν πρῶτα κορύσσεται αὐτὰρ ἔπειτα
Οὐρανῷ ἐστήριξε κάρη καὶ ἐπὶ χθονὶ βαίνει.
Primum parua quidem aſſurgit, mox inde per arces
Firmauit caput ætherias tellureq; vadit.

Callimachus verò

Ἴθματα μὲν χέρσῳ κεφαλὰ τέ οἱ ἧψατ' ὀλύμπω.
Tellurem pedibus, capite attingebat Olympum.

Secundus quum res per ſimilitudinem attolli-
mus, Virgil. Aeneid. 8.

——— Credas innare reuulſas
Cycladas ———

Tertius, quum per comparationem
Homer. Odyſſ. II.

Τῶν νέες ὠκεῖαι, ὡσεὶ πτερὸν ἢ νόημα.
Quorum ſunt celeres naues, velut alituum ala,
Aut breuis in nobis ſenſus

Quod Claudianus imitatus videtur.

Quantum non iaculum Parthi, non impetus Auſtri,
Non leue ſollicitæ mentis diſcurrit acumen.

Et Virgilius Aeneid. 5.

——— Fulminis ocior alis.

Quar-

Quartus, quum ſignis quibuſdam Virgil. Aeneid. VII.

Illa vel intactæ ſegetis per ſumma volaret
Gramina, nec teneras curſu læſiſſet ariſtas.

Quinctus, translatione, vt ipſum illud, *volaſſet*, *creſcit* interim Hyperbole alia ſuperaddita, vt apud Ciceronem in Antonium. *Quæ Charybdis tam vorax? Charybdim dico? quæ ſi fuit, fuit animal vnum. Oceanum medius fidius! vix tot res tam diſſipatas, tam diſtantibus in locis poſitas, tam cito abſorbere potuiſſet.* Exquiſitam huius rei figuram deprehendiſſe ſe ait Quinctilianus, apud principem Lyricorum Pindarum, in libro quem inſcripſit Ὕμνους. Is namque Herculis impetum aduerſus Meropas, qui in Inſula Co dicuntur habitaſſe, non igni, non ventis, non mari, ſed fulmini dicit ſimilem fuiſſe, vt illa minora, hoc par eſſet. Quod imitatus Cicero illa compoſuit in Verrem: *Verſabatur in Sicilia longo interuallo non Dionyſius ille, nec Phalaris (tulit enim illa quondam inſula, multos & crudeles Tyrannos) ſed nouum quoddam monſtrum, ex veteri illa immanitate quæ in iiſdem verſata locis dicitur. Non enim Charybdim tam infeſtam, neque Scyllam nauibus, quam iſtum in eodem freto fuiſſe arbitror.*

Philipp. 2.

Non pauciora ſunt genera minuendi eiuſdem figuræ, illuſtre illud

Virg. Eclog. 2.

——— *Vix oſſibus hærent.*

Et quod Cicero in quodam ioculari libello:

Fundum Varro vocat, quem poſſis mittere fundâ,
Ni tamen exciderit quà caua funda patet.

Eſt autem in vſu vulgò quoque hic tropus, & inter eruditos, & apud ruſticos. Videlicet, quia natura eſt omnibus augendi res, vel minuendi cupiditas inſita, nec quiſquã ſimplici dictione contentus eſt. Tunc autem maxime eſt Hyperbole

e virtus, quum res ipſa, de qua loquendum
naturalem modum exceſſit: Conceditur e-
i amplius dicere, quia dici quantum eſt, non
eſt, meliuſque vltra, quàm citra ſtat Oratio.
Pſeud. Fateor, hæc à profanis diſputari,
pro hiſdem: dum de ſacris, diuiniſque agi-
vſurpandum illud:
di profanum vulgus, & arceo.
que tametſi in vſu ſit paſsim hyperbole vul-
& inter eruditos, qui profanitatem ſectan-
Tullij magis imitatores quàm Pauli, melio-
Ciceroniani, quam Chriſtiani, ea vtantur
acter, cenſeo tamen ab iis procul eſſe debe-
rmonibus ſcriptiſque, quibus grauiſsimæ
eligione, moribus, fide quæſtiones expli-
ur, & in hoc magnopere à Ieſuitis peccari.

DISSERTATIO IV.

ini libri, & Patrum volumina abun-
ant Tropis, quorum aliquibus vtuntur
gnificationis gratia, aliis magis ad deco-
em & ornatum.

C. CErebrum tibi excuſſiſſe reor Pſeu-
dole, ſuperioris noctis vigiliam, adeò
atè, & deliri inſtar ratiocinaris. Sanè niſi
Theologos nomen tuū profitereris; opi-
r te nullam ſacrorum Codicum partem
aſſe vnquam, & quoniam infantem eſſe a-
co, quem Magiſtrum in Iſraël oportuit, au-
nimūq; ſodes, mihi accommoda, docebo,
didiciſſe iuuabit, ſi ſapis. Aio non eſſe lumē
atione profanâ, coloremve vllū, qui in ha-
raphorū libris luculentius non emicet. Vis
ctionē? digitū ſolum intendam, ne faſtidio
umeratione nauſeam in aſſuetis ingene-
Nullibi, quàm in ſacris frequentior eſt.

Legendus Beda libro de tropis Scripturæ in princ. & initio.

B Meta-

Auguſt. li. 2 contra menda. c. 10. To. 4. ini. Metaphora, quæ in oratione vim, iucunditatem, & vtilitatem habet plurimam, quum de re propria, ad rem non propriam alicuius verbi vſurpatur translatio, ſiue ab animatis ad
Pſal. 11. animata, vt: *Quare fremuerunt gentes? Si ſumpſero*
Pſal. 138. *pennas meas diluculo. Sub vmbra alarum tuarum pro-*
Pſal. 16. *tege nos.* ſiue ab inanimatis ad inanima: *Aperi Li-*
Zach. 11. *bane portas tuas, & comedat ignis Cedros tuas:* ſiue ab
Amos 1. animatis ad orbata animo. *Exſiccatus eſt vertex*
Ierem. 11. *Carmeli. Obſtupeſcite cœli. Omnis creatura ingemiſcit,*
Rom. 8. *& parturit. Flumina plaudent manu. Quid eſt tibi*
Pſal. 97. *mare, quod fugiſti? Exultabunt omnia ligna ſyluarum.*
Pſal. 113. S. Auguſtinus: *Cernitiſne, quo tendat, quo manus*
Pſal. 95. *porrigat hæc diſputatio?* ſiue ab inanimato ad ani-
S. Aug. de nat. & gra. c. 20. matum: *Auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum.* Eleganter Cyprianus: *Dominus prudentes nos eſſe iuſsit, ne aduerſarius vigilans,*
Ezech. 11. *& 36.* *& ſemper inſidians, vbi in pectus obrepſerit, de ſcintil-*
Cypr. de Zelo & liuore *lis conflet incendia, de paruis maxima exaggeret, & dum remiſsis flatu molliore blanditur, procellis excitatis ruinas fidei, & ſalutis, ac vitæ naufragia moliatur.*
Ser. 1. de Apoſt Pet. & Paul. Leo quoque ad Petrum conuerſus: *Ad hanc vrbem, tu beatiſsime Petre venire non metuis, & ſyluam iſtam frementium beſtiarum, & turbulentiſsimæ profunditatis Oceanum conſtantior, quàm quum ſupra mare gradereris, ingrederis.* Delectaris

Allegoria, Inuerſio, Permutatio. Allegoria? Syluam eius habes in ſacro Codice, quam feliciſsimè cædunt Patres. Audi quo decore Chriſtus, & eius diſcentes vtantur:
Cicero ad Heren li. 4. *Leuate oculos, & videte, quia regiones albæ ſunt ad*
Ioan. 4. *meſſem. Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla,*
Gal. 4. *alterum de libera; quæ ſunt per allegoriam dicta. Cuius*
Luc. 3. *ventilabrum in manu ſua eſt, & purgabit aream ſuam.*
Pſal. 31. *In chamo & freno maxillas eorum conſtringe. Vinea*
Iſa. 5. *Iſa.* 11. *facta eſt dilecto meo in cornu filio olei. Egredietur vir-*
Luc. 12. *ga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet. Sint*

lumbi

ubi veſtri præcincti. Baſilius: *Oportet mentem vel- gubernatorem affectibus præſidere, & carnem velut uigium inſcendere, & cogitationes velut claues eru- te circumuertere, & vndas generoſe conculcare.* Am- broſius: *Attollat licet emiſſus latebris coluber perfidiæ put, & ſerpentinis euomat venena pectoribus.* Idem ntea laudatus Baſilius de nece Baptiſtæ pero- ans: *Hanc Tragœdiam decollationis Diabolus exci- tauit, Herodes confecit, Herodias ſaltauit, Baptiſta de- ſcendit in certamen, Euangeliſta narrauit. Nimirum, ui diabolus victoriam deſperauit in Ioannem, vertit rma, & Herodianis affectibus pro armis vſus, viam a- erit ad Baptiſtæ mortem.* Quam etiam cædem, tã- quam ludum gladiatorium; aut beſtiarum de- ſcribit elegantiſsimè Chryſologus: *In aream* (inquit) *vertitur domus, menſa migrat in caueam, fi- unt de pranſoribus ſpectatores: funere mutatur conui- uium, fit cibus cædes, & vinum tranſit in ſanguinem. Finis apponitur natali, in ortu exhibetur occaſus: con- uiuium in homicidium commutatur. Organa tragœ- diam perſonant ſecularem, intrat beſtia, non puella: quærit amputare, non ſaltare; diſcurrit fera, non fœ- mina; ſpargit iubas per ceruicem, non capillos; membra dilatat anfractibus: ſæuitia creſcit augmentis, fit gran- dis crudelitate non corpore, & ſingularis fera, vſque dum capiat prædam, fremit ore, dentibus frendet.* Non infrequentior iiſdem eſt

Baſil in c. 2. Luc.

Orat. 15.

Serm. 127

Metonymia, quâ continens pro conten- to, vel è conuerſo, aut inuentor, poſſeſſor ve, pro re inuenta & poſſeſſa, & reciprocè, aut effi- ciens pro effectu, vel effectus pro efficiente ac- cipitur. *Auribus percipe terra. Effundens hydriam in canalibus. Accipe cautionem tuam, & ſede, ſcribe citò quinquaginta.* Non abhorrent etiam à

Metony- mia Hypallage.

Iſai. 1. Gen. 24. Luc. 16.

Synecdoche, quâ, aut à parte totum ſi- gnifica-

Synecdoche Intellectio

Ioan. 1. gnificatur, *Verbum caro factum eſt. Sicut fuit Ionas*
Matt. 12. *in ventre ceti tribus diebus,& tribus noctibus,ſic erit &*
Iob 11. *Filius hominis in corde terræ.* De amicis Iobi: *Sede-*
runt cum eo in terra ſeptem diebus & ſeptem noctibus,
& nemo loquebatur ei verbum: Videbant enim dolo-
Lib 3. Mor. *rem eſſe vehementem.* Gregorius: *Vtrum continuis*
cap. 2. *ſeptem diebus & ſeptem noctibus cum afflicto Iob ſede-*
rint, an certè diebus ſeptem, & noctibus totidem inſtan-
tia ꝗ crebræ viſitationis adhæſerint, ignoramus. Sæpè
enim rem quamlibet tot diebus agere dicimur, quam-
uis non eiſdem diebus ad eam continuè vacemus: aut à
Exod. 34. toto partes aliquæ: *Deos conflatiles non facies tibi*:
Marc. 16. nullos omnino. *Ieſum quæritis Nazarenum*, imò
corpus tantum. *Iuxta erat monumentum, vbi po-*
ſuerunt Ieſum, videlicet corpus. *Tulerunt Domi-*
num meum, & neſcis vbi poſuerunt eum, aut ex an-
Iſai. 2. tecedentibus ſequentia intelliguntur. *Confla-*
bunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas in falces: ni-
mirum pax eſſe ſolet, quum inſtrumenta bel-
lica in pacis inſtrumenta vertuntur. Oble-
ctat te

Antonomaſia. Antonomaſia? Plurimam reperies in ſa-
cris, nunc ab animo deriuatam: *Tu Deus humi-*
Pronomi- *liaſti, ſicut vulneratum ſuperbum*: quiſnam ille? Ca-
natio. codœmon modo, à corpore, *ſpurius, altitudinis*
Pſal. 88. *ſex cubitorum, & palmi*, ſignificat Goliathum, a-
1. Reg. 16. liàs à loco. *Qui ſedes ſuper Cherubim. Qui habitat*
Dan. 3. *in cœlis.* Interdum ab actu. *Qui autem tradidit eum,*
Pſal. 2. nonnunquam ab euentu. *Quum videritis abomi-*
Matt. 26. *nationem*, hoc eſt. Antichriſtum, quandoque à
Ioan. 13. genere, *Oſanna Filio Dauid.* Sæpè ab aliis, *Diſci-*
pulus, quem diligebat Ieſus, Rex virtutum dilecti. Eo-
pem ſpectat

Epithethum, & Periphraſis, in diuino
Pſal. 67. Codice vſitatiſſima, *Miſericors, & miſerator Do-*
minus,

us, longanimis, & multum miſericors. Quam bo- *Pſal.* 102.
Iſrael Deus his, qui recto ſunt corde? Vir ſimplex, *Iob* 1.
ectus, timens Deum, & recedens à malo. Caperis
Onomatopœia? en: *Leo rugiet, quis non ti-* *Amos* 3.
bit? hoc ſchemate paſſer Siper, turtur Tur
citur in originali lingua.
Catachreſi? audi: *Cadent in ore gladij. Gla-* *Deut.* 33.
us meus deuorabit carnes. Deduc eos in manu gladij. *Hiere.* 18.
Metalepſi? quàm prę clara eſt iſthęc tran-
imptio? *Labores manuum tuarum, quia mandu-* *Pſal.* 127.
ibis. Draco iſte quem formaſti ad illudendum ei. *Pſal.* 103.
Antiphraſi? quæſo te, magis pungentem
pud profanos legiſti vnquam? *Amice, ad quid* *Matt.* 26.
eniſti? Amice, quomodo huc intraſti, non habens ve- *Matth.* 22.
tem nuptialem? Amice, non facio tibi iniuriam. Bene- *Matt.* 20.
lic Deo, & morere. Putet ad hæc à Poetis celebra- *Iob* 2.
a, bellum, piſcina, lucus, libitina, & ſexcenta
iſtiuſmodi.
Ænigmate? Oedipum poſtulant, haud
paullo ſubtiliorem plebeio, ſacra illa. *Antequam* *Eccl.* 12.
obtenebreſcat Sol lumen: & Luna, & reuertantur nu-
bes poſt pluuiam, quando commouebuntur cuſtodes do-
mus, florebit amygdalus, impinguabitur locuſta, diſſi-
pabitur capparis. De comedente exiuit cibus, & de for- *Iudic.* 16.
ti egreſſa eſt dulcedo. Sanguiſugæ duæ ſunt filiæ, quæ di- *Prou.* 30.
cunt: affer, affer.
Paroemiâ? accommodatiſsimæ ſunt iſtæ. *Prou.* 26.
Canis reuerſus ad ſuum vomitum. Sus lota in voluta- 2. *Petr.* 2.
bro luti. Nemo Propheta acceptus eſt in patria ſua. O- *Luc.* 4.
mne regnum diuiſum contra ſe, deſolabitur. Aduerſus *Matt.* 12.
ſtimulum ne calcitres. Nunquid & Saul inter Prophe- *Act.* 9.
tas? Medice, cura teipſum. Super arenam ædificare. 1. *Reg.* 10.
Parabolâ? Suauiſsimas iudicio, *ſagenæ* miſ- *Luc.* 4.
ſæ in mare; *theſauri abſconditi, negotiatoris* quæ- *Matt.* 7.
 rentis *Matt.* 7.

rentis margaritas, *decem Virginum*, *Cœnæ magnæ*.

Charientiſmo, quo aſpera, temperamento complanantur? eo peritè vſus Iacob ad ſocerum: *Nonne pro Rachel ſeruiui tibi, quare impoſuiſti mihi?* impoſueratne tantum tot iniuriarum faber? *Manus Domini tetigit me.* (*Gen. 29.* *Iob 5.*)

Aſtyſmo, vrbanitatis ſchemate? Paulo aurem accommoda: *Vtinam abſcindantur, qui vos conturbant*, quo melius exprimitur vis figuræ, quam illo poetæ. (*Gal. 5.*)

Virg. Ecl. 5

Qui Bauium non odit, amet tua carmina Meui,
Atq; idem iungat vulpes & mulceat hircos.

Sarcaſmo? acerbiorem illis nullum dabit profanus: *Alios ſaluos fecit, ſeipſum non poteſt ſaluum facere. Confidit in Deum, liberet nunc eum, ſi vult.* (*Matt. 27.*)

Et agros & quam bello Troiane petiſti Heſperiam metire iacens.

Homioſi? ad ſingulos penè paſſus occurrit: *Sicut fulgur erit ab Oriente, & paret vſque in Occidentem, ita erit, & aduentus Filij hominis. Ab arbore fici diſcite parabolam, cum iam ramus eius tener fuerit, & folia nata, ſcitis, quia prope eſt æſtas: ita & vos cum videritis hæc fieri.* Huic adhæret Icon, cuius exemplum illuſtre apud Matthæum: *In reſurrectione, neque nubent, neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei in cœlo.* & Paradigma, quo animat ſuos Dominus: *Reſpicite volatilia cœli, quoniam non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater veſter cœleſtis paſcit illa:* Deterret Iudæos: *Pietatis quod hi Galilæi, præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia paßi ſunt? non, dico vobis, ſed niſi pœnitentiā habueritis, omnes ſimiliter peribitis.* Hortatur Iacobus: *Multum valet deprecatio iuſti aßidua. Helias homo ſimilis erat nobis paßibilis, & oratione orauit, vt non plueret ſuper terram.* Allicit te fortaſſe (*Matt. 24.* *Matt. 22.* *Matt. 6.* *Luc. 13.*)

Os humeroſque Deo ſimilis.

taſſe Hyper-

Hyperbaton iunctum Parentheſi, Synchiſi, Anadopoſi, Anaſtrophe? ſcatentes Paulinæ epiſtolæ, nec deſiderantur alibi. Dauid, ille troporum ſacrorum concinnator diuinus: *In tribulatione inuocaſti me, & liberaui te, exaudiui te in abſcondito tempeſtatis, probaui te apud aquam contradictionis.* Idem, *ecce parturiit iniuſtitiam, cōcepit dolorem, & peperit iniquitatem.* Idem, *ſi dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & poſteriora dorſi eius in pallore auri. Auribus percipe orationem meam, non in labiis doloris.*

Pſal. 80. *Et Cererem torrere parant, & frāgere ſaxo. 1. Aeneid. Septem ſubiecta Trioni 3. Georg.* Pſal. 7. Pſal. 27. Pſal. 16.

Porrò vt Troporum vſus in Scriptura diuina eſt perfrequens, ita & figurarum, tam λέξεως, quam διανοίας. Coties ſeſe offert

Italiam contra. 1. Aeneid.

Hypotypoſis? qua res, de qua agitur, ſplēdidis magnificiſque verbis ac ſententiis deſcribitur: *Surge, illuminare Ieruſalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt, Cùm venerit Filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ,* & quæ ſubiunguntur deinceps. Coties

Figura dictionis & ſententiar. *Iſa.* 60. Matth. 25.

Prolepſis? *In principio creauit Deus cœlum & terram. Liber generationis Ieſu Chriſti, filij Dauid.* Coties

Gen. 1. Matt. 1.

Climax? *Tribulatio patientiam operatur, probatio verò ſpem: ſpes autem non confundit. Caput mulieris vir. Caput viri Chriſtus: Chriſti verò caput Deus. Vos curam omnem ſubinferentes, miniſtrate in fide veſtra virtutem, in virtute autem ſcientiam: in ſcientia autem abſtinentiam: in abſtinentia autem patientiā: in patientia autem pietatem: in pietate autem amorem fraternitatis: in amore autem fraternitatis charitatem.* Coties

Rom. 5. Epheſ. 5. *Torua leæna lupum ſequitur, lupus ipſe capellam, Florentem Cytiſum ſequitur laſciua capella.*

Antitheſis, ſiue in verbis, ſiue ſententiis? *Ecce tu pulchra es amica mea: ecce tu pulcher es dilecte mi: ſic-*

Te Corydon ô Alexi. Cant. 1. 2.

Digitized by Google

Frigida pu *mi, ſicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias*
gnabant ca *ſicut malus inter ligna ſyluarum, ſic dilectus meus inter*
lidis humẽ- *filios hominum. Maledicimur, & benedicimus, perſe-*
tia ſiccis.
1.Cor.4. *quutionem patimur, & ſuſtinemus; blaſphemamur, &*
Rom.8. *obſecramus. Si ſecundum carnem vixeritis, moriemini: Si autem ſpiritu, facta carnis mortificaueritis, viuetis. Quod in præſenti eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum*
Pſal.36. *gloriæ pondus operatur in nobis. Mutuabitur peccator, & non ſoluet, iuſtus autem miſeretur & retribuet.* Nec deſideratur alicubi

Epheſ.4. Zeugma, vt, *omnis amaritudo & ira, & indignatio, & clamor, & blaſphemia tollatur à vobis. Qui ingreditur ſine macula, & operatur iuſtitiam. Qui loquitur veritatem in corde ſuo. Qui non egit dolum in lingua ſua, qui facit hæc, non mouebitur in æternum. Filius honorat patrem, & ſeruus dominum ſuum.* Alibi adfectum mouet

Iſa. 40.
Iſa.52. Anadiploſis, *Conſolamini, conſolamini. Con-*
Ierem.2. *ſurge, conſurge. Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciſternas, quæ continere non valent a-*
Matt.23. *quas. Ieruſalem Ieruſalem, quæ occidis Prophetas. Terra,*
Ierem. 22. *terra, terra audi ſermonẽ Domini: Quoniã ecce inimici*
Pſal.91. *tui Domine, quoniam inimici tui peribunt. Dominus*
Pſal.92. *regnauit decorem indutus eſt, indutus eſt Dominus for-*
1.Cor.11. *titudinem. Periculis ex genere, periculis ex gentibus, pe-*
1.Cor.15. *riculis in ſolitudine, periculis in falſis fratribus: Seminatur in corruptione, ſurget in incorruptione, ſeminatur in ignobilitate, ſurget in gloria: ſeminatur in infirmitate, ſurget in virtute: ſeminatur corpus animale, ſurget corpus ſpirituale. Vox Domini ſuper aquas, vox Domini confringentis cedros, vox Domini concutientis deſertum.* Eſt, vbi ad vim maiorẽ accumulantur

Pſal.27.
Pſal.5. Synonyma. *Diligam te Domine fortitudo mea: Dominus firmamentum meum, & refugium meum.*

Non

Non habitabit iuxta te malignus, neque permanebunt iniuſti ante oculos tuos. Nonne diſsimulaui, nonne ſilui? nonne quieui? Alicubi lumen addit

Hypozeuxis, *ſiue Prophetiæ euacuabuntur, ſiue linguæ ceſſabunt, ſiue ſcientia deſtruetur. Si conſiſtant* Pſal. 26. *aduerſum me caſtra, non timebit cor meum: ſi exurgat aduerſum me prœlium, in hoc ego ſperabo.* Nonnullibi ingenium acuit

Syllepſis, vt, *ad faciendam vindictam in natio-* Pſal. 149. *nibus, increpationes in populis.* Eſt ſuo loco.

Paranomaſia: *Videte canes, videte malos ope-* Philip. 3. *rarios, videte conciſionem, non enim ſumus circunciſio, qui ſpiritu ſeruimus Deo. Expectaui vt faceret iudicium, & ecce iniquitas, & iuſtitiam, & ecce clamor.* Vbi in Hebræo venuſta eſt Paranomaſia Miſchpath. Nec deeſt

Eclipſis varia. *Gratia vobis, & pax à Deo Pa-* 1. Cor. 1. *tre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto. Quod ſi Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ apta ad interitum. Anima mea turbata eſt valde: ſed tu Domine vſ-* Pſal. 6. *quequo? Quia neque ab Oriente, neque ab Occidente,* Pſal. 74. *neque à deſertis montibus.* Aliquando orationem animat vehemens

Apoſtrophe. *Audite cæli quæ loquor, audiat* Deut. 32. *terra verba oris mei. Et nunc Reges intelligite, erudimini, qui iudicatis terram. Audite ergo Reges, & intelli-* Pſal. 113. *gite, diſcite iudices finium terræ. Quid eſt tibi mare,* Pſal. 4. *quod fugiſti? & tu Iordanis, quia conuerſus es retrorſum? Filij hominum vſquequo graui corde.* Interuenit etiam non raro

Proſopopœia, per quam in libro Iudicũ Iud. 9.

Iob 28. oliuæ, ficui, viti: in Iobi hiſtoria, mari, terræ, abyſſo: in libro Sapientiæ damnatis apud infe-
Sap. 5. ros ſermo adfingitur: *Hi ſunt, quos habuimus aliquando in deriſum, & in ſimilitudinem improperij.* Sapientiæ quoque æternæ narratio accommoda:
Eccl. 24. *Ego ex ore Altiſſimi prodiui, primogenita ante omnem creaturam.* Frequenter conciliationi in ſpeciem pugnantium locorum ſeruit

Anticipatio *Præoccupatio.* *Greg. Præf. Moral.* *Lauinaque venit littora* *Portuſque require Velinos.* Proleψis. Nam *ſacra Scriptura*, inquit M. Papa Gregorius, *in ſuperioribus ſuis partibus ſolet breuiter, longè poſt ſequutura perſtringere, quum ſtudet ad alia ſubtilius enuncianda properare.* Sic Matt. 27. ante reſurrectionem Domini narratur multa corpora Sanctorum reſurrexiſſe, quod nonniſi poſt contingit. Geneſ. 14. *Venerunt vſque ad fontem Miſphat, ipſa eſt cades. Contra Regem Balæ, iſa eſt Segor. Appellauit nomen vrbis Beth-el, quæ prius Luza vocabatur.* Eodem fine, ſuppetias fert ambigenti.

Gen. 14. Gen. 22. *Recapitulatio.* Gen. 1. Anacephaleoſis, per quam Paradiſi plãtatio, poſt ſex dierum opera deſcribitur, & tamen, plantauit Dominus Deus paradiſum voluntatis à principio: primo nimirum, vel tertio die. Maſculi & fœminæ creatio coniungitur. Solis formatio die quarto ponitur.

Iam verò vix affectus exprimuntur vlli in
Aug. de doctri. Christ. ſacris libris, ſine figurarum colore illuſtrium, vt verè dixerit Auguſtinus: *Nullam eſſe rationem loquendi hominibus vſurpatam, quam Scripturæ ſacræ non habeant.* Optantem audi: *Quis dabit capiti meo*
Ierem. 9.
Iſa. 48. *aquam, & oculis meis fontem lacrymarum? Vtinam attendiſſes ad mandata mea, factaſuiſſet ſicut flumen*
Iſa. 1. *pax tua!* Hortantem conſidera: *Lauamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum.* De-
Pſal. 31. hortantem excipe: *Nolite fieri ſicut equus & mulus.* Com-

Comminanti aures aperi. *Væ qui conſurgitis manè* Iſa.5.
ad ebrietatem ſectandam, & potandum vſque ad ve-
ſperam. Exultantem attende: *Ego autem in Domi-* Habac.2.
no gaudebo, & exultabo in Deo Ieſu meo. Commiſe-
rantem inſpecta: *Quomodo ſedet ſola ciuitas plena* Thren.1.
populo, facta eſt quaſi vidua Domina gentium. Expo-
ſtulanti cor præbe: *Vſquequò grauis corde? Vſque-* Habac.1.
quò clamabo ad te, & non exaudies? Obiurgantem
auſculta: *Hæccine reddis Domino popule ſtulte, & in-* Deut.32.
ſipiens? Deteſtantem inſpice: *Mihi abſit gloriari ni-* Gal.6.
ſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti. Obſecrantem
admirare: *Obſecro vos ego Paulus per modeſtiam, &* 2.Cor.10.
manſuetudinem Chriſti. Inuitanti mentem accõ-
moda; *Venite filij, audite me, timorem Domini doce-* Pſal.128.
bo vos.

Eiuſdem coloris ſunt verba precantis: *Be-* Pſal.68.
nedictio Domini ſuper vos. Imprecantis: *Fiat habita-* Pſal.31.
tio eius deſerta: Erubeſcant impij & deducantur in in-
fernum: muta fiant labia doloſa. Iurantis: *Viuit Do-* Iob 23.
minus, quia donec ſupereſt halitus & ſpiritus in me. Si Pſal.131.
dedero ſomnum oculis meis, & palpebris meis dormita-
tionem, donec inueniam locum Domino. Ominantis,
& prædicentis: *Venient dies in te, & circumdabunt* Luc.19.
te inimici tui vallo. Deprecantis: *Tu Domine, Do-* Pſal.108.
mine, fac mecum propter nomen tuum. Eſto mihi in Pſal.30.
Deum protectorem, &, in domum refugij. Promit-
tentis: *Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te con-* Pſal.50.
uertentur. Admirantis: *Quam magnificata ſunt ope-* Pſal.91.
ra tua Domine, nimis profundæ ſunt factæ cogitationes
tuæ! Gratias agentis: *Benedictus Deus, & Pater Do-* 2.Cor.1.
mini noſtri Ieſu Chriſti. Reprehendentis: *Adhuc vos* Matt.15.
ſine intellectu eſtis? Indignantis: *Diſcite à me omnes,* Pſal.6.
qui operamini iniquitatem. Quæ eò ſpectant vni-
niuerſa, vt demonſtretur, quicquid figuratę lo-
quutionis apud profanitatis Magiſtros celebra-
tur, in diuinis libris, & copioſius, & elegantius
reperi-

reperiri, vt tot exemplorum inductione liquet, & tamen nondum à nobis eſt nominata.

Pſal. 8. Emphaſis, in Scripturis vſitatiſsima. *Quid eſt homo, quod memor es eius, aut filius hominis? Me-*
Ierem. 5. *igitur non timebitis, qui poſui arenam mari terminum*
Iſai. 9. *ſuum? Puer natus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis.* Omiſſa fuit

Matth. 18. Exclamatio. *O generatio incredula, quamdiu*
Rom. 11. *vos patiar? ô Altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius!* neglecta

Pſal. 11. Acclamatio. Græcis epiphonema, *Cum exarſerit in breui ira eius. Beati omnes qui confidunt in eo.* non numerata

Matt. 16. Agnominatio. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* non recenſita

Iob 38. Correctio. *Interroga me, & ego reſpondebo tibi, vel potius ego interrogabo te, & tu reſponde mihi.* In præteritis habita

Pſal. 4. Præoccupatio. *Multi dicunt, quis oſtendit nobis bona? ſignatum eſt ſuper nos lumen.* Nō inducta

Pſal. 61. Interrogatio, qua adfirmantis. *Nonne Deo*
Pſal. 2. *ſubiecta erit anima mea?* omninò. quà ridentis.
Pſal. 51. *Quare fremuerunt gentes?* qua indignantis: *Quid*
Pſal. 8. *gloriaris in malitia qui potens es in iniquitate?* quà
Pſal. 115. admirantis: *Domine Dominus noſter quàm admirabile eſt nomen tuum?* quà dubitantis: *Quid retribu-*
Pſal. 41. *am Domino pro omnibus.* quà corrigētis aut adhortantis: *Quare triſtis es anima mea?* relicta ad hæc.

Commoratio, cuius exemplum præclarum in Pſalmo 50. *Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam: & ſecundum multitudinem miſerationum tuarum. Amplius laua me, & à peccato meo munda me. Tibi ſoli peccaui.* Nec locum adhuc habuit

Exte-

Extenuatio. *Quem perſequeris Rex? canem mortuum, aut culicem vnum?* vti neque 1. Reg. 24.

Conceſſio. *Proba me, & ſcito cor meum, & vide, ſi via iniquitatis in me eſt.* immò nec Pſal. 138.

Inuerſio, quâ artificioſe vtitur Cananæa, dum quod obiiciebatur, pro ſe adſumit: *Etiam Domine, nam & catelli comedunt de micis.* Addatur Matt. 15.

Parrhiſia, libertas in loquendo elegans. παῤῥησία. *Quare poſuiſti me contrarium tibi? Nunquid bonum tibi videtur?* denique Iob 7. Iob 21.

Enallage, ſiue in temporibus, ſiue præpoſitionibus.

Antiptoſis, in numerorũ cõmutationib.

Hypallage in verborum tranſpoſitione, quorum exempla nullus non liber è ſacris affatim ſubminiſtrat.

Quamuis *igitur ſacri Scriptores, non ſecundum artem ſcripſerint* (verba ſunt Antiſtitis Mediolanenſis) *ſed ſecundũ gratiã, quæ ſupra omnẽ artem eſt: Scripſerunt n. quæ ſpiritus illis loqui dabat: nihil tamen in iis, ex omnib. quæ curioſi verborum ſententiarumq; Architecti ad ſplendorẽ orationis cõmenti ſunt,* modo Maieſtatẽ diuinæ ſapientiæ nõ deducat, deſideratur. Veriſsimè ſcripſit Aug. *vbi eos* (ſcriptores) *intelligo, nõ ſolum nihil illis ſapientius, verumetiã nihil eloquentius videri poteſt, & audeo dicere, omnes qui reƈtè intelligunt, quæ illi loquuntur, ſimul intelligere, eos nõ aliter loqui debuiſſe. Eſt quædam eloquentia, quæ viros ſumma auctoritate digniſſimos, planeq; diuinos docet, hac illi loquuti ſunt: nec ipſos decet alia, nec alios ipſa: ipſis n. cõgruit: aliis autẽ quanto videtur humilior, tãto altius nõ ventoſitate, ſed ſoliditate tranſcendit. Vbi verò non eos intelligo, minus mihi apparet eorũ eloquẽtia, ſed tamen eã nõ dubito eſſe talẽ, qualis eſt, vbi ego intelligo.* S. Amb. epi. 63. ad Inſt. Lib. vlt. de doct. Chriſt. cap. 6.

Hunc

Hunc tanti Doctoris ſenſum, tibi opto, Pſeudole, quem haberes fortaſſe, ſi profanorum gerris ac quiſquiliis, diuinorum voluminum; ſuper aurum & topazium defecatiſsima dogmata, poſthabere non obſtinaſſes. Sed hoc alterius eſt operæ, nunc rem noſtram porrò exequamur.

DISSERTATIO V.

Hyperboles multiplex ex S. Scriptura in omni genere.

EXEMPLVM PRIMI MODI.

Oec. PAuca ſelegimus è multis, vt probaretur non omnino ſtupido, nihil ornatus, aut politurę, nullum lumen, vel colorem eloquij in diuinis libris deeſſe. Quæcunque in Gentilium libris deſiderari poſſunt, in ſacrâ

Legitur 1. *Conſt Apoſtoli. c 7.* Referrur *ab Anaſt. Nicæno in Sacra Scriptura quæſtionib.*

Scripturâ longè reperiri meliora, quod eſt Elogium Clementis Romani. Itaq; demens ſit, oportet, qui quum fateri cogatur diuinos ſermones, quolibet figurarum genere aptè illuſtrari vt lumine, & velut colorib. quibuſdam diſtingui, præfractè contendit, ab iis alienam eſſe Hyperbolen, non modicum orationis decus. Sed hac collectione non contentus, id ſtudij eſt, vt euincatur clariſsimis ſacri voluminis, Principumq; ex omni antiquitate Doctorum locis, nō minus multiplicem in ſacris quam profanis adhiberi ſolitam Hyperbolen, cuius, Primus modus eſt, quando plus facto dicitur, quo ſacer Euangeliſta Ioannes nobiliſsimum volumen ſignauit. *Sunt autem*, inquit, *& alia multa, quæ fecit Ieſus, quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror*

Ioa. 21.25.

mundum

mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt libros. An non illuſtris Hyperbole, mundum libros qui ſcribendi eſſent capere non poſſe? Profectò nõnulli, quia nimis id hyperboli, cum videbatur, metaphoricè explicare voluerunt, & mundum non cœlum & terram, ſed homines intelligere: fore nimirum, vt homines capere non poſſent, capacitate intellectus, id eſt, non intelligerent: vel, vt memoriâ res tam varias, & multiplices retinere non valerent. Verum neutram expoſitionem vocabulum, Libros, admittit, niſi coactè. Sincerus ergo ſenſus eſt, multos ſcribendos fuiſſe libros, ſi omnia quæ Chriſtus fecit, ſigillatim ſcribenda fuiſſent: eam autem ingentem multitudinem magnitudinemq; voluminum per Hyperbylem, cum certum numerum exprimere non poſſet, declarauit.

S. Auguſt. Beda. Rupertus. Theophyla. Theod. Heracleotes. Leontius. Auguſt. Leontius. Cyrillus. Beda. Theophyl. Euthym. Maldonat.

Diceret hic haud dubiè, ſi ſui ſimiles erudiret Batauus Appion, illi Aegyptio, non diſsimilis de quo Ioſephus, & malum, indoctumq; fuiſſe, & totius vitæ temporibus calumniatorem ſtrenuum, corde aſini pollentem, videri Euangeliſtam *Prodige-liberalem*, atq; idcirco meretriciè impudentem, cauteriatæ conſcientiæ hominem, impoſtorem egregium: Sed illi publicæ infamiæ tympano reſponſum iam olim parauit melior Grammatico- Theologus Peluſioſa. qui ſic Aphrodiſio Presbytero præſcribit. *Quoniam Iudæus quidam, vt ad me ſcripſiſti inſcitia plenus*, audiat Verpus, & agnoſcat genium, *Diuinum Euangeliſtam, quod his verbis vſus ſit: Ne ipſum quidem mundum capere poſſe, arbitror eos, qui ſcribendi ſunt libros, Hyperbolicæ loquutionis damnãs, negotium tibi faceſſiuit; operæ pretium eſt ex veteri Teſtamento, quod ipſe quoque probat, ac diuinum exiſtimat, ea quæ per Hyperbolem dicta ſunt, in medium producere,*

Iſido. Peluſ. li. 2. ep 99.

Digitized by Google

ducere,vt ille intelligat Euangeliſtam quoque veterem illam Scripturam ſequentem, ea ſcripſiſſe, quæ ſcripſit. Quidnam igitur ſcriptum ſit, diſcamus. De Chana-

Deu.1.28. Exod.3.8. Pſ.106.26

næis quidem vrbibus, *Vrbes muratæ vſque ad cœlum.* De terra autem eorum, *Terra quæ fluit lacte & melle.* De nauigantibus: *Aſcendunt vſque ad cœlos, & deſcendunt vſque ad abyſſos. Hæc igitur ille* ἀγροικόσοφος*, ruſticè ſapiens exponat, non ad Allegoriam confugiens, nec numeralem ſenſum adferre ſtudens, ſed res ipſas explicans, Quod ſi non poteſt (neceſſe eſt enim, vt vel hæc Hyperbolice dicta eſſe fateatur, vel interpretatione opus habere,) quid eſt, quamobrem extremæ inſcitiæ, aduerſum ſe argumentum præbens Euangeliſtam carpat?*

ראשו Raſo בשמים baſamim. Vide Lorin. cap.18. Delrio To.1.Adag.14. Itēm Gloſſ. Gen.

Similis Hyperbole, & Parœmialis, eſt illa Geneſ. 11. v. 4. *Faciamus nobis ciuitatem & turrim, cuius culmen pertingat ad cœlum.* Hebraicè eſt: Caput eius in cœlum, ſc. pertingat; Sic accipi poſſunt illa Sapien. 18. 16. de Angelo vltore, καὶ οὐρανοῦ μὲν ἥπτετο, βεβήκει δ᾽ ἐπὶ γῆς, *vſque ad cœlum attingebat ſtans in terra*: nec enim veriſimile eſt, Angelum ſubſtantiâ ſuâ omne ſpatium, quod interiacet à cœlo ad terram, occupaſſe.

Perer. Gen. 11. S. Auguſt. lib. Q. in Gen. q. 21. Lib. 16. de Ciu. Dei c. 4.

Non ignoro, D. Auguſtinũ recitata ex Geneſi ſimpliciter, &, vt verba ſonant, accipere videri, quum ſcribit: *Si ſe hoc poſſe crediderunt, nimium ſtulta audacia, & impietas eorum deprehenditur. Et quia ob hoc Dei vindicta ſequuta eſt, vt eorum linguæ diuiderentur, non abſurde id cogitaſſe eos, credi poteſt.* Et alibi, deridens amentiam iſtorum hominum. *Quid* (ait) *factura erat humana, & vana præſumptio? Cuiuslibet enim, & quantumlibet in cœlum aduerſus Deum altitudinem molis extolleret, quando montes tranſcenderet vniuerſos? quando ſpatium nebuloſi aeris euaderet? quid denique noceret Deo quantacunque*

tacunque

Digitized by Google

ꝗ acunque vel ſpiritalis, vel corporalis elatio? Eſt tamen communis bonorum interpretum explanatio, adagiali hyperbole, altiſsimã turrim ſignificari. Clarè è noſtris Pererius: *Illud cuius culmen pertingat ad cœlum, non propriè accipiendum eſt, inſana enim fuiſſet eorum hominum cogitatio, nedum incœptum aut etiam votum: ſed Hyperbolica eſt oratio, plus nempe ſignificans quàm intelligi oporteat; cuiuſmodi orationes, & in ſacris, & in profanis litteris frequentes ſunt. Ergo ſignificatur illis verbis inuſitata & incredibilis quædam illius ædificij altitudo.*

Nunc verò Maiores ſuos recognoſcat & veneretur Batauiæ Cymbalum, quod ob hyperbolem in loco, & tempore vſurpatam in ius vocare audet eruditos: eodem namque ſpiritu calumniabantur Moſis hiſtoriam Ethnicorum ſcioli: *Quibus Patrum noſtrorum inſtituta diſplicent,* inquit Philo initio libri, quem ſcripſit de Confuſione linguarum, *homines impij, & tantum ad iuſtas leges accuſandas diſerti, arreptis impietatis anſis hiſtoriam hanc Moſis de ædificatione turris, ita cauillãtur, noſque derident: etiamnum extollitis* (aiunt) *præcepta veſtra, vt veritatis regulas? ecce ſacri, quos vocatis libri, fabulas continent, quales vos aliis referentibus irridere ſoletis. Hæc enim hiſtoria de ædificatione turris vſque ad cœlum, perſimilis eſt fabulæ gigantum, quos Homerus narrat conatos eſſe tres maximos montes Peliam, Oſſan, & Olympum, alium ſuper alium imponere, ſperantes hac ſe via aſcenſuros in cœlum, & inde Iouem deturbaturos. Similiter legislator noſter Moſes inducit turrim extructam ab eius ſeculi hominibus, qui propter dementiam, & immanem animum, conati ſunt cœlum attingere, conſilio ſanè ſtultiſſimo. Nam etiamſi vniuerſæ terræ partes ſuperſtruerentur fundamento modico, vt in vnius columnæ formam attollerentur; longiſſimo tamen interuallo diſtarent à ſphæra æ-*

 therea:

therea: præſertim iuxta opinionem Philoſophorum, terram eſſe centrum mundi aſſeuerantium. Atque hæc quidem erat illorum hominum calumnia: cui gemina eſt Hollandici Orbilij, ob ignorationem figuræ vſitatiſsimæ, falſitatis, veri ſcriptores accuſantis: an non dignus qui puerili plaga, virgis loriſq; tam bellè varietur, vt ſe ipſe non agnoſcat, communium præceptorum oblitus? Sed de hoc iudex, ad innocentiæ tutelam diſpiciet poſtea. Ego porrò exemplis illuſtrare pergo, quod paulò ante ad bonorum patrocinium adgreſſus ſum.

Quid vetat ad primum Hyperboles modũ
Iob. 5.9. vocare, quod eſt apud Iobum: *Qui facit magna & inſcrutabilia, & mirabilia abſque numero?* quomodo abſque numero, quum quæcunque fa-
Caietan. cta à Deo, ſint in pondere, numero, menſura?
Didym. alij Scio Caietanum, & alios quoſdam innumera-
Ioan. Pine. bilitatem rerum creatarum referre ad cognitionem, numerationemq; humanam, ſed pleniſsimo intellectu, abſq; numero dicitur, quod ordinarium numerum ſuperat. Sic frequentiſſimè Rhetores innumera, & infinita vſurpant: quia ſunt quamplurima.

Exodi 3. v. 8. & paſsim in S. Scripturâ, terra Iſraeli promiſſa dicitur ארצזבת הלב ודבש
Hier. 11.4. *Eretz Zabath halab vdebaſch. Terra quæ fluit lacte, &*
Nu. 13.28. *melle:* an ſine hyperbole? nemo eruditus dixe-
Iob. 20.17. rit: qui eandem figuram notabit in illo. *Non vi-*
Ioel. 3.18. *deat riuulos fluminis torrentes mellis ac butyri. Stillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lacte,* quod placuit profanis, è quibus Poeta:

Et duræ quercus ſudabunt roſcida mella.

Et ante illum Sibylla:

Flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibunt.

Poſt hanc Tibullus: *Ipſa*

Ipſæ mella dabant quercus, vtroque ferebant
Obuia ſecuris vbera lactis oues.

Hinc & illud Græci Vatis:

ῥεῖ δ᾽ γάλακτι πέδον
ῥεῖ δ᾽ οἴνῳ, ῥεῖ δ᾽ μελισσᾶν
νέκταρι.

Fluit & lacte campus:
Fluit vino, fluit & apum
Nectare.

Quod imitatus Seneca Poeta:

Pumice ſicco — *Oedip. Vide*
Fluxit Nyctileus latex — *Delrio in*
Garruli gramen ſecuêre riui: — *Senec.*
Combibit dulces humus alta ſuccos,
Niueoq; lactis candidos fontes.
Miſtaq; odoro Lesbia cum thymo.

Eadem Hyperbole Paradiſi delitias decantat Tertullianus:

Mella vireſcenti, conflagrant pinguia canna
Lac etiam planis manat potabile riuis.

quod non diſplicuit, idem adſerenti grauiſſimo Patri Baſilio. — *S. Baſil. lib. de Paradiſ.*

Exodi 10. 21. *Sint*, inquit veridicus Scriptor, *tenebræ ſuper terram Aegypti, tam denſæ vt palpari queant.* Hic apud ſuos haud dubiè paratragœdiaret Meuius Batauus, niſi auritos teſtes metueret, Palpari non poteſt niſi corpus: tenebræ autem non modo corpus non ſunt, ſed nec ens vllum poſitiuum, vt in ſcholis loquimur, quid ergo imperitus ille hiſtoricus palpabiles tenebras nominat, quæ ſi vel cimmeriis atriores fuiſſent, manu tamen non potuiſſent contingi? Adde ſenſum tenebrarum, ſicut & lucis, eſſe viſum, ſenſum palpandi, tactum: an igitur oculatas manus finxit, qui palpabiles inducere voluit tenebras? Ita nugantur

Vide Pereri. in Exod. c. 10 Diſp. 2. Delrio Adag. 72.

Athei, ignoratione Hyperboles, quam in Aegypti tenebris clarè vidit, non alius, quam ſacræ eruditionis perſpicillo, vetus Gloſſator, quem minimè damnant, qui ψηλαφητὸν σκότος, vt Septuaginta legunt, interpretantur tam obſcuras tenebras, vt cogerentur homines, more cœcorum palpabũdi incedere, quaſi tenebras, vt pariete apprehenſuri, quomodo exponi poſſet Iſaias cap. 32. 14. *Tenebræ & palpatio factæ ſunt ſuper ſpeluncas vſque in æternum*: niſi dicere placet idiotiſmo Hebræo, tenebræ & palpatio, idem eſſe, quod tenebræ palpabiles. Non deſunt quidem, qui per tenebras palpabiles intelligunt aerem tenebroſum, adeo condenſatum vaporib. humidis, & *groſſis* (inquit Lyra) *vt tangi poſſet: quibus factum* (addit Burgenſis) *vt aer diaphaneitate amiſſâ lucis capax amplius non eſſet*; ſed in hoc ipſo craſsiſsimorum vaporum admixtione confertoq; ſpiſſatoq;, vt in caliginoſo calcariæ fornacis fumo, quod imaginatur Oleaſter, Hyperboles lumen conſpicere, non ſapit olentem Meuium.

Caliginem palpabilem Philo.

Num. 9. 19 Ex eodem penu eſt, quod ſubiungo: *Det vobis Dominus carnes, & comedatis non vno die, nec duobus, vel quinque aut decem, nec viginti quidem, ſed vſque ad menſem dierum, donec exeat per nares veſtras, & vertatur in nauſeam.* Quis non, vel mediocriter eruditus, notet Hyperbolem: *Donec exeat per nares*, quam dum fortaſſe temerariam ſuſpicantur recentiores, aliter transferunt, & interpretantur ex Hebræo, inquit vir doctus, ſed minus quam vulgatus interpres aſſequuti ſententiam. Certè, Eugubinus timidior, pro naribus ora reddit, eo quod Aph, interdum pro facie ſumatur. *Quanquam*, ait, אף *narem ſignificet, os tamen ac faciem ſæpe denotat. Quamobrem & pro ore videtur hoc loco ſumendum, id quod videtur verisimilius. Donec* (inquit)

Delrio Adag. c. 1. To. 1 pag. 96.

(inquit) *exeat ex ore veſtro*, donec euomatis has carnes pro ſaturitate. Si veriſimilius, quia ſolitum os euomere, non nares, tollas licebit tali argumento hyperbolicas omnes loquutiones, quod eſt in omni ſcriptione inofficioſum. Quocirca cum interprete Latino naſutiores conſentiunt Liranus, Pagninus, Vatablus, Oleaſter licet aliter & aliter nares interpretentur, propter vocem Hebræam זרא zara, quam Chaldæus offendiculum, alij abominationem, alij diſperſionem, alij exponunt ſparſionem, per vomitum tamen, vt inquit Caietanus, Lyranus vult dici, per nares euomi, quia vomitu nares conſpurcantur; Oleaſter ſenſum eſſe putat, donec euomatis carnes per nares, & per os diſpergatis eas: *Solent enim*, ait, *vomentes non ſolum per os, ſed etiam per nares cibum indigeſtum emittere.* Craſsè & ruſticè liquida forte, inquit nonnemo, carnis fruſta non crediderim, niſi quis meatus Polyphemios habeat. Itaq; Hyperbole eſt, ne dubites. ſicut in illis:

Adhuc carnes erant in dentibus eorum, id eſt: vix maſticarant, vix in ſtomachum demiſerant — *Nu.* 9. 33.

Hyperbolica etiam exaggeratione nonnunquam peccata quædam attolluntur, vt illorum odium inſtilletur. Conſtat ſatis attentionem orationis ad Deum fundendæ comitem eſſe debere, ſed eius loco nonnunquam diſtractionem, euagationemq; ſuccedere: hæc plurimum, ſuoq; genere non eſt lethalis, nec crimen propriè dixeris: criminis tamen, & grauiſſimi, à quibuſdam dehoneſtamento augetur, nimirum ndulgetur feruori, & plus facto tropice quidpiam adiungitur, vnum nomino. — *S. Tho.* 2. 2. *q.* 83. *a.* 13.

Caſſianus Collatione 23. cap. 7. *Si quum*

ſublimi homini, non dicam pro vita, ac ſalute noſtra, ſed etiam pro alicuius lucri commodo ſupplicamus, totam in eum mentis & corporis aciem defigentes, de nutu eius trepidâ expectatione pendemus, non mediocriter formidantes, ne quod forte ineptum, aut incongruũ verbum, miſericordiam audientis auertat: tum deinde ſi nobis in foro, aut iudicium ſecularium tribunalibus conſtitutis, adſiſtente, etiam econtra aduerſario in media proſequutione atque conflictu, tuſſis, ſcreatus, riſus, oſcitatio, ſomnus obrepſerit, quanta in perniciem noſtram vigilantiſſimus inimicus, ſeueritatem iudicis cõmouebit inuidiâ? Quanto magis, quum illi occultorum omnium cognitori, pro imminenti perpetuæ mortis periculo ſupplicamus: præſertim, quum è diuerſo callidus ſeductor pariter & criminator adſiſtat, intenta atque ſolicita oratione iudicantis pietas imploranda eſt? Nec iniuſte non ſolum leui peccato, ſed etiam GRAVISSIMO CRIMINE IMPIETATIS *adſtringitur, qui precem Domino fundens, ſubitò à conſpectu eius, quaſi ab oculis non videntis nec audientis, cogitationis improba vanitatem ſequutus abſceſſerit.* Vbi, vt obſeruat, aſceticarum rerum ſcriptor hoc tempore ex Ordine noſtro accuratiſsimus Iacobus Aluarez, ſpontaneam euagationem crimen vocat Caſsianus grauiſsimum: non quod exiſtimet, eam vſq; ad nequitiam grauis peccati procedere: ſed quia ſi hinc extremam vtilitatem noſtram, illinc autem ſuperexcellentiſsimam Dei Maieſtatem ſpectemus, manifeſtè perfrictæ frontis ſumus, ſi non in oratione diſtrahi, ac euagari formidamus. Addit idem auctor: *Ibi maximè Hyperbolica loquutio adhibenda eſt, vbi animus ab irreuerentia in rebus diuinis deterretur: &, ad rectè, ac cum fructu orandum, incitatur.*

Tom. 3. qui eſt de oratione lib. 2. par. 1. c. 6.

DISSERTATIO VI.

Exempla ſacra Hyperboles

SECVNDI MODI.

QVam liberalis ſit benedicendi, ſcribendique Magiſter cœleſtis in hyperbolicis loquutionibus, & quam multiplex earum ſit vſus ex vnius modi exemplis ſatis ſuperque oſtendimus, idem facturi in reliquis, vt occludantur ora canine adlatrantium. Secundus itaque modus eſt, ex Quinctiliano, quum res per ſimilitudinem attollimus; qua vti haud alienum à ſumma Veritate exiſtimauit prima veritas, CHRISTVS Dominus, qui de diuitiarum periculis diſputans, *Facilius*, inquiebat, *eſt*, *camelum per foramen acus tranſire, quam diuitem intrare in regnũ Dei.* Vbi hyperbolem agnoſcunt penè omnes, de ſimilitudine laborant aliqui. Fictitium eſt, quod habet Magiſter hiſtoriæ capite 101. Portam fuiſſe Ieroſolymis, ACVS, dictam, ad quam ventare ſolitos Camelos, cum oneribus tranſire non potuiſſe, itaque poſitis ſarcinis, permeaſſe, tum receptis, iter proſequutos: merum ſomnium, quo tamen delectatus inter Theologos Caietanus. Ingenioſius alij, vt mitigarent dicti aſperitatem, confinxerunt, paræmiam de fune nautico intelligi: Et ſanè κάμηλος animal funemque iſtiuſmodi ſignificat, ſed CHRISTO propoſitum erat, aliquid apud homines impoſsibile æſtimari ſolitum, proferre, quis putet ad analogiam acus, funiſque ſubtilius attendiſſe? in qua nihilominus eſſet hyperbole. Quare illis aſſentior, qui

Matth. 19. 24.

Suidas. *Theophyl.*

Origen. *Hilar.* *Chryſoſt.* *Hieron.* *Auctor Imperfect. interp.*

Iuuencul lib. 3. *hiſto. Eccleſiaſt Sedulius libr.* 4. *Carſyrus*

qui animal concipiunt, ſicq́; clarius aduertitur
Ioan Mald. Hyperbole, qua per ſimilitudinem rei difficultas attollitur. Prudenter Maldonatus noſter: *Eſt hyperbole & exaggeratio, qualis in huiuſmodi prouerbiis eſſe ſolet.* itaque diſputare quomodo difficilius ſit diuitem in regnum cœlorum, quam Camelum per foramen acus introire, inanis eſt operæ, quum ſententiæ ſummam eſſe conſtet, valde eſſe difficile, diuitem in regnum cœlorũ introire, nec ſit neceſſe, vt difficilius ſit, quam
Barra To. 3 libr 5 c. 8. vt Camelus per foramen acus introeat, quia prouerbialis Hyperbole eſt. Et Sebaſtianus Barradas in eadem re. Hyperbolice loquitur Dominus.

Eiuſdem modi eſt illud Ierem. cap. 13. 23. *Si mutare poteſt Aethiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas, & vos poteritis benefacere, quum didiceritis malum.* Quamuis enim ſimilitudo ab Aethiope & pardo detorqueri poſſet, ad id quod naturali virtute non poteſt cõtingere. Vt enim impoſsibile eſt apud homines nigredinem Aethiopis in candorem mutari, & pardi maculas tollere: ita apud homines impoſsibile eſt, malum, & multo amplius aſſuetum malis mutari in bonum, abſque Dei gratia. Atqui apud Deũ non eſt impoſsibile omne verbum, à quo interpretamento non abhorret S. Hieronymus, & Rhabanus. At enim, quum eadem impoſsibilitas etiam in quouis alio peccatore reperiatur, qui nondum aſſueuit malo: nullus enim eſt, qui licet vnicum ſolum peccatum commiſiſſet ſine gratiæ ſubſidio poſsit ad Deum conuerti; de alia impoſsibilitate quam parit peccatoris voluntas aſſuetudine indurata, ſermo eſt, hæc autem non eſt aliud, quàm inſignis quædam difficultas, quæ ſimilitudine Aethiopis, & pardi

hyper-

hyperbolixῶς ad ſimilitudinem attollitur. Vehementiam voluntatis ſolet Scriptura vocare, *poteſtatem*, inquit Chryſoſtomus, ſic Ioan. 12. dicitur: *Propterea non potuerunt credere, quia iterum dixit Iſaias: auditu audietis, & non intelligetis, & non poteſt vos mundus odio habere:* difficultatem ergo conuerſionis, ex cõſuetudine ortam ſignificat. Vt enim non poteſt fieri, aut certè nunquam fiet, vt Aethiops, & pardus ſuos mutent colores, ita Iudæi ſic erant adfecti, ob inueteratam mali conſuetudinem, merito vt metuendum eſſet nunquam ſerio illos conuerſum iri. Ita ferè Chryſoſtomus, Theodoretus, Hugo, S. Thom. quos è noſtris in illum Ieremiæ locum laudat Prophetæ explanator egregius Chriſtophorus à Caſtro.

Chryſoſho. 67. in Ioan.

Chriſtoph à Caſtro.

Superiori affine eſt diuerbium ſapientis, vel commonitio: *Expedit magis vrſæ occurrere, raptis fœtibus, quam fatuo confidenti in ſtultitia ſua.* Significat hæc ſententia, inquit Epiſcopus Gandauenſis, hyperbolicâ comparatione, valde cauendum, ne quis cõtendat cum ſtultis, eorumq; ſtultitiæ obſiſtere conetur, diſputando, & arguendo, maximè ſi in ſua ſtultitia & errore ſibi placeat & confidat. Eſt enim vrſus animal alioqui ferociſsimum, & homini inimiciſsimum: at huius ferocitatem cõduplicat, perdidiſſe catulos, vnde vel tunc maximè formidabile eſt. Quare eandem ſimilitudinem, non abſque Hyperbole, inducit Chuſi, vt ſignificet quam formidandus ſit Dauid cum ſuo exercitu 2. Reg. 16. 8. *Tu noſti patrem tuum, & viros, qui cum eo ſunt eſſe fortiſſimos, & amaro animo, veluti ſi vrſa raptis catulis in ſaltu ſæuiat.*

Prou. 17. 12.

Ianſen. in Prou.

Perge Quum ſapientiſsima Iudith Holo-

ferni ad ſummas res maximam gerendi facultatem, abſque vllo detrimento, periculoq́; polliceretur, amœniſsima ſimilitudine per Hyperbolem facilitatem extulit. *Habebis*, inquiebat, *omnem populum Iſrael ſicut oues, quibus non eſt paſtor, & nō latrabit vel vnus canis contra te*. Græca augent hyperbolem: οὐ γρύξει κύων τῇ γλώσσῃ αὐτοῦ κατέναντί σου; *Ne lingua quidem ſua hiſcere audebit coram te*: quo ſumma facilitas vincendi & imperandi ſine periculo vel obſtaculo figuratiuè ſignificatur, vt poſt Nicolaum Serarium, obſeruauit Mart. Delrio.

Iudit. n. 15.

Nic Serar. in Iudit 11. Delrio To. 1. Adag 75.

Eodem tropo, ſed diuerſo ſenſu vſus eſt Moyſes Exodi 11. 7. *Apud omnes filios Iſrael non mutiet canis ab homine vſque ad pecus*, exaggerat cōmodâ ſimilitudine ſummi ſilentij, pacatiſsimæ tranquillitatis modeſtiam, quæ magis adhuc elucet in Hebræo: *Non mouebit canis* (animal illud irritabile, & minimo ſtrepitu excitari aſſuetū) *ſuam linguam*, vt baubet, itaq; multo minus mēbra, vt quempiam inuadat.

Matth. 26 24.

Agnoſco etiam hyperbolem in Chriſti de Iuda enunciato: *Bonum erat ei, ſi homo natus non fuiſſet homo ille*. Vbi bonum, idiotiſmo Hebræo idem eſt, quod melius; nam carent Hebræi cōparatiuis. Non eſt autem facile decidere, quomodo melius Iudæ fuiſſet, natum nō eſſe, quum NON ESSE, nullum, damnatum autem eſſe, aliquod bonum ſit. Aliquid enim eſt, qui damnatus eſt, omne autem quod eſt, quâ eſt, bonum eſt. Natum non eſſe, eſt priuatio, & nihil, nihil autem non poteſt eſſe bonum, quia bonū eſt ens. Reſpondet S. Hieronymus: Non ideo putandus eſt Iudas ante fuiſſe quàm naſceretur, quia nulli poſsit benè eſſe, niſi ei qui fuerit. Sed ſimpli-

ſimpliciter dictum eſt, multo melius eſſe non ſubſiſtere, quàm malè ſubſiſtere. Arguit tacitè Origeniſtas, qui animas initio creatas aſſerebant, & in corpus, vt carcerem ablegari pro merito, vel manere ſolitarias. Euthymius ſic verba Domini exponit: *Vtile fuiſſet ei, quum in vtero matris creſceret, omnino non naſci, qui tale flagitium perpetraturus erat, vt tali dignus eſſet futurus ſupplicio.* Et Auctor, Hieronymi nomine in Marcum: *Bonum erat ei, ſi non eſſet natus, initio latens vtero materno. Melius eſt nō eſſe quàm ad tormenta eſſe.* Scholaſticè Caietanus: *Bonum erat Iudæ, ſi natus non fuiſſet, quia mortuus in vtero incurriſſet ſolam pœnam damni in limbo, modo autem non incurrit etiam pœnam ſenſus, & tantam in inferno.* Eodem ferè modo interpretatur D. Antoninus. Sed quid iuuat
S. Antonin. p.p hiſt. ti 5. c 6. §. 2.
argutari, & ad ſcholarum ſubtilitates confugere, comminiſcique priuationem mali, bonum quoddam eſſe non entitatiuum, ſed negatiuū; quum Chriſtus, dicendi Magiſter optimus, in dicto populari, per ſimilitudinem hominis non nati, hyperbolικῶς attollere voluerit calamitatem nati proditoris?

Maldonat. Matt. 26. Non ſunt huiuſmodi Scripturæ loquutiones ad ſcholarum excutiendæ ſubtilitatem: ſunt enim prouerbiales, & ſumpta de vulgo, in quibus quiddā plerūq; hyperbolicum eſſe ſolet.

Nec diuerſo modo acceperim illa ſanctiſſimorum virorum lamenta, optationibus hyperbolicis permixta: *Quare non in vulua mortuus ſum? Egreſſus ex vtero non ſtatim perij? Quare de vulua eduxiſti me? qui vtinam conſumptus eſſem, ne oculus me videret, fuiſſem, quaſi non eſſem de vtero translatus ad tumulum. Pereat dies in qua natus ſum.*

Iob 3. 11.
Iob 10. 18. 19.
Ier. 20. 14.

* * *

DIS-

DISSERTATIO VII.

Exempla ſacra Hyperboles

TERTII MODI.

NEc ad tertium Hyperboles modum, quo quidpiam per comparationem attollitur, ſtabiliendum pauciora ſuppetunt è ſacris teſtimonia, quorum ogo delectum habere minimè cōſtitui: ſed veluti tumultuarias copias, vt quæque ſeſe offerunt, in aciem educam, nec enim centuriādi, vt Pſeudolo, integræ noctis ſpatium mihi conceſſum eſt.

2. Reg. 23. *Saul & Ionathas, aquilis velociores leonibus fortiores*, certe nonniſi per hyperbolem, quâ etiam vſus Moſes

Deuter. 28.49. *In ſimilitudinem aquilæ volantis, cum impetu.* &

Tob. cap. 9. 26. *Pertranſierunt ſicut aquila volans ad eſcam*, & Iſa. 40. 31. *Aſſument pennas vt aquilæ: current & non laborabunt, volabunt & non deficient.* Ierem. c. 4. 13. *Velociores Aquilis equi illius.*

Thren. 4. 19. *Velociores fuerunt perſequutores noſtri aquilis cœli.* Nam vt eleganter Pindarus.

Pindar in Nemeis.

Α᾽ετὸς ὠκὺς ἐν πεζανοῖς
ὃς ἔλαβεν αἶψα τηλόθεν μεταπετόμενος
Δαφοινὸν ἄγραν ποσὶ
Κραγέται δὲ κολοιοὶ ταπεινὰ νέμονται.

Aquila pernix inter volucres,
Quæ repentè aduolans
Pede cruentam arripuit prædam:
Loquaces autem graculi humi paſcuntur.

Et ſanè non minus ſcita eſt illa, hagiographorū hyperbole, licet minus audax quā vel Homeri
Θείειν δ᾽ ἀνέμοισιν ὁμοῖοι.

Ad

Ad currendum ventis ſimiles,
Vel Virgilij: ——— *Vincant qui curſibus auras.*
Item:
Corripiunt ſpatia audito, lumenq́; relinquunt
Effuſi, nimbo ſimiles ———

Threnorum 4. v. 7. decus elegantiamq́; Nazaræorum diuerſa hyperbole, ſcitiſſimaq́; Propheta depingit: *Candidiores Nazaræi eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, ſapphiro pulchriores,* vbi comparationes omnes exceſſum notant, & tropum in albedine aliiſque colorib. exprimendis. Similis eſt

Gen. 49. 12. *Dentes eius lacte candidiores.* Sed eorundem deturpationem æquè hyperbolicos exprimit verſu ſequente.

Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum; & non ſunt cogniti in plateis: adhæſit cutis eorum oſsibus, aruit & facta eſt quaſi lignum. Illi tam culti, candidi, nitidi, rubicundi, ſidere pulchriores, facti ſunt luridi, horridi, ſcabri, ſqualidi, ingluuie & inediâ macilenti. Vſurpat eundem tropum Verſ. 8.

Nahum 11. v. 10. alia comparatione: *Facies omnium eorum ſicut nigredo ollæ.* &

Ioel. 11. 6. *Omnes vultus redigentur in ollam,* id eſt, ceu ollæ fuligine, ſic mœrore, fame, ſqualiditate obducentur, Martialis audaciſsimè: *Nocte nigriorem reddi.* Quàm illud hyperbolicè: *Adhæſit cutis eorum oſsibus, aruit, & facta eſt quaſi lignum?* ſic

Iob 19. 20. *Pelli meæ conſumptis carnibus adhæſit os meum,* de ſumma macie

Pſal. 21. 16. *Aruit tanquam teſta virtus mea, & lingua mea adhæſit faucibus meis.*

Pſal. 101. 6. *Adhæſit os meum carni meæ,* vbi carnem pro cute poni obſeruat Auenezra, vti cutem pro carne Iob 18. 13.

Pellis

Lucretius. *Pellis ſuper oſsibus*, vna
Canebat ille. & alter:

Horat. *Verecundus color oſſa pelle amicta lurida,*
Effuſiſsimè Plautus:

Oſſa atq; cutis ſum, miſera macritudine.
Hinc Adagium hyperbolicum:

Adhæret cutis oſsibus, pro extrema macritudine.

Hanc hyperboles ſpeciem adhibet Scriptura perſæpe, ad declarandam ingentem multitudinem.

Geneſ. 13. 16. *Faciam ſemen tuum ſicut puluerem terræ. Si quis poteſt hominum numerare puluerem terræ, ſemen quoque tuum numerare poterit.*

Oſeæ 1. 10. *Erit numerus filiorum Iſrael, quaſi arena maris, quæ ſine menſura eſt, & non numerabitur.* Ad quod reſpicit Balam.

Num. 23. 10. *Quis dinumerare poſſet puluerem Iacob, & noſce numerum ſtirpis Iſrael?*

Pſal. 138. 18. *Dinumerabo eos, & ſuper arenam multiplicabuntur.*

Gen. 32. 13. *Tu loquutus es, quod beneſaceres mihi, & dilatares ſemen meum, ſicut arenam maris, quæ præ multitudine numerari non poteſt.* Sanè arenam maris, & pluuiæ guttas, & dies ſeculi quis dinumerauit? Eccl. 1. 2.

Tune pulueris Erythræi
Siderumq; micantium
Subducas numerum?

qui tantus, vt Diuinitatem hac ſubductione ſibi adſcribat Verſipellis, in Crœſi oraculo:

Cacodæmon apud Euſeb. lib. 5 præp. Euangel. Apollo apud Herod. lib. 1.

Οἶδα δ᾽ ἐγὼ ψάμμου τ᾽ ἀριθμὸν, καὶ μέτρα θαλάσσης.

Noui ego arenarum numerum, ſpaciumq; profundi.

Huc

Huc ſpectat Pſalmiſtæ verſus:

Pluet ſuper eos, ſicut puluerem carnes; & ſicut arenam maris volatilia pennata.

Ierem. 2. 8. *Multiplicatæ mihi ſunt viduæ eius ſuper arenam maris.*

Abac. 1. 9. *Congregabit quaſi arenam captiuitatem.*

Ioſue 11. vbi agitur de hoſtium numero in bello Iabinitico: *Egreſſi ſunt omnes cum turmis ſuis, populus multus nimis ſicut arena, quæ eſt in littore maris, equi quoque & currus immenſæ multitudinis.* Ioſu. 11. 4.

Quam comparationem non vt hyperbolicam accepit Benedictus Arias, ſed vt ſimplicem, non ratione quantitatis diſcretæ, aut numeri; ſed continuæ, quoad viſum, videlicet, quod quemadmodum in maris littore nil niſi arena videtur, ſic nil niſi hoſtes tum conſpicerentur, quam latè viſus patet. *Non ait hiſtoria* (verba ſunt Montani) *hoſtium multitudinem numero comprehendi, non aliter quam maritimam arenam non potuiſſe, ſed tam denſas, frequenteſque fuiſſe, ait eorum copias, vt quacunque locus proſpectaretur, nil aliud quam populus videretur: vnaq; eſſet agri facies hominibus operti: velut iis qui maris littus proſpectant, omne ſolum arena conſtratum viſitur: nuſquam enim vel prati portio, vel aliud præter arenam conſpicitur, ideoque propriè eloquitur. Non enim, inquit, homines multi, ſed populus multus nimis, neque ait, vt arenæ, quæ numerari non poſſunt, quocunque loco ſint, ſed ſicut arena, hoc eſt, ſicut longè lateq; extenditur arena ea, quæ eſt in littore maris, cuius facies omnis aſſiduo fluctuum æſtu arena conſtrata conſpicitur.*

Singularis opinio: cæteri interpretes, & optimi, comparationis vim locant in numero,

ac-

ac multitudine, & rectè, ſi quid iudico, quur e-nim alioqui non dixiſſet ſacer Auctor, *ſicut aqua maris*, aut, *planities pelagi*, vt ille: *Omnia pontus erat?* quur in Hebræo notanter adderetur reſpectu multitudinis? At, arena maris eſt ex iis, quæ nu-merari non poſſunt: nam quod Archimedes de arena numeranda ſcripſit, modumq́ eam ſub-ducendi expoſuit Clauius, eò ſolum ſpectat, vt oſtendatur, ſi quis ab aliquo pronuncietur a-renæ numerus, etiamſi hunc talem eſſe non no-rit, poſſe iſtiuſmodi datâ hypotheſi, quamuis falsâ, numerum aliquem ſtatui, etſi ad cœlum vſque arena coaceruaretur & exaggeraretur, maiorem.

Archimedes libello dicto ψαμμίτης. Claui. in ſphær.

Itaque hyperbolicè, ad ingentem hoſtium multitudinem ſignificandam, comparatio are-næ hominibus innumerabilis adducitur. ita perſuaſum, Poetis etiam

Virg 2. Geo. ——— *Neque enim numero comprendere refert,*
Quem, qui ſcire velit, Libyci velit Aequoris idem
Diſcere, quam multæ Zephyro turbentur arenæ.

Horat. lib. 1 Od 28. Alter. *Te maris & terræ, numeroq; carentis arenæ Menſorem.* ———————

Lucan. li. 5. Et, *Non modus Oceani, numerus non deerit arenæ.*

Atque numerum armatorum, quem arena-rum multitudine deſcribit Scriptor diuinus, ſi-gnatum exprimit Ioſephus, dicitq́, peditum fuiſſe myriadas 30. id eſt, trecenta millia: equi-tum myriadem, id eſt, decem millia: curruum duas myriadas, id eſt, viginti millia, apud Zo-naram ſunt triginta millia, ſed hic errat, ille ſo-mniaſſe putatur.

Aliquando autem ad hanc comparatio-nem, ſtellæ adiunguntur, hyperbolico item glutino.

Gen. 22. 17. *Multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli,*

Cœli, & velut arenam, quæ eſt in littore maris.

Deut. 1.10. *Dominus Deus veſter multiplicauit vos, & eſtis hodie ſicut ſtellæ cœli plurimi.* Dominus Deus patrum veſtrorum addat ad hunc numerum multa millia.

Nahum 3.16. *Plures feciſti negotiationes tuas, quā ſtellæ ſunt cœli.*

Iiſdem comparationibus rem attollunt pro-fani, Ouidius:

Tot mala ſum paſſus, quot in æthere ſidera lucent:
Paruaq; quot ſiccus corpora puluis habet.

Corrippus li. 3.

Quot cœlum guttas mittit, quot littus arenas.

Seneca in Trag. Medeæ,

Prius arenis numerus deerit.

Sed, dices fortaſſe, ſolito tuo acumine, hæc in gentilium ſcriptis eſſe hyperbolica, in ſacrorū abſque tropo, ſtupidum profectò acumen, cui cuſpidem addat Auguſtinus, qui differens de tertia promiſsione Dei, qua terram Chanaan, Abrahæ & ſemini eius in æternum pollicitus eſt Deus. *Poteſt* (inquit) *videri ad hoc pertinere, & faciam ſemen tuum tanquam arenam terræ, quod ea loquutione dictum eſt, quam Græci dicunt Hyperbolen, quæ vtique tropica eſt, non propria. Quo tamen modo, vt cæteris tropis, vti ſolere Scripturam, nullus, qui eam didicit, ambigit. Iſte autem tropus, id eſt, modus loquutionis fit, quando id, quod dicitur, longè eſt amplius, quàm quod eo dicto ſignificatur. Quis enim non videat, quod ſit incomparabiliter amplior arenæ numerus, quā poteſt eſſe omnium hominum ab ipſo Adam, vſque ad terminum ſeculi? Quanto ergo magis quàm ſemen Abrahæ, nō ſolum quod pertinet ad Iſraeliticam gentem, verumetiam, quod eſt, & futurum eſt, ſecundum imitationem fidei toto orbe terrarum in omnibus gentibus. Quod ſemen in comparatione multitudinis impiorum,* *Lib. 16 de Ciuit. c. 21.*

profectò in paucis eſt, quamuis & ipſi pauci faciant innumerabilem multitudinem ſuam, quæ ſignificata eſt ſecundum hyperbolem per arenam terræ. Idem Auguſtinus lib. 5. in Iulianum docet, Hyperbolem ad animos audientium permouendos adhiberi, & tamen ſunt, *qui ruſticano more, ac modo malint diuinas Scripturas enarrari, quàm doctè*, inquit Auguſtini Commentator.

Ludou. Viues lib. 16. de Ciu. c. 21.

Cum caneret Moſes in Epinicio ſubmerſionem celerem Aegyptiorum, inter tot figurarum floſculos deſiderari minimè paſſus eſt, vt in elegantiſsimo roſario Hyperboles violam, quâ præcipuum miraculum complecti placuit. Excipite diuinum Poetam:

Exo. 15. 5. *Abyſſi operuerunt eos, deſcenderunt in profundum quaſi lapis.*

ꝟ. 10. *Flauit ſpiritus tuus, & operuit eos mare: ſubmerſi ſunt quaſi plumbum in aquis vehementibus.*

Plumbo nihil grauius, nihil ſaxo durius, vtrique adſimilatur peccator, & comparatione attollitur grauitas, & duritia, vt apud Comicum:

Plautus.

Ita ſunt omnes noſtri ciues. Si quid bene
Facias, leuior pluma gratia eſt.
Si quid peccatum eſt, plumbeas iras gerunt.

O quàm ingenioſe mixta Hyperbole conditionem multorum exprimit, quibus iniuria deſcendit in pectus, manetque ceu plumbum, immobilis, beneficium cum eorumque gratia qualibet adfectus aura inſtar plumæ commouetur, euaneſcit, auolat. Addite ad ſuperiora, & iracundiæ diuinæ efficaciam deſignandam accommodatiſsimam Hyperbolem, eiuſdem Vatis:

Exo. 15. 7. *Miſiſti iram tuam, quæ deuorauit eos ſicut ſtipulam.*

Vt ſtipula infirma, leuis, arida, vilis, nulla reſiſten-

ſiſtendi virtute, ſic peccator imbecillis, inconſtãs, mobilis, exſuccus, igni opportunus, interit vt ſtipula, punctulo hyperbolι*κῶς*.

πῦρ ἐγγὺς καλάμης, θάνατος.

Ignem ſi admoueas ſtipulæ, mors eſt.

Non eſt minus ad meum guſtum, quod ſequitur: *Fiant immobiles quaſi lapis.* In Hebræo eſt, ידמו כאבן Iiddemu Kaauen, *ſileant vt lapis*, bellè, ſilentium & taciturnitas promouetur hyperbolicè per comparationem lapidis, qua delectati profani; triuiale illud: **Exo. 15.16**

Statuâ taciturnius exit, **Horat. ad**

Plerumq; & riſu populum quatit. **Florum.**

minus vulgare iſtud apud Xenoph. in Sympoſ. de dicendi imperitis: *ἐκείνων γοῦν μὲν ἂν ἧττον φωνὴν ἀκούσαις ἢ τῶν λιθίνων, minus illorum fortaßis vocem audias, quam ſaxeorum.* Eodem pertinet Hyperbole paræmialis ſtatuâ taciturnior, & illa doctis trita *λίθῳ διαλέγῃ, lapidi loquitur. διὰ τοίχου λαλεῖν, pariete pro interprete vti. πρὸς τὸν τοῖχον λαλεῖς, parietem alloqueris. Ego ero paries*, loquere tu, ait non-nemo apud Plautum. **Apud Adagiographos.** **Truculēto.**

Vt autem taciturnitas, ita rectè quies lapidis imagine per figuram exprimitur, *lapideſcant*, legunt Septuaginta: *ἀπολιθωθήτωσαν*, ſic hyperbolicè olim lapire in vſu erat. Extat etiamnum verſus Pacuuij. ——— ——— *me* **In Periboea.**

Terit fames, pauore fama me concutit,

Lapit cor cura, ærumna corpus concutit.

Optat igitur Moſes poeticâ Hyperbole, vt hoſtes Iſraelitarum reddantur immobiles, Hermæ trunco ſimillimi.

Quid illud? Exodi 36. verſu 19. *Dabo vobis cœlum deſuper ſicut ferrum, & terram æneam*, quam ſignificanter, quàm ſcitè, & ad

ſummam ſiccitatem exprimendam aptè! At quàm hyperbolicè, nubes condenſatæ æris ferriq́ ſimilitudine repræſentatur? Simplicius alibi.

Aggæi 1.10. *Propter hoc ſuper vos prohibiti ſunt cœli, ne darent rorem, & terra prohibita eſt, ne daret germen ſuum, & vocaui ſiccitatem ſuper terram.*

3. Regum 8.35. *Si clauſum fuerit cœlum, & non plueret propter peccata eorum.*

Luc. 4.24. *Quando clauſum eſt cœlum annis tribus, & menſibus ſex, quum facta eſſet fames magna in omni terra.*

Elucidat autem præclarè Hyperboles obſcuritatem D. Ambroſius libr. 11. Hexamer. cap. 4.
3. Reg. 17. *Clauſum* (inquit) *cœlum dictum eſt, temporibus Heliæ, quando in Achab & Iezabel perfidia regnabat, cui populus regali ſacrilegio deſeruiret, eò quod nemo ad cœ-*
Leuit. 26. *lum oculos erigebat, nemo eius auctorem venerabatur, ſed ligna & lapides adorabant. Vnde hoc colligimus? quia in maledictionibus populi Iſrael, dixit Deus: Erit tibi cœlum ſuper caput tuum æreum, & terra tua ferrea, quando pretium perfidiæ luens populus Iudæorum intemperie cœli, & terræ infœcunditate mulctatur. Deníque & Moyſes benedictiones tribui Ioſeph à finibus cœli, & rore, & abyſſis fontium deorſum venientibus, dedit, eò quod moderatione cœleſti terrarum fœcunditas nutriatur.* Ferreum ergo cœlum eſt, quod nullum exudat humorem, quando nullis nubibus imber rumpitur. Eſt etiam ferreum cœlũ ſubobſcurus aer, preſſus, atque nebuloſus colore ferrugineo. Quando rigore frigoris ſtringitur terra, tunc veluti ſuper caput noſtrum humor ſuſpenſus videtur, & per momenta imminere. Idem tractatu in Symbolum monet dici cœlum ferreum, non quod elementorum natura mutetur, ſed quod per æs, & ferrum pœnarum magnitudo monſtretur.

Alia

Alia ſignificatione vſurpatur eadem Hyperbole, Iob 37. 18. *Tu forſitan cum eo fabricatus es cœlos, qui ſolidiſſimi quaſi ære fuſi ſunt:* Vbi cœlorum nomine aer intelligitur, firmitas autem & conſtantia longè lateq́ extenſi, atque extenuati *Pineda in Iob.* æris fuſi comparatione augetur. An hinc ſua fortaſſe exornauit Orpheus, qui de Empyreo canit?

Οὗτος γὰρ χάλκειον ἐς οὐρανὸν ἐστήρικται,
χρυσέῳ ἐνὶ θρόνῳ γαίῃς ἐπὶ ποσθὶ βέβηκε
χεῖρά τε δεξιτερὴν ἐπὶ τέρματος Ὠκεανοῖο. *Suſpicatur Delrio Ada.98.To.1.*
Ipſius ſedem æreo in cœlo firmauit
Aureo in throno: pedibus terræ inambulat,
Dexteram vſque ad Oceani limites porrigit.

Quam concinnè autem, denſatâ Hyperbole, vitæ breuitatem miſeramq́ conturbationem & commotionem hominis ob oculos ponit, in miſeriarum fimeto diſertiſsimus Orator Iobus? *Iob 14. 11.*

Homo natus de muliere quaſi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra.

Profectò non tam citò præciditur, conſcinditur, exciſus cadit, humanæ vitæ, quàm hortenſis flos.

Nam roſa vix lætum calathi dum pandit honorem
Et cadit, & rutilo murice pingit humum.

manet aliquantiſper homo, & paulò conſtantius quàm vmbra, hæc tamen eius fugacitatem meritò repræſentat

Dies noſtri quaſi vmbra ſuper terram, & nulla eſt mora. *1. Par. 29. 15.*
Vmbra tranſitus eſt tempus noſtrum. *Sap. 11. 5.*
Dies noſtri ſicut vmbra prætereunt. *Pſal. 133. 143. 4.*
Dies mei ſicut vmbra declinauerunt. *Pſ. 101. 12.*
Heſterni ſumus, & ignoramus, quoniam ſicut vm- *Iob 8. 9.*

Digitized by Google

bra dies noſtri ſunt ſuper terram. tam fugaces, labi-
les, breues, infidi, inconſtantes, tam nihil quàm
vmbra, quo prouexit hanc Hyperbolem Pa-
tiens?

Iob 7.16. *Parce mihi, nihil enim ſunt dies mei.* Nihil? hy-
perbolicè magis congeminat Pſaltes.
Pſ. 108. 23 *Sicut vmbra quum declinat, ablatus ſum.* Nempe
videbar, duraturus vitam longiſsimam, & ecce
euaneſco, excuſſus ſum ſicut locuſta, noua hy-
perbole, ſed elegans, ita me amet venuſtas Ba-
taua, inquietum animalculum locuſta, nunquã
in eodem loco conſiſtit, ſaltitat continuò, fallit
oculos, donec momento ex oculis ſe ſubducat
talis vita, ſubſiliens locuſta:

Non minus appoſitè alia id Hyperbole ex-
Eccl. 7.1. preſsit, non tamen neglectâ vetere, Sapiens:
*Quid neceſſe eſt homini maiora ſe quærere, quum i-
gnoret, quid conducat ſibi in vita ſua, numero dierum
peregrinationis ſuæ, & tempore quod velut vmbra præ-
terit.*

Lucret. l. 2 Vita velut peregrinatio tranſit.
Augeſcunt aliæ gentes, aliæ minuuntur.
Inque breui ſpacio mutantur ſæcla animantum.
Et quaſi curſores vitæ ſibi lampada tradunt.

Greg. lib. 9. Fructuoſa Hyperbole.
ep. 70. *Peregrinatio eſt vita præſens, & qui ſuſpirat ad pa-
triam, ei tormentum eſt peregrinationis locus, etiamſi
blandus eſſe videatur.*

Baſil in Pſ. 1. & de non adhær. reb. ſecul. *Quemadmodum qui inſtitutum iter expediunt, pe-
dum greſſus ad curſum inter ſe concertantes, ad ante-
riora proferentes, & priorem ſemper pedem terra inni-
xum, veloci alterius tranſpoſitione poſteriorem oſten-
dentes facile ad viæ terminum promouent, ita & qui ad
vitam hanc à Conditore producti ſunt, confeſtim in il-
lius principio temporum articulis ingredientes, & prio-
rem ex illis ſemper poſteriorem relinquẽtes, ad vitæ me-*

tam

Digitized by Google

tam pertingunt. Annon & vobis præſens hæc vita quaſi continua quædam via proiecta, & iter quoddam ætatibus quaſi quibuſdam viatorum diuerſoriis diſtinctum videtur, quod vnicuiq; profectionis initium quidem parturitionem maternam exhibet: Cuius verò terminum ſepulcrorum ſcenas ſubmõſtrat, &, ad illas quoſuis deducit, alios velocius, alios tardius, & hos quidem per omnia temporis interualla proficiſcentes, illos verò ita vt ne prima quidem vita diuerſoria teneant! Aliæ itaque viæ, quæ ab vrbe vnâ ducunt, in aliam declarari poſſunt, ne per illas ambulet, qui nõ vult, hæc verò etiam, ſi differre curſum queamus, viatores ſuos vi receptos ad deſtinatam à Domino metam trahit.

Cauendum monet alius, in hac hyperbolicâ *Aug* 1. *de*
peregrinatione ne amœnitates itineris, & ipſa *doct. Chriſt.*
geſtatio vehiculorum delectet, ita vt conuerſi *c. 4.*
ad fruendum his, quibus vti debemus, nolimus citò viam finire, ſed peruerſa ſuauitate implicati, alienemur à patria, cuius ſuauitas facit beatos.

In ſuperiorum cenſum veniunt:

Dies mei velociores fuerunt curſore, fugerunt, & non *Iob* 9. 25.
viderunt bonum.

Pertranſierunt quaſi naues poma portantes. *v. 26.*

Sicut aquila volans ad eſcam.

Triplex ſimilitudo ex iis dicta, quæ in tribus elementis velociſsima ſunt, & dicto citius præterlabuntur CVRSOR, NAVIS, AQVILA. *Sap.* 5. 9.

Tranſierunt omnia (inquiunt improbi iam damnati) *tanquam vmbra, & tanquam* NVNCIVS *velociter percurrens* ὡς ἀγγελία παρατρέχουσα, annunciatio, nuncium, fama.

Nuncium quum adfertur, tamdiu conſiſtit,

Digitized by Google

quoad ab ore in aures migrat. Nuncius, curſorque quà talis, nunquam, & nuſquam vita, ſem-
V.10. per præteruolat.

Et tanquam nauis, quæ pertranſit fluctuantem aquam, cuius, quum præteriit, non eſt veſtigium inuenire, neque ſemitam carinæ eius in fluctibus.

Dum viuimus,

Ouid. *Tollimur in cœlum, nunc imas radimus vndas.*

Aut auis quæ tranſuolat in aere, cuius nullum inuenitur argumentum itineris illius, ſed tantum ſonitus alarum verberans leuem ventum, & ſcindens per vim itineris aerem, commotis alis tranſuolauit, & poſt hoc nullum ſignum inuenitur itineris illius.

Aut tanquam ſagitta emiſſa in locum deſtinatum diuiſus aer continuo in ſe recluſus eſt, vt ignoretur tranſitus illius.

Sic & nos nati continuo deſiuimus eſſe.

Sap. 5. 15. *Spes impij tanquam lanugo eſt,* ὡς χνοῦς *tanquam*
Oſe. 10. 7. *puluis, quem proijcit ventus à facie terræ tanquam ſpuma gracilis, quæ à procella diſpergitur. Transſire faciet Samaria regem ſuum, quaſi ſpumam ſuper faciem aquæ.*

Sap. 5. 15. *Tanquam fumus qui à vento diffuſus eſt.*
Pſal. 72. 18 *Deficientes quemadmodum fumus deficient.*
Sap. 5. 15. *Tanquam memoria hoſpitis diei vnius prætereuntis.*
Iob 7. 7. *Dies mei velocius tranſierunt, quam à texente tela ſucciditur, & conſumpti ſunt abſque vlla ſpe.*
Iob 7. 6. *Memento quia ventus eſt vita mea.*
Pſal. 89. 10 *Anni noſtri ſicut aranea meditabuntur.*

Ad eadem ſigna conuoco exaggerationes illas, quæ Dei vocabulo exprimuntur, ſuntque in ſacro ſermone frequentiſsimæ. Geneſ. 33. 10. Iacob Eſauo minimè diuino: *Sic vidi faciem tuam, quaſi viderim vultum Dei.* Extollitur penè immenſum hac auxeſi vultus humani, ſupra hominem dignitas, nec illuſtriorem habent Hyperbolem poetæ

poetæ qua hominis maieſtatem educant. Au-
ctor Octauiæ.

——— *Membraq; & vultus Deo* V.171.
Similes volanti.

Virgilius 1. Aeneid.

Os humeroſque Deo ſimilis, namq; ipſa decoram,
Cæſariem nato genitrix, lumenq; iuuentæ
Purpureum & lætos oculis afflaret honores.

Q. Catulus:

Mortalis viſus pulchrior eſſe Deo.

Calpurinus Eccl.7.

——— *niſi me decepit viſus in vno*
Et Martis vultus, & Apollinis eſſe putaui.

Idem Græcis arriſit Homer.

ὄμματα καὶ κεφαλὴν ἴκελος Διῒ τερπικεραύνῳ
Ἄρεϊ δὲ ζώνην, στέρνον δὲ Ποσειδάωνι

Idem:

Θεῷ ἐναλίγκιος αὐτήν.

Ruffinus in Epigrammatibus.

Τοὺς μαστοὺς παφίης, τὰ σφυρὰ τῆς Θέτιδος.

Nempe, formoſa, auguſta, grandia, quæque antiqui per comparationem hyperbolicam Diis aſsimilabant.

Inter antiquas vrbis inſcriptiones à Iacobo Mazochio collectas vna eſt peruetus, in qua ſic habetur:

FONDI HVIVS DOMINOS INFANS
HIC IACET
SIMILIS DEO.

Et hodie etiamnum Belgæ, qui Germanico idiomate vtimur, inquit Delrio, quum volumus infantulum aliquem innuere formoſulum, & puellulum, dicimus: *Delrio Animad. in Senec. Octaui.*

Een Kindt, gelyck een Ieſusken,
Puerulum inſtar Ieſuli.

Extenditur eadem hyperbole ad alia quam-
Pſ.79.11. plurima, & diuerſiſsima, qualia
Gen. 32.2. *Arbuſta eius: cedros Dei.* maximè enodes, fortes
1.Par. 12. altas, frondoſas.
2. Reg. 14. *Caſtra Dei. Exercitus Dei. Angelus Dei.*
20. *Princeps Dei.* nam quicquid in quaque re ma-
Gen.23.6. ximum & præſtantiſsimum Dei hyperbolicè
dicitur quaſi diuinum excellentiâ ſingulari.

DISSERTATIO VIII.

Exempla ſacra Hyperboles QVARTI MODI.

QVartus modus Hyperboles, quo ſignis aliquibus augeſcit res propoſita, vt
Horat. *Sublimi feriam ſidera vertice*
Seneca. *Altum ſuperbo vertice attingens polum.*
non paucioribus exemplis ex diuina Scriptura petitis ſtabiliri poſſet, ſed infinitū eſſet ire per ſingula, quod nec in aliis modis tentatum, itaque pauculis contenti erimus, quorum agmen ducat, quia ab Auguſtino animaduerſum, qui
Epiſt. 59 reſpōdens Paullino ad nouem propoſitas quæſtiones. In 67. Pſalmo (inquit) quod quæris, quid ſit
Pſ. 67. 22. *Deus confringet capita inimicorum ſuorum Verticem capilli perambulantium in delictis ſuis:* non mihi videtur aliud dictum, quàm *Deus conquaſſabit* (ita legit S. D.) *capita inimicorum ſuorum nimium ſuperbientium, nimium ſe extollentium, in delictis ſuis. Per Hyperbolen quippe ſignificauit ſuperbiam tantum ſe extollentem, & tantâ elatione incedentem, quaſi capillo verticem perambulando calcaret.*
Gen.49.8. Benedicens Iacob Iudæ filio: *Iuda* (inquiebat) *te laudabunt fratres tui. Manus tua in cer-*
uicibus

uicibus inimicorum tuorũ. Signo vincentium proprio, attollitur de triumphis pollicitatio. Figuratam loquutionem elucidat Chaldæus: *Manus tua præualebit contra inimicos tuos.* Eiuſdem venuſtatis eſt:

Inimicos meos dediſti mihi dorſum, *Pſal. 17. 41*

id eſt, feciſti vt fugerent, & fugientes ex fuga retraherem; an etiam, vt ex iis pro ſuppedaneo vtetur? ſicut Sapor Perſa vſus Valeriano Romanorum, & Tamberlanes Baiazete Turcarum Imperatore? *Trebellius Dionyſ apud Euſeb. lib 7 c 9 Iouius in vitis R Turcarum lib. hiſt. Turcica.*

Comminuam eos vt puluerem, ante faciem venti
Vt lutum platearum delebo eos.

Extrema hoſtium calamitas appoſitiſsimis ſignis euehitur, adhibitis, vt in Hyperbole fieri amat, tralationibus à luto in aceruos congeſto, quod in plateam eiicitur: ita nimirum fœtida illorum cadauera diſpergam, Hebræi, exinaniam, euacuabo, effundam eos. ℣. 43.

Iob 16. ℣. 13. *Tenuit ceruicem meam, confregit me.*

Qui luctantur manu iniectâ ceruici, aut collo ad terram allidunt, & reſupinum proſternunt aduerſarium; & vir robuſtus puerulum ceruice arreptum, in terram abiicit, & pugnis, calcibuſque conterit. Sed Emphaſim hyperbolicam habet. *Confregit me,* nimirum, vt teſtam, cuius partes alliſæ ad lapidem diſsiliunt, ac diſperguntur. Ita ſplendide extremam calamitatem ſuam Iobus deuicti à Luctatore imagine, & teſtæ in minutiſsimas partes diſsilientis, nec reparabilis, exaggerat.

Baruch 4. 25. *Super ceruices eius aſcendes.* An id factum? quod ſignificabatur tropo haud dubiè: nam ſimpliciſsimè dixeris, domabis; debel-

debellabis eum,deiecti colla calcare ſignum eſt victorioſi dominatus, & in victis extremæ ſer-
Nic Serar. ibid q 37. uitutis,ac ignominiæ.

Ioſue 10.24. *Ite, & ponite pedes ſuper colla regum iſtorum.*

Idem indicant tum veteres ſtatuę,tum hiſto-
Vide Baro. riæ, & quod de Abrenobardo Friderico referunt nonnulli,qua fide non diſputo,eius Venetiis ſeruicem preſsiſſe Alexandrum Papam addito Elogio.

Pſal. 90. *Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis,& conculcabis leonem & draconem.*

Exodi 19.4. *Vos vidiſtis, quæ fecerim Aegyptiis, quomodo portauerim vos ſuper alas aquilarum.* Septuaginta, ἀνέλαβον ὑμᾶς ὡσεὶ ἐπὶ πτερύγων ἀετῶν, *Suſtuli vos ſicut ſuper pennas aquilarum.* Certè non fuêre portati Iſraelitæ vectatricibus Aqui-
R. Selomo. lis,ſed hoc ſigno hyperbolicè profectionis cō-
Caietan. moda proponuntur. Admiranda fuit in vos mea protectio: portati eſtis inuulnerabiles, innoxij,tuti. Nam aquila fert pullos non vnguibus,vt aues cæteræ,ſed locatos in humeris,protegit expanſione alarum: vt etiamſi ab imo quis iaculis petat, ipſam potius, quàm pullos vul-
Abul q. 43. neret. Sine labore & fatigatione iter confeciſtis,vt pulli in humeris Aquilæ. Celerrimè tranſuecti eſtis. Quando velocem deſideramus in-
S Hieron. in 4.c. Marci. telligi (inquit S. Hieronymus) ventis, aut auibus comparamus. Et neſcio quis Poeta:

Quin mage præueniens, Aquilas vis pigra Elephantûm

Abd. 1.4. *Præcurret,volucremq́; piger teſtudo moloſſum.*

Abdi. 1. 4. *Arrogantia tua decepit te, qui habitas in cauernis petræ, & apprehendere niteris altitudinem cœli. Quum exaltaueris quaſi aquila nidum tuum,inde detraham te,dicit Dominus.*

Ad

Ad Gelat. 4. 15. *Si fieri poſſet, oculos veſtros erniſ-ſetis, & dediſſetis mihi.* Quam Pauli orationem à ligno petitam non eſt dubium; & monet ibi Hieronymus, ad Hyperbolem ſpectare: & egregiæ ac penè incredibilis beneuolentię habere ſignificationem. Nihil enim ferè eſt in corpore humano, quod præter cæteros, tradit Ariſtoteles, oculorum lumine præſtabilius, aut quod pluris iure optimo fiat. Cum Tobiæ benè precaretur Angelus, *Gaudium tibi ſit ſemper*: reſpondit ſenex: *quale gaudium mihi erit, qui in tenebris ſedeo, & lumen cœli non video?* Ah! quale gaudium habere iam poſſum, qui in tenebris miſer vitam ago, iucundiſsimaq; lucis vſura nulla fruor. *Oculi*, inquit Plinius, *pars corporis pretioſiſſima, qui lucis vſu vitam diſtinguunt à morte*, Philo verò: *Viſus oculorum inter omnes ſenſus eſt præcipuus, quo ſolo percipimus res pulcherrimas, Solem, Lunam, cœlum, mundum vniuerſum.* Alibi inter cæteros ſenſus, imperium penes oculos eſſe voluit, ideo hos quoque in ſublimi collocauit, vt principes, & quidem variis modis honoratos, ſed præcipuè loco tam inſigni & conſpicuo, & Auguſtinus: *Cum ſit in quinque ſenſibus cæteris excellentior viſus*, quum igitur tanti fiant oculi, ſummę ſignum beneuolentiæ eſt hyperbolικῶς expreſſum, tantoperè amare ſodalem, vt ipſos oculos effoſſos, ſi fieri id poſſet, vltrò daturus ſit. Plautus diceret, amare oculitus. Huc faciunt ſimiles locutiones.

Libr. 1. Metaph. initio.

Tob. 5. 11. 12.

Plin. lib. 11. cap. 37.

Li. de Abr.

Li. de prau. leg.

Epiſt. 3. ad Voluſia.

Serm. 33. de verbis Do.

Plaut. apud Nonium Marcell. pro animitus.

Pſal. 16. 8. *Cuſtodi me vt pupillam oculi.*

Prou. 7. 2. *Serua mandata mea, & viues, & legem meam, quaſi pupillam oculi tui.*

Zach. 11. 8. *Qui tetigerit vos, tanget pupillam oculi mei.*

Contra quum quidpiam obſirmato animo negamus, & quiduis potius nos conceſſuros ſigni-

gnificamus, eodem tropo oculos nobis potius
Pſeu. eruendos dicimus, ſic ille apud Plaut.

Excludite Hercule oculum, ſi dedero.

Sentit quiduis potius futurum, quam vt ſeruo daret argentum pro amica filij. Sic de auaro dicere ſolemus. *Prius illum oculos, quam pecuniam ſibi eripi paſſurum.*

Dauid Pſ. 130. 2. *Si nõ humiliter ſentiebã, ſed exaltaui animam meam, ſicut ablactatus eſt, ſuper matre*
Lorin. *ſua, ita retributio in anima mea.* Dixerat regius Va-
Bellarmin. tes, ab omni ſe ſuperbia ſemper alienum fuiſſe, quod vt cõfirmet, adhibet execratorium iuramentum, præclara illuſtratum hyperbole, quâ res ſigno ab infantili ætate petita, augeſcat. Imprecatur ergo ſibi hyperbolικῶς, niſi ita ſit, quod humiliter de ſe ſenſerit, quod compoſuerit, ſe ad æqualitatem cum cæteris, quod ſuprà neminem ſe extulerit, vt eum ita Deus tractet, atque ab ſe ipſo abiiciat, priuatum dulcedine conſolationis, & fauoris diuini, quemadmodum infans, puerve recens, ac præſertim ante tempus ablactatus hæret in ſinu, vel ſuper genua matris mœſtus, & plangens, quià dulcedine lactis, qua nullam maiorem expertus eſt, aut experiri ſe poſſe ſperat, priuatur. Vel hoc ſibi reddi pro elatione precatur, vt puero ſimilis ablactato, qui præ imbecillitate animi corporisꝙ, ac omnis opis egens, cogitur conſectari matrem, & ab ea victum & vitam veluti emendicare, deiiciatur etiam ipſe, & alieno viuat auxilio, arbitrioque. Alio modo poteſt eſſe imprecatio, deprecationi coniuncta, vt Deus corripiat inſoleſcentem, ac ſuperbientem eo modo, quo mater amaræ rei ſapore ablactat, & ab vberibus reiicit puerum, habitura nihilominus eius curam.

Pſal.

Pſal. 61. 9. *Veruntamen vani filij hominum, mendaces filij hominum in ſtateris, vt decipiant ipſi de vanitate in idipſum.* Illuſtrem hyperbolem continent Hebræa, quæ ſic habent: Vanitas filij hominum, mendaces filij hominum in ſtateris, ad aſcendendum ipſi præ vanitate in idipſum. Id eſt, filij hominum non tantum vanitas ſunt, & mendacium, quod ipſum tamen eſſet hyperbolicum, ſed etiam poſiti in ſtatera cum ipſa vanitate aſcendunt præ vanitate, ac per hoc leuiores, & magis vani, quàm ipſa *VANITAS.*

DISSERTATIO IX.

EXEMPLA SACRA HYPERboles minuentis.

HOc quoq; genus à Sacris non eſt alienum, quo rectiſsimè vſus Dominus Chriſtus, dum admirandam Baptiſtæ parſimoniam deprædicaret. *Venit Ioannes neque manducans, neque bibens.* Explicant aliqui, quia nemo eum manducare viderat, aut quia parcè admodum, & leuiter manducabat, aut quia non more aliorum hominum, ſed ferarum potius cibis viuebat, vtvt ſit, minuendi vis interuenit hyperbolica, quæ & in illo *Mat. 11. 18*

Terrebit eos ſonitus folij volantis, & ita fugient, quaſi gladium, cadent nullo perſequente. *Leu. 26. 36*

Augetur terror Panicus ſigno addito, eodemque cauſa pauoris minuitur artificioſiſsimè, de ſimili terrore *Vide Politiani Miſcella c. 28. Minos in Embl. Alciati. Lil. Giral. Syntag. Deor. 13.*

Deuter. 2. 25. *Hodie incipiam mittere terrorem, atque formidinem tuam, in populos, qui habitant ſub*

omni

omni cœlo, vt audito nomine tuo paueant, & in morem parturientium contremiſcant, & dolore teneantur.

Simile quid canit Nazianzenus de quibuſdam quos inania terriculamenta commouent, & vmbræ perterrefaciunt.

Φύλλων λαγωοὺς ἐκφοβοῦσιν οἱ κτύποι
Ἄνδρας δ' ἀνάνδρους, αἱ σκιαὶ τῶν πραγμάτων.
Foliorum ſonitus lepuſculos.
Viros euiratos vmbræ rerum territant.

Aliam comparationem profanus commentabatur inducens hinnulum, quęritantem matris ſolatia.

Horatius. *——————— non ſine vano*
Aurarum, & ſyluæ metu.
Nam ſi mobilibus veris inhorruit
Aduentus foliis: ſeu virides rubum
Dimouere lacertæ,
Et corde, & genibus tremit.

tales effœminati, ſoliti.

Ariſt. in Eth. ad Nicom. Πάντα δὲ δίειναι, κἂν ψοφήσῃ μῦς.
Pauere omnia, etiam cum mus obſtrepit.

Magis declaratâ auxeſi Sophocles:

Sophocles. Ἅπαντα γάρ τοι τῷ φοβουμένῳ ψοφεῖ.
Nihil non timido obſtrepit.

Iob 15. 21. Deducit hunc timorem non abſque alia Hyperbole Iobus: *Sonitus terroris ſemper in auribus illius, & quum pax ſit, ille ſemper inſidias ſuſpicatur. Nõ credit, quod reuerti poſſit de tenebris ad lucem, circumſpectans vndique gladium. Quum ſe mouerit ad quærendum panem, nouit quod paratus ſit in manu eius tenebrarum dies: terrebit eum tribulatio, & anguſtia vallabit eum, ſicut regem, qui præparatur ad prælium.*

Fallor, an arma ſonant, non fallor, arma ſonabant.

Sap. 17. 19. Subiicit alia Sapięns, & multiplicat Hyperbolem. *Siue*

Siue ſpiritus ſibilans, aut inter ſpiſſos arborum ramos auium ſonus ſuauis, aut vis aquæ, decurrentis nimium. LXX. (rithmus aquæ) *aut ſonus validus præcipitarum petrarum aut ludentium animalium curſus inuiſus, aut mugientium valida beſtiarum vox, aut reſonans de altiſſimis montibus* Echo, *deficientes faciebant illos præ timore.*

Geneſ. 41. 44. Dicit Rex ad Ioſeph: *Ego ſum Pharao abſque tuo imperio, non mouebit quiſquam manum aut pedem in omni terra Aegypti.* Bardus ſit, qui hic non agnoſcat prouerbialem Hyperbolem. Idem autem eſt, ac ſi dixiſſet: *Non licebit in vllo negotio vel minimum quid agere abſque te.* In omnibus cuncta tuo fient arbitrio. Libera tibi erit de vniuerſis diſponendi poteſtas.

Pſal. 106. 26. *Aſcendunt vſque ad cœlos, & deſcendunt vſque ad abyſſos,* vbi neſcis, augendi ne an minuendi vim magis admirari debeas, ſicut in ſimillima Domini ſententia

Matt. 11. 23. *Et tu Capharnaum, nunquid vſque in cœlum exaltaberis? vſque in infernum deſcendes.* καταβιβασθήσῃ deprimeris, detruderis. *Salmeron. Tom. 1. Prolego. 12.*

DISSERTATIO X.

VOX VNIVERSALIS OMNIS

Hyperbolicè accepta apud ſacros Scriptores.

Pſeudolus. Oecumenius.

Pſ. NVbem, teſtium à te denſari video Oecumeni, ſed neſcio, an non quod dici ſolet, extra chorum ſaltites. Nam non ego dicam,

E ſcripſi

ſcripſit Ieſuitis, quod Hyperbolem moderatè vſurpent in loco, & tempore, ſed quod vocibus vniuerſalibus vtantur hyperbolicè; hoc illud crimē, ob quod Iudicum ſeueritatem imploro.

Occ. O mendacem ſui memorem! quaſi non dictum haud ita pridem, à ſacris procul ab eſſe debere Hyperbolem: eâ contaminari diuinis eius conſortio mendacij ſuſpicionem in ſacroſancta adyta irrepere: ob hyperbolem *IESVITAS* fallitatis, imprudentiæq; merito haberi fabros: eiuſdem eſſe patroni, Hyperbolem & mendacium defendere. Sed hæc diſsimulemus. O diuinum Oratorem, qui neſciat vt infinitum eſt in definito, ita ad illud tamen referri vniuerſa. Illam partem orationis, vt pueri docti ſumus, quæ eſt de genere vniuerſo, totas in ſe cauſas continere. Quicquid eſt illud, in quo quaſi certamen eſt controuerſiæ, quod Græcè κρινόμενον dicitur, id ita tractari oportere, vt traducatur ad perpetuam quæſtionem, atque de toto genere diſſeratur. Sunt enim reuera exactiſsimæ orationes illæ, quæ latiſsimè vagantur, & à priuata ac ſingulari Controuerſia, ſe ad vniuerſi generis vim explicandam cōferunt, & conuertunt, vt ij qui audiunt, natura & genere, & vniuerſa re cognita de ſingulis poſſint ſtatuere. Itaque bonæ cauſæ patronum à propriis perſonis & temporibus ſemper ſi poteſt, auocare controuerſiam. Latius enim ſanè, & exquiſitius de genere, quàm de parte aliqua diſceptatur, & quod in vniuerſo eſt probatum, id in parte probari ſapientibus neceſſe eſt. Quū igitur vniuerſim ſit demonſtratum abundè, vtiliſsimam eſſe in ſacris Hyperbolem, quis niſi, verbis magis quàm iudicio abundans, & ſtupor ipſe, vitio vertat Theologiæ Doctoribus

quod vocibus ſacræ Hyperboli maximè conſecratis probatam ſuperiectionem indicent. Verum, vt nullum tibi pateat effugium, Pſeudole, & hanc diſputationis partem in me ſuſcipiam, oſtendamq́ luculentiſsimè nullam eſſe à te nominatam particulam, quâ, vel ſimili, non hyperbolicè vtatur ad exactiſsimam omnia regulam exigens, prima veritas, quam in Codice diuino veneramur, vt mutato deinceps titulo ſcribere poſsis.

PRODIGA SCRIPTVRAE SAcra in vocibus vniuerſalibus liberalitas.

SEd caue, vt, qui replet orbem terrarum, & ſcientiam habet vocis, blaſphemię potiſsimũ, & maledicæ, mendacem in vocibus vſurpandis facias. *Sap. 1. 7.*

Atque vt ordiamur à dictione diſtributiua, quæ maximè vniuerſalis habetur, Latino OMNIS, Græco πᾶς, ſi exiſtimas eam vbique in diuinis oraculis, ſanctorumq́ libris, tam generatim accipi debere, ſiue in dinumeratione, ſiue alia quauis narratione, vt nemo deeſſe debeat, quando profertur, non te multæ litteræ, ſed litterarum imperitia, & iudicij imbecillitas extrema ad inſaniam redegit, cui vt medear, nam me miſeret, indignationi ſiquidem inferiorem te reor, ſuggero vocem

Omnis quadrifariam ferè accipi. Primò, vt extendatur ad ſingulos, in aggregatione, eâ particulâ deſignatâ, contentos, nullo planè dempto: & hæc eſt ſimplex propriaque vocis ſignificatio. Secundò, vt complectatur maiorem partem, vel magis dignam, & grauiorem, tritum eſt illud olim in ſenatu, nunc *Quadruplex acceptio OMNIS*

Eccleſiaſticorum conſeſſu ſucclamari ſolitum in adſenſu *OMNES, OMNES.* Tertiò, vt contineat partem admodum magnam, licet deſint multi, addo & potiores. Sic totam ciuitatem, ciues omnes ſe effundere ad ſpectaculum dicimus. Quartò, vt deſignet ſolum primates, at quantula illi pars Reipublicæ? ſic omne regnū, omnes populares conſenſiſſe paſsim ſpargitur, quum Optimatibus ita viſum.

Coties igitur à ſacris Auctorib. vox *OMNIS*, aliis, quam primo illo modo vſurpatur, toties illis Ariſtarchus Batauus litem intendit, & de prodiga-liberalitate argui poſſe iudicat. Annon hunc nihilo plus ſapientem in literis, quam ver uecem diceret, vel mediocris Theologus? Quid enim vſitatius in ſcriptis diuinis quam *OMNEM* non ad *OMNEM* extendi. Nunquam finis eſſet Actionis hodiernæ ſi numerationem ſingulorum aggrederer locorum, quæ ad rem faciunt, quare iudicio ſeligam, quæ magis opportuna.

Primus inter mortales ſcriptor hiſtoriæ ſacræ, cuius anima *VERITAS* referens, ex fide haud dubiè, generis humani in ſcelus diuerſum
Gen. 6. 4. pronitatem, ex corruptione *Videns* (inquit) *Deus quod multa malitia hominū eſſet in terra, & CVNCTA cogitatio cordis intenta eſſet ad malum OMNI TEMPORE.* Obſerua duplicem vocem vniuerſalem, *CVNCTA*, vel, *OMNIS*, eſt enim Græcè πᾶς τις διανοεῖται, & *OMNI TEMPORE* πάσας τὰς ἡμέρας, Hebraicè ad verbū: Vechol-leger Machſceuoth libbo raq ragh col-haim. *Omnis imaginatio cogitationum cordis eius tantum malum omni die.* Chaldæus: *Omnis ſenſus cogitationis.* Quò quò te vertas, hyperbolem reperies, à cuius complexu eximendum ſit aliquid, quod prima fronte latet. Nam tota ſententia non fuiſſe

fuiſſe comprehenſum Noe ſatis cōſtat. Et dum cuncta cogitatio dicitur, non negatur boni aliquid illos cogitaſſe, dixiſſe, feciſſe aliquando, ſed id adeo infrequens, exiguum & parui momenti fuiſſe, vt pro nullo, vel nihilo ſit habendum.

Notauit hoc eximius libri Geneſeos interpres è noſtris Benedictus Pererius, & Moſes orationem docet eſſe hyperbolicam, qualis in diuina (inquit) Scriptura frequens eſt. Ex qua non debet intelligi, quod ſimpliciter & præciſe ſonant verba, ſed maximum aliquid. Vult enim Moſes ſignificare, homines illos plurimum, & maxima ex parte, quæ mala & flagitioſa ſunt cogitaſſe, & feciſſe, adeo vt ſi quid illi fecerint boni, id leue admodum, exiguum, & rarum fuerit, ac pro nihilo habendum. Idem ſequenti Diſp. *Moſes vtitur loquutione hyperbolica, quæ non omnino generaliter, ſed plurimum, & maxima ex parte interpretanda & intelligenda eſt.* Nam quia plerique omnes illius ætatis, & pleraque illorum opera erant flagitioſiſſima; ita vt vix vnus, aut alter eſſet vir bonus, veruſque ac pius Dei cultor, verè dicere potuit, *CVNCTAM* cogitationem humani cordis intentam eſſe ad malum. Perer. Diſp. 4. Diſp. 5.

Diſertè etiam vir doctiſsimus Delrio. *Quicquid oggāniant vulpeculæ, his ac ſimilibus locis ineſt Hyperbole, ſeu amplificatio, frequens ſacræ Scripturæ, qua non totum id, quod verba ſonant, ſed plurimum quid, & ſummum debet intelligi, vt hoc loco, deſcribitur,* ſiquidem ad peccandum impetus, & libido, quæ tanta in illius æui hominibus, vt non eguerint externa occaſione, conſilio, aut ſuaſu ad peccandum, nec errore, aut infirmitate lapſi ſint, ſed ex merâ ac deliberatâ malitiâ; ita vt id Delrio in Gloſſa.

ſolum animo voluere, & in cordis officina fingere viderentur: neque rarò, aut per interualla, ſed omni die, omni momento. Quâ tamen figurata auxeſi non negatur eos aliquando aliquid boni cogitaſſe.

Non me latet, temporis noſtri Nephelim, vt impia ſua dogmata ſtabiliant, conſtringantque libertatem humanam, quamuis ipſi, vt onagros ſe liberos natos velint, extenſionem hic fingere, vniuerſalitati temporis, ac ſubiecti reſpondentem: & ſententiam ſacri Scriptoris ad vniuerſum genus humanum, etiam ad iuſtos, ſanctoſque viros detorquere, & omne omnino tempus. At quam non inſcienter ſolum, ſed & impudenter id faciant, me tacente ſi animum paululum intenderis, facile intelliges, & quos laudaui auctores docebunt. Quod enim Caluinus adfirmat, ideo ad omnes omnium ætatum mortales trahendum id eſſe, quoniam, vt inquit, *non eſt eo loci ſimplex de paucis hominibus querela, ſed humani generis deſcriptio*, vbi ſpiritu Dei vacuum relinquitur; & falſum ſupponit, quia ſolum eſt deſcriptio, illo æuo viuentium; & ſermo eſt de moribus, vitæque inſtituto, non de ingenio vel naturâ, & hyperbolicam formulam non remouet, nam iuſtos ſaltem omnium temporum non complectitur. Immo hos etiam
Caluin. lib. Inſtit. c. 14. §. 4. vel maximè (dicit Caluiniſta) ex Magiſtro enim noſtro didicimus: *Ne vnum quidem à Sanctis exire opus, quod ſi in ſe cenſeatur, non mereatur iuſtam opprobrij mercedem.* Et, *duobus his fortiter inſiſtendum nullum vnquam extitiſſe pij hominis opus, quod ſi ſeuero Dei iudicio examinaretur, non eſſet damnabile.* Ad hæc, *ſi tale aliquod detur (quod poſſibile homini nõ eſt) peccatis tamen, quibus laborare hominem, auctorem o-*
7. 18 *peris certum eſt, vitiatum ac inquinatum, gratiam perdere.*

ere. Apage deliramenta infelicis cerebri. Annõ homo iuſtus, eſt arbor illa bona, quę non poteſt malos fructus facere? facit ergo bonos. quoſnam illos? Fructus ſpiritus, *qui ſunt charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas.* Hi ſanè fructus non ſunt figmentum cordis prauum. De Iobo legis. *In omnibus his non peccauit Iob labiis ſuis, nec ſtultum aliquid contra Deum loquutus eſt.* Itaque non cuncta cogitatio cordis eius intenta fuit ad malum omni tempore. De eodem ipſe Deus ad calumniatorem: *Nunquid conſideraſti ſeruum meum Iob, quod non ſit illi ſimilis in terra, vir ſimplex & rectus, & recedens à malo, & adhuc retinens innocētiam.* Quum recederet à malo, erat-ne tunc omne figmentum cordis eius tantum malum? De ſe Dauid, & dubio procul non fallendi cauſa: *Probaſti cor meum, & viſitaſti nocte, igne me examinaſti, & non eſt inuenta in me iniquitas.* Non igitur erat omnis ſenſus cogitationis eius prauus. Sed his minimè immorandum quæ ſua ſeſe abſurditate interimunt.

Ad Gal. 5. 22. — *Iob 1. 22.* — *Iob 2. 3.* — *Pſal. 7. 9.*

Eodem, quem antea produxi, capite, vniuerſe ſcribitur: *Omnis caro corruperat viam ſuam ſuper terram.* Quomodo (ſancte ſcriptor) tam prodige? non metuis, ne mendacij, & impoſturę arguaris, quum paulò ante dixeris: *Noe vir iuſtus atque perfectus fuit in generationibus ſuis:* i. toto vitæ decurſu, etiam inter tam corruptos illius ſeculi homines, etiam præ maiorib. ſuis: quam laudem firmat Siracides: *Noe inuentus eſt perfectus, iuſtus, & in tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio.* eundemq́ꝫ Sibylla vocat iuſtiſsimum, veracem, fidum, & bonis ſtudiis deditum. μοῦνος δ' ἐν πάντεσσι, δικαιότατος ϗ ἀληθινός. Νῶε πιστότατος, καλοῖς τ' ἔργοισι μεμηλώς. Certè ſi talis no

Gen. 6. 12. — *Eccli. 44. 17.* — *Sibyll. li. 1.*

Digitized by Google

Vide Lyra. ibi. Perer. libr. 9. in Gen.

corruperat viam ſuam, id eſt, ſtudia, mores, inſtituta, opera, conſuetudinem: maximè, ſi via innuat turpitudinem illam nefariam, de qua Paulus Roman. 1. *Fœminæ eorum immutauerunt naturalem vſum in eum vſum, qui eſt cõtra naturam: Similiter autem & maſculi.* quid ſi & cum brutis ſcelerata commixtio ſignificetur? quomodo hæc conueniant in virum perfectum, & tot laudibus cumulatum? non itaque omnis caro corruperat viam. Sed præter Noe, fuère, vt exiſtimo, eo tempore innocentes alij paruuli, qui nõ corruperant viam ſuam, & in iuſti familiâ, adulti; an etiam extra illam, non diſputo. Quicquid adhibuerit, manebit immota Hyperbole, & à particula vniuerſali exceptio, quam cum veteribus agnoſcunt recentiores, inter quos Cardinalis Bellarminus libr. 5. de amiſſ. gratiæ cap. 3. *Quod cogitationes omnes dicuntur eſſe malæ ſine dubio Hyperbole eſt Scripturis familiaris.* Nam in eodem cap. 6. Geneſis legimus: *Omnis caro corruperat viã ſuam:* & tamen in eodem loco dicitur: *Noe vir iuſtus atque perfectus fuit in generationibus ſuis.* Et alibi: *Figmentum cordis, ſiue humanæ cogitationes dicuntur malæ in vniuerſum, quoniam vt plurimũ ſunt malæ.* Scripturæ enim valde familiaris eſt figura intellectionis, nec minus eſt familiaris eius amplificatio. Itaque quomodo in eodem capite dicitur omnis caro corrupiſſe viam ſuã, quum tamen ibidem excipiatur Noe, qui fuit vir iuſtus & perfectus: ſic dicitur malum omne figmentum cordis humani, quamuis non deſit aliquod figmentum, id eſt, aliqua cogitatio non mala. Breuiter Delrio: *Omnis caro corruperat viã. Mixta Synecdoche auxeſi. Omnis pro pleriſque: caro pro homine.* Iſa. 45: *Videbit omnis caro pariter,* Zach. 11. 13. *Sileat omnis caro à facie Domini.*

Bellarm li. 5. de amiſſ. grat. c 3.

Libr. 5. de gra. c 3.

Delr. gloſſ. in Gen.

Geneſ.

Geneſ. 7.19. *Aquæ præualuerunt nimis ſuper terram, opertiq; ſunt omnes montes excelſi, ſub vniuerſo cœlo*: quid poſſet dici generalius duplici particula? & tamen, ſi verum eſt, quod ad fidem ſpectare alicubi innuit S. Auguſtinus, Paradiſum aquis diluuij non interiiſſe, ac ſupereſſe etiamnum adfirmare licet, magnis auctoribus ſuffragantibus, vniuerſalitatem exceptione eſſe reſtringendam, vt intelligatur ſolum de montibus eius terræ, quæ à peccatoribus incolebatur, quæque habitationi hominum poſt lapſum Adæ erat conceſſa. Quomodo reſpondet Car. Bellarminus Eugubino, & Ianſenio, eo vtentibus loco, vt probent aquis diluuij paradiſum deſtructum; quamuis autem contrarium opinentur nonnulli, tamen negari non poteſt, quod aſſerimus, idoneis placere auctoribus, & abſque errandi periculo tuto adfirmari, quod robur accipiet, ex eodem

Aug lib. 2. de pec. orig. c 3. Supereſſe Paradiſum docent Scholaſtici in 2. d 17. S. Tho 1 p. q 102. ar 1. Irenæ Hier. Aug. Alchim. Auitus: alij à Hiero Oleaſter in Gen. Vatabl ad cap. 2 in Geneſ. Ianſc. 43. Concor Perer. lib. 3. in Gen. Vide Bellar. To. 3. lib. 1. c. 14. Auguſt. Ternielli Annal. Eccleſ. die mundi 3. n. 24. 25. 26

Geneſ. 7.21. & 22. vbi abſolutiſsimè ſcribitur, vniuerſos homines, & cuncta in quibus ſpiraculum vitæ erat, interiiſſe, remanſiſſe autem ſolum Noe, & qui cum eo erãt in Arca: quũ tamen fateri neceſſe ſit Henochum in Arcâ minimè fuiſſe. Quocirca ſi ab hoc vniuerſali enũciato: *Mortui ſunt vniuerſi homines præter Noe, & qui cum eo erant in Arcâ.* Certum eſt excipi Henochum, qui nec mortuus, nec erat in Arcâ (quid vetat, dum dicitur: *Aquas operuiſſe omnem terram, ſub vniuerſo cœlo, intelligi extenſionem, non ad omnem terram, ſed eam ſolummodo, quæ data erat communiter homini poſt lapſum incolenda.*)

Ad hæc, vt multa, vna regula comprehendam, dum in ſacris libris lego ſimpliciter

Omnia nobis licere facienda, ſuſtinenda, impetranda omnia, ad Hyperbolem confugio, & plus verba ſonare, quam auctor ſententiæ voluerit, intelligo, quod ni fiat inextricabili abſurditatum labyrintho inuoluerer, excipienda n. minimum ſunt crimina, quæque Deo placere nō poſſunt.

1. Corinth. 10. 23. *Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt.* Omnia licent, quæ pura, quæ ſancta, quæ bona integraq; cōſcientiâ peraguntur: ſed hæc ipſa ſæpe ad aliorum ædificationem non conferunt.

Pſal. 1. 3. *Omnia quacunque faciet* (iuſtus) *proſperabuntur.*

Eccleſ. 3. 1. *Omnia tempus habent*, omnibus quæ geri poſſunt ab homine, ſuum eſt tempus: ſed nullum tamen peccato

Ἁπάντων καιρῶ χάριν ἔχει τρυφώματα.

Omnia ſuo percepta recreant tempore.

Matth. 8. 12. *Omnia quæ vultis, vt faciant vobis homines, ita & vos facite illis.* Omnia, ſed rationi ac legi diuinæ conſentanea.

Matt. 23. 3. *Omnia quæcunque dixerint vobis, ſeruate & facite.* Quid ſi ad peccata alliciant Scribæ & Phariſæi? Sed omnia intelligit Chriſtus, quæ lege præſcribuntur, aut legi conſentiunt.

Marc. 9. 22. *Omnia poſſibilia ſunt credenti.*

Marc. 11. *Omnia quæcunque orantes petitis, credite, quia accipietis, & euenient vobis.* An etiam noxia? an ſaluti & honori diuino aduerſa?

Matt. 18. 19. *Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re* (malâne, vt bonâ?) *quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo.* Quin & bona multa petuntur, quæ non accipimus: nam non omnia bona ea ſententia comprehēduntur, ſunt enim quæ maius bonum impediunt: Sunt quæ malè petuntur, & in deprauatum finem.

Luc.

Luc. 11. 41. *Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* Vbi vniuerſale, omnia, reſtringi debere boni interpretes exiſtimant: & Euthymius quidam ad corpus & animam refert.

1. Corinth. 10. 33. *Ego per omnia omnibus placeo,* etiam peccatis & facinoribus? caue credas. Eleganter Tertullianus: *Nimirum Saturnalia, & Calendas Ianuarias celebrans hominibus placebat, an modeſtia & patientia, an grauitate, an humanitate, an integritate? Proinde quum dicit omnia, omnibus factus ſum, vt omnes lucrifaciam. nunquid Idololatris Idololatres, nunquid Ethnicis Ethnicus? nunquid ſecularibus ſecularis? Sed et ſi non prohibet nos conuerſari cum idololatris, & adulteris, & cæteris criminoſis dicens: Cæterùm de mundo exiſſetis, non vtique eas habenas conuerſationis immutat, vt quoniam neceſſe ſit, & conuiuere nos, & commiſcere cum peccatoribus, ideo & cum eis peccare poſſimus. Ibi eſt commercium vitæ, quod Apoſtolus concedit, hic peccare quod nemo permittit. Licet conuiuere cum Ethnicis, commori non licet. Conuiuamus cum omnibus: conlætemur ex communione naturæ, non ſuperſtitionis: pares animâ ſumus, non diſciplinâ, compoſſeſſores mundi, non erroris.* Itaq; Apoſtolus longè ab aſſentatorum moribus, omnibus ſe ait per omnia placere: omnibus omnia factus hyperbolικῶς, in licitis, & quæ ad ſalutem: *quia ſine ſcandalo cuiuſquam* (inquit Ambroſius) *agit ad eorum vtilitatem. Adulatores* (ait Theodoretus) *non alienam vtilitatem quærunt, ſed propriam, imò nec propriam quidem, ſibi enim ante alios exitium adſe runt. Diuinus autem Apoſtolus ſuum commodũ nõ quærebat, ſed aliorũ vtilitatẽ procurabat, diuitias in quas non cadit interitus per illa amplificans.* Lib. de Idol. c. 14.

Ad Tit. 1. 15. *Omnia munda mundis.* An omnia omnino? Auguſtinus. Quum Apoſtolus, inquit, *omnia munda mundis, naturas ipſas intelligit,* Aug. li. 30 contra Fauſtum c. 5.

quas

Gen. 1. *quas Deus creauit, iuxta illud: Fecit Deus omnia, & erant valde bona: non ſignificationes, ſecundum quas Deus per Moſem ab immundis munda diſcreuit, quod oſtendit in duabus vocibus bonum, & malum, quibus in ſe ſpectatis, nihil ineſt malitiæ: nam ſi barbarus ſignificationis ignotus audiret proferri, tu es bonus, vel tu es malus, nihil magis vna voce, quàm altera turbaretur, ſecus ſi vim, ac ſignificationem perciperet, turbaretur enim non quidem voce, vt per ſe mala, ſed propter ſignificationem. Sublatâ ergo ſignificatione, in cibis non eſt quod inquinet edentem.* aliquid igitur excipiendū Auguſtinus iudicat. Aliud innuit Chryſoſtom. *Nihil* (inquit) *Deus fecit immundum, ſed peccatum*

Chryſoſt. in Tit. *ſolum eſt, quod coinquinat omnia, & facit immunda:* quippe animam tangit, ac penetrat, eamq; ſordibus inquinat. Hoc autem humanæ electionis

Tertull. de Coron. mil. c. 10. eſt vitium. Vſum etiam immoderatum excipit Tertullianus: *Omnia* (inquiens) *munda mundis, ita & immunda omnia immundis: nihil autem immūdius Idolis. Ceterùm ſubſtantiæ mundæ, vt Dei res, & hac ſua conditione communes vſui. Sed ipſius vſus ad-*

Ariſtoph. in Ran. *miniſtratio intereſt.* Hui! clamaret hic meus Ariſtophanico ſimilis ὄνος ἄγων μυστήρια, quàm prodige-liberalis eſt Apoſtolus in vocibus vniuerſalibus? At nondum in Apoſtolo finis liberalitatis ſobriæ.

1. Theſſal. v. 21. *Omnia probate, quod bonum eſt,*

Chryſoſt. Theodoret. ibid. *tenete.* ita vniuerſe omnia? nihil intentatum relinquendum? per omnia rerum genera, improbaſque artes, & damnatas eundum? Omnia dixit Paulus, ſed dicta Prophetarum intellexit, & Eccleſiaſtarum. Ambroſius: *Omnia, quæ dicuntur probanda, monet, & quicquid ſobriè, & bene dictum fuerit, retinendum. Quæcunque enim Apoſtolorum, & ipſius Domini dictis congruunt, ea bene dicta habenda ſunt, & retinenda. Ab his autem quæ inimicæ*

fidei

fidei videntur, abſtinendum. Solent enim ſpiritus immundi fallaciter, quaſi per imitationem dicere bona, & inter hæc ſuperinducere praua, vt per hæc quæ bona ſunt accepto ferantur, & mala, vt quia vnius ſpiritus dicta putantur, non diſcernantur ab inuicem, ſed per id quod licitum eſt, commendetur illicitum auctoritate nominis non ratione virtutis. Solent enim & Apoſtolorum nomine, & ipſius Domini, nefanda docere & aduerſa; ideoq; omnia probanda monet, quia non poſſunt eloquia Domini eſſe diuerſa. Tertullianus eadem Hyperbole: *Omnia examinate, quod bonum eſt, tenete.* Auguſtin. *Omnia legite, quæ bona ſunt, tenete.*

Tertull. de præſcr. c. 4.
Aug. lib. con. Adimant c. 15.
lib. de nat. & grat c. 9.

3. Corint. 13. 7. *Caritas omnia credit.* An etiam manifeſtè falſa; nam & hæc complexu ſuo arcet vox omnia? Omnia credit fide diuinâ, quæ diuinitus reuelata credenda proponũtur. Nam verè, rectèq; Ioannes: *Nolite omni ſpiritui credere,* fide humanâ credit omnia, quæ fide digna prudenter cenſentur. *Alioqui, qui credit citò, & omnia, leuis eſt corde. Vtrumq; vitium eſt, & omnibus credere, & nulli.*

Eccl. 19.
Senec ep. 3.

Philipp. 11. 21. *Omnes, quæ ſua ſunt, quærunt, non quæ ſunt Ieſu Chriſti.* Ita prorſus omnes? Ergo etiam Cephas, Apollo, Titus, Timotheus. *Haud equidem credo* (inquit nobilis explanator) *perinde hoc ab Apoſtolo dici, quaſi nemo penitus eſſet, qui verè atque ex animo Chriſti gloriam, atq; honorem appeteret.* Plurimos mortalium tales fuiſſe, quales deſcribuntur hic ab Apoſtolo, credibile videtur.

Iuſtinia. in epiſt. ad Philip. c. 2.

Vſurpat hyperbolem Paulinam ſuo tempore Bernard. acri in quoſdam inſectatione: *Multiplicaſti gentem,* ait, *Domine Ieſu, ſed non magnificaſti lætitiam, quoniam multi ſunt vocati, pauci verò electi, omnes Chriſtiani, & omnes ferè quæ ſua ſunt, quærunt, non quæ Ieſu Chriſti.* Actuum 4. 32. *Erant*

illis

illis omnia communia. Etiam vxores κοινωνίας Platonicâ? Apage. Liberaliter vox vniuerſalis accipitur. Ioan. 12. 32. Chriſtus ipſe: *Ego ſi exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipſum.* Hyperbolem agnoſcunt multi, ſed laborant, vt declarent. D. Auguſtinus & Beda, obſeruant non dixiſſe omnes, ſed omnia traham, quia nō omnes inquiunt, homines traxit, quum multi non crediderint, ſed traxit omnia, id eſt, & animam, & corpus in iis, quos traxit ingenioſe: ſed quod ipſum hyperbolicum eſt. Verùm Græci Codices non πάντα, ſed πάντας legunt. Itaq; Chryſoſtomus, Cyrillus. Leontius, Theophylactus, omnes dixiſſe notant, non quidem ſingulos, licet ſinguli ſub omnibus contineantur, vt tam Iudæos quam Gentiles comprehenderet. Qui omnia latiſsimè accipiunt, inter quos Rupertus, vt cœlum quoque & terram, homines, Angelos ac dœmones complectatur; dum hyperbolicum exceſſum vitare velle videntur, rem attollendo, immenſum augent, ſicut & eloquens æui noſtri

Tumerus Orat. de Cruce. Orator, qui planè hyperbolicè: *In cruce Chriſtus diuinitatis ſuæ explicauit diuitias clariſsime, quatas humanæ mentis acies, quo propius aſpicit, eo obſcurius videt, ita vt clarè & præclarè dixerit: Exaltatus traham ad me omnia, Artem, Ciceronem, vim, Cæſarem, cœlum, terram: vno verbo, quæ cœli, & terræ complexu coercentur omnia. Omnia? quomodo? ſingulari illo, & planè diuino, ad cuius obiectam ſpeciem, vt vel eloquentia eſt infans, vel infirma potentia, ſic & infantia eloquens, & infirmitas videtur potens. Miracula ſunt illa, qualia crucis omnia, in qua eloquentiſsimus Chriſtus. Si eloquentiam ad vulginormam metirer, multâ, bellâq; voce facile eſſet, vt faterer, & Demoſthenem vberius, & nitidius Ciceronem dixiſſe. Verum ad rectum ſenſum*

ſenſum ſi ſtatuamus, tantum quemque habere Eloquē-
tiæ, quantum mouet, & mulcet, Chriſto in cruce primas
deſerto, qui cœlum, terram, ita mouet, mulcet; vt æquo
myſterij librili, & terra excitetur in cœlum, & cœlum
ſubſidat in terra, id eſt, vt ſanctis verbis vtar, OMNIA
trahantur ad Chriſtum. Chriſtus trahit ad ſe omnia?
quando? in deſerto? minimè. Hic populum tantum tra-
hit, & Ioannem in templo? tantundem hic vendentes
ſolos trahit, & diſputantes, in monte fortaſſe Thabor o-
mnes trahit. quomodo omnes? Vide tres ſolos tractos
Petrum, Ioannem, & Iacobum, vbi tandem trahit ad
ſe omnes? Exaltatus in cruce, poſt illas voces, per illas
voces Conſummatum eſt. O Eloquentiæ miraculum,
nec antea auditum, nec poſtea editum.

Ioan. 1. 3. *Omnia per ipſum facta ſunt.* Ergo inferebant Macedoniani, Spiritus Sanctus, qui non eſt nihil, per Filium factus eſt. Ergo creatura eſt, non Deus. Vel dicas, neceſſe eſt, omnia non vniuerſaliſsime accipi. Verum eſt hoc vltimum. Nam non omnia ſimpliciter per verbum facta ſunt, ſed omnia quæcunq; facta ſunt, in quibus nec eſt Spiritus S. nec Pater, nec Filius. itaq; probare prius oportebat Spiritum S. factū eſſe, quā probetur per Filium, factum eſſe optimè reſpondit illis Gregorius Nazianzenus. *Naz. Orat. de Spir. S.*

Auguſtinus Tract. 1. in Ioann. *Omnia per ipſum facta ſunt. Quæcunque facta ſunt in Creaturis, omnia omnino, quæ fixa in cœlo ſunt, quæ fulgent deſuper, quæ volitant ſub cœlo, & quæ mouentur in vniuerſa natura rerum, omnis omnino creatura. Dicam planius, dicam fratres mei, vt intelligatis, ab Angelo vſque ad vermiculum. Et exeat nunc neſcio, quis infidelis Arianus, & dicat, quia verbū Dei factum eſt. Quomodo poteſt fieri, vt verbū Dei factū ſit, quādo Deus per verbū fecit omnia ſi & Verbum Dei ipſum factum eſt, per aliquod aliud*
verbum

verbum factum eſt,ſi hoc dicis,quia hoc eſt verbum verbi,per quod factum eſt,illud ipſum dico ego vnicum Filium Dei:Si autem non dicis verbum verbi,concede non factum, per quem facta ſunt omnia:non enim per ſe ipſum fieri potuit,per quod facta ſunt omnia.

DISSERTATIO XI.

SIGNO VNIVERSALI NVLLVS *Hyperbolicè vtitur Scriptura ſacra, Patres.*

HAud infrequentius negatiua vniuerſalitatis vocula, *NVLLVS*, quam adfirmatiua *OMNIS*, hyperbolicum contineri exceſſum, tot quæ ſubiungo ex ſacroſancta Scriptura,teſtimonia, nullò negotio ſanæ mentis homini ſi non ſit omnino plumbeus, perſuadebunt.

Ierem. 8. 6. *Attendi, & auſcultaui* (dicit Dominus) *nemo quod bonum eſt, loquitur. Nullus eſt, qui agat pœnitentiam ſuper peccato ſuo, dicens, Quid feci? Omnes conuerſi ſunt ad curſum ſuum, quaſi equus impetu vadens ad prœlium.* Annon Propheta vnus erat,qui loquebatur bonum? itaque nonniſi hyperbolicè verum eſt: *Nemo, quod bonum eſt, loquitur.* Et, eſtne credibile ex tot Sacerdotibus, Scribis, Doctoribus ſedentibus ſuper cathedrâ Moyſis & verbumDei explanantibus neminem boni aliquid ſparſiſſe? nullum in tota Synagoga Dei fuiſſe cultorem?

Pſal. 13.1. *Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis: non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.*

Verſ. 2. *Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt, qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.* id eſt, nullus planè. Et tamen quis dixerit, neminem tempore Dauidis fuiſſe, ſiue in Sacerdotum ordine, ſiue tribuum aliarum numeroſitate, qui bonum aliquod, ſaltem morale, operaretur?

Leuit. 16. 29. *Menſe ſeptimo, decima die menſis affligetis animas veſtras, nullumq́; opus facietis, ſiue indigena, ſiue aduena inter vos.* Toto igitur die conſiſtendum fuit immobiliter, non ambulandum, non manducandum, non ad Synagogam proficiſcendum: hæc enim in tota operum latitudine continentur: nullum autem opus dicitur, ſed explicatur

Leuit. 23. 7. *Omne opus ſeruile non facietis in eo,* id eſt, nullum opus ſeruile, phraſi in Scripturâ vſitatâ.

Luc. 1. 37. *Non erit impoſſibile apud Deum omne verbum,* id eſt, nullum.

Epheſios 4. 29. *Omnis ſermo malus ex ore veſtro non procedat,* nempe nullus.

Habacuk 2. 19. *Omnis ſpiritus non eſt in viſceribus eius.*

Eccl. 7. 14. *Fili, noli velle mentiri omne mendacium.*

1. Ioann. 2. 21. *Omne mendacium non eſt ex veritate.*

1. Ioann. 3. 6. *Omnis qui peccat, non vidit eum. Omnis qui in eo manet, non peccat.*

15. *Omnis homicida non habet vitam æternam in ſe manentem.*

Ioan. 6. 39. *Omne quod dat mihi Pater, non perdam ex eo.*

1. Cor. 1. 29. *Non glorietur omnis caro in conſpectu eius.*

F Rom.

Rom. 3. 20. *Ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro coram illo.*

Act. 10. 14. *Nunquam manducaui omne commune & immundum.*

Matth. 7. 21. *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum.* & tamen

Ioel. 2. 32. *Omnis qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit.*

Gen. 4. 15. *Poſuit Dominus Cain ſignum, vt non interficeret eum omnis, qui inueniſſet eum.*

Leuit. 21. 2. *Ad omnem mortuum non ingredietur omnino.*

Pſal. 118. *Non dominetur mei omnis iniuſtitia.*

Pſal. 48. *Cum interierit, non ſumet omnia*, id eſt, nihil.

3. Reg. 11. 34. *Nec auferam omne regnum de manu eius*, id eſt, nullum vel nihil ex toto regno.

Ioan. 1. 18. *Deum* NEMO *vidit vnquam.*

Chryſoſt. Theophyl. Euthym. Exodi 33. 20. *Non videbit me homo & viuet.* Ab hac vniuerſali, Beatos ſaltem excipere neceſſe eſt. Nam non probatur doctis expoſitio quorundam antiquorum, qui vocem NEMO non homines ſolum, ſed omnes omnino creaturas comprehendi arbitrabantur, & viſionem non qualemcunque, ſed perfectam diuinę eſſentiæ comprehenſionem, intelligebant, quaſi ſenſus ſit: Nullam creaturam comprehendere poſſe Deum, etiamſi videre poſsit. Dices fortaſſe omnes homines deſignari, qui mortalem vitam agunt: nam beatos qui à nobis in cœlum emigrarunt, clarè aperteq; Deum videre multis locis Scripturæ docet Ioann. 17. 3. 1. Ioan. 3. 2. 1. Corinth. 13. 12. At ab illa quoque generalitate excipitur à multis vnus vel alter. Certè S. Augu-

Legendi qui negant has exceptiones, licet non damnent cum cenſura Gregor. Valentia To. 1. Vaſquez 1 p diſp. 55. & 56. Molina ibi. Maldonat. Ioan. 1. 18 Tolet. Ioan. 53. Lorin act. 9 & 1 Ioa. 4. 12. Beca. 1. p. c. 9 de viſ. Dei q. 9

Auguſtinus lib. 12. ſuper Gen. ad litt. cap. 27. Et epiſt. 112. Hugo de S. Victore quæſt. 34. in epiſt. poſteriorem ad Corinthios, Abulenſis in cap. 5. Matth. quæſtione 49. ad 4. Lyranus in cap. 33. Exodi. S. Thomas 1. parte quæſtione 12. articul. 2. ad 2. & in 2. 2. quæſt. 175. artic. 3. Caietanus, & Diui Thomæ hoc tempore diſcipuli, Moſen nominant, quem arbitrantur diuinam eſſentiam vidiſſe, & producunt promiſsionem claram

Exodi 33. 19. *Ego oſtendam tibi omne bonum.* adfirmationem æquè manifeſtam

Numeror. 12. 6. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar illi. At non talis ſeruus meus Moſes, qui in omni domo mea fideliſſimus eſt. Ore enim ad os loquor ei, & palam: &, non per ænigmata, & figuras DOMINVM VIDET.*

Moſi Paulum copulant laudati, & rurſum S. Thomas 2. 2. quæſt. 175. artic. 5. Abulenſis 1. Paralipom. 2. quæſt. 185. Anſelm. in 2. Corint. 12. Quod ſi verum, prærogatiuarum quæ alios ornarunt Diuos, nullam Deiparæ defuiſſe, hanc quoque iungere haud erit temerarium. Sed qui idem deriuant in alios Adamum, Benedictum, Auguſtinum minimè audiendos exiſtimo. *Vide Vaſq. Diſp. 56. c. 2*

Matthæi 11. 27. *Nemo nouit Filium niſi Pater, neque Patrem quis nouit niſi Filius.* Tam vniuerſe accipienda vox NEMO, vt excludat omnes alios, præter Patrem & Filium? Audi Macedonianos: Si nemo nouit Filium niſi Pater, & Patrem nemo niſi Filius: nempe cognitione perfecta & cóprehenſiua. Ergo Spiritus S. nõ eſt Deus:

 nam

nam ſi eſſet, cognoſceret, & comprehenderet
Patrem, vnde ſi nemo perfecta cognitione illũ
comprehendit, præter Filium, nullus vtiq; ex-
cepto Patre, Deus eſt, niſi ſolus Filius. Reſpon-
Lyran. ad dent Catholici, ab vniuerſaliſsima voce exci-
c. 11. Matth. piendum Spiritum Sanctum. Excluſiua enim
dictio quando vſurpatur ad ſignificandum ali-
quid eſſentiale in diuinis Perſonis non excludit
reliquas perſonas, eiuſdem naturæ, ac eſſentiæ
participes, ſed tantummodo creaturas quæ diſ-
ſimillimæ naturæ ſunt. Addit accommodatè ad
Carthagen. populum Concionator: *Hæc vox* N E M O, *vt no-*
l. 16. Hom. 1. *tant linguæ Latinæ periti, idem eſt, quod nullus homi-*
num: melius, à Ne & homo, nam, vt illi volunt, à
nullus & homo deducitur, vnde dicente C H R I-
S T O : *Nemo nouit Patrem niſi Filius, explicandum*
eſt: Nemo hominum, vel nullus homo, niſi Filius Patrem
comprehendit, quo ſenſu Spiritus Sancti perſona (ſiqui-
dem ille homo non eſt) à Patris perfecta cognitione non
excluditur. Quod de comprehenſione in hac ex-
poſitione dicitur non æquè probo, loquitur e-
nim Chriſtus de notitia clara, tum naturæ, tum
conſiliorum Patris, tum officij, ob quod Filius
hunc in mũdum venerat: hoc enim accommo-
datum eſt iis, de quibus tunc agebatur.

3. Reg. 3. 12. Dicit Dominus Salomoni: *Dedi*
tibi cor ſapiens, & intelligens, in tantum, vt Nullus an-
te te ſimilis tui fuerit, nec poſt te ſurrecturus ſit. Am-
pliſsima comparatio, nec ad reges ſolum adſtri-
cta. Vnde paſsim audit Salomon ſapientiſsimus
omnium mortalium. Et Nazianzenus Oratio-
ne 23. & Orat. 34. præſtitiſſe aſſerit, Salomonem
ſapientiæ laude omnibus, quum ſuæ, tum ſupe-
rioris memoriæ hominibus, & in carmine de
Virginitate:

——— *Salomon, quo non ſapientior alter*
Extiterat. ———

Et

Et prius eundem appellauerat, Philoſophiæ verticem, Gregorius quoque Neocæſarienſis, mortalium omnium clariſsimum ac ſapientiſſimum indigetat: Cedrenus, priſcos omnes ſapientiâ ſuperaſſe. Et tamen ratio, grauiumque Theologorum auctoritas excipit Adamũ, cumque præfert vt primum, ita etiam excellentiſsimum hominum, nõ ſolum corporis, ſed etiam animi ornamentis, ac proinde Sapiẽtia, de Chriſto, & Deipara an excipi debeant, dicere non attinet, pronunciatio ſit penes aduerſarium. Et decebat ſanè primum hominem ob prærogatiuam principatu , & capitis ſapientia antecellere. Acutè quidam: *Non fuit quiſpiam tam ſapiens quam Salomon in ſapientia inferiori, niſi dico primi homines, cœleſtis videlicet, qui de ſeipſo loquens dixit: Ecce plus quàm Salomon hic, & primus terrenus, qui non vnius hominis, ſed totius generis humani vim referebat, nec erat filius hominis, ſed Dei, quia immediatè ab ipſo Deo productus fuerat.*

Thaumaturgus. — *Lege Valentiam 1 p. d. 8 q 2 p 1. Perer. li 5. in Gen d 3. Pineda de reb. Salom. l 3 c 10 n. 9.* — *Geor. Venetus Tom 6. problem. lect 9 n 399*

Luc. 18. 18. *Quid me dicis bonum: Nemo bonus niſi ſolus Deus.* quod obiiciebant Ariani Catholicis, vt probarent, Chriſtum non eſſe Deum, videtur enim ſe à bonitate diuinitateque excludere. Et ſic ratiocinantem Chriſtum faciebant: Nemo bonus niſi ſolus Deus. Ego non ſum Deus. Ergo nec bonus. Sed contrario modo potius colligit Dominus, ſolus Deus eſt bonus. Si ergo, vt tu exiſtimas, ego non ſum Deus, ſed homo, quur me dicis bonũ? loquitur autem Chriſtus de bonitate, Deo propriâ per naturam. Nam bonitate participatâ alius generis, homines, Angelos, ac multa alia bona eſſe, manifeſtum eſt, & multis Scripturę locis docet Epiphanius aduerſus Arianos, hæreſi Lxix. Eodem pacto Paulus

1. Tim. 6.16. *Solus habet immortalitatem*, id eſt, nemo præter ipſum habet immortalitatem. Et tamen Angelos & animos noſtros immortales eſſe fide Catholicâ credimus. Nimirum, nemo præter Deum naturâ ſuâ, id eſt, non alterius participatione, eſt immortalis. Eſt Deus ſuapte natura eiuſmodi vt interire aut deficere nequaquam poſsit: & , vt à ſeipſo naturam habet, ita à ſeipſo accepit immortalitatem , non ab alio.

Ambroſius libro 3. de fide & gratia cap. 2. *Alia immortalitas ſuæ naturæ, alia noſtra eſt: non ſunt fragilia comparanda diuinis. Vna ſola ſubſtantia Diuinitatis eſt, quæ mori neſcit: vnde & Apoſtolus quum ſciret, animam & Angelos immortales, quod ſolus Deus immortalitatem habeat, prædicauit: nam & anima moritur: anima enim quæ peccauit, ipſa morietur: nec Angelus immortalis eſt naturaliter, cuius immortalitas in voluntate eſt Creatoris. Neque ad præiudicium trahas, quod non moritur Gabriel, non moritur Raphael, non moritur Vriel, & in ipſis enim naturæ capacitas vitio obnoxio, ſed non obnoxia diſciplina.*

Sanctus Hieronymus libro 2. contra Pelag. Certè legimus immortales Angelos, immortales Thronos, & Dominationes, cæteraſque virtutes: *ſed ſolus Deus eſt immortalis, quia non eſt per gratiam vt cætera, ſed per naturam.* Quomodo dum loquũtur alij Patres, gratiæ nomine dona creationis, & naturæ intelligunt, quæ ex merito nõ obueniant, nam immortalitatem quâ Angeli, & animæ ſunt præditæ ab ipſius naturæ principiis ortum habere nullum eſt dubium. Itaque nemo præter Deum immortalitatem habere dicitur, quia nemo præter Deum, vt Theologi loquuntur, eſt ens per eſſentiam, cui prorſus repugnat deficere, ac non eſſe, Auguſtinus alio ſenſu

Aug. lib 5. de gen. ad litt c. 20.
Damaſ. 1. de fide c 3.
Greg li. 16. Moral c. 19.
Lib. 3. cont. Maximin. c. 3.

ſenſu alicubi, immortalitatem Dei naturam mutationis expertẽ interpretatur, quo pacto haud dubiè, nemo præter Deum habet immortalitatem. *Immortalitatem* (inquit) *Deus dicitur habere ſolus: in omni enim mutabili natura nonnulla mors eſt ipſa habitatio, quia facit aliquid in ea non eſſe, quod erat, ſolus autem Deus immutabilis.*

DISSERTATIO XII.

SEMPER

HYPERBOLICE VSVRPATVM in diuinis libris.

ADuerbium temporis, Semper, ἀεὶ, quæque illi adfinia, æternum, in æternum. in ſecula ſeculorum, Hebraicè הולמ Holam, perpetuum, ſempiternum, cunctis diebus, Hyperbolicè non rarò, quum in codice cœleſti occurrunt explicanda eſſe, nec ad omnem durationem quæ aut fine, aut initio careat, extendi poſſe, tam certum eſt eruditis, quam putidum, & otioſum in illorum conſeſſu probare, quod tamen apud inſulſiſsimos calumniatores, mera inſcitiæ retrimenta, vt pueriles obiectiunculæ detegantur, eſt neceſſarium: Sed quid facilius quàm è ſexcentis locis, quæ vel modicum contemplanti ſponte ſeſe offerunt, pauculos ſeligere, & ſtilo paululum illuſtrare.

Oportet (inquit Dominus) *ſemper orare, & non deficere* τὸ δεῖν πάντοτε προσεύχεσθαι, καὶ μὴ ἐκκακεῖν, Ergo omnibus aliis muniis ſuperſedendum, vniq; ſolũ orationi quouis tempore, & momento opera danda? Torſit hæc multos graues auctores ſententia: ſed omniũ interpretationes Luc. 18. 1.

(ſi vnam excipias minus germanam) in Hyperbolem conſpirant, diuerſo tamen ſenſu.

Cap. 18. & Strabus ac Euthym.

Beda in Lucam: *Quis poteſt ita ſemper orare, & ſine intermiſſione precibus inſiſtere, vt nec alimentum ſumendi, aut dormiendi tempus habeat? Aut ergo dicendum eſt, eum ſemper orare, & non deficere, qui canonicis Horis quotidie, iuxta ritum Eccleſiaſticæ traditionis, pſalmodiis, precibusq; conſuetis Dominum laudare, & rogare non deſiſtit: aut certè omnia, quæ iuſtus ſecundum Deum gerit, & dicit ad orationem eſſe reputanda. Quia enim iuſtus ſine intermiſſione quæ iuſta ſunt, agit, per hoc ſine intermiſſione iuſtus orabit, neque vnquam ab oratione ceſſabit, niſi iuſtus eſſe deſiſtat.* Nimirum bene orat, qui bene agit. At enim de oratione propriè Chriſtum agere nullum eſt dubium: ſtatutis autem horis iuxta ritum Eccleſiaſticæ traditionis pſalmodiis Dominum laudare, ab eoq; non deſiſtere laudabile eſt, ſed non omnibus neceſſarium.

Auguſtinus igitur epiſt. 121. ad Probam, illũ exiſtimat ſemper orare, qui ſemper vitam beatam & æternam deſiderat. at quomodo ſemper? congruis temporibus. Quod inquit, ait Apoſtolus

1. Theſſal. 5.17. *Sine intermiſſione orate, quid eſt aliud, quàm beatam vitam, quæ nulla niſi æterna eſt, ab eo qui eam ſolus dare poteſt, ſine intermiſſione deſiderare.* Semper ergo hanc à Deo deſideremus, & oremus ſemper, & in Pſalm. 36. *Ipſum deſiderium tuum, oratio tua eſt, & ſi continuum deſiderium, continua oratio, ſi non vis intermittere orare, noli intermittere deſiderare.* In libro autem de hæreſibus,

Lyra. Caietan. Anſelm. Haymo. Carthuſ.

hæreſi 57. *Quum Dominus dicit: Oportet ſemper orare, & non deficere, & Apoſtolus, ſine intermiſſione orate, ſaniſſimè ſic accipitur, vt nullo die intermittantur certa tempora orandi.*

At

At verò S. Chryſoſtomus, eum ſemper ac ſi-ne intermiſsione orare contendit, qui crebras ex interuallis precationes Deo offert. *Christus (ſcribit) & Paulus iuſſit breues, ſed crebras fieri precationes ex paucis interuallis. Nam ſi in longum extenderis verba, quum frequenter parum ſis attentus, multam audaciam diabolo ſuppeditaſti, vt accedat, ſupplãtetq́ue, ac mentem ab iis quæ dicuntur, auocet. Quòd ſi frequenter, ac ſubinde orauens, tempus omne crebris dirimens interuallis, facile poteris eſſe ſobrius, ac vigilans, vt precationem multa cum attentione perficias.* Ceterùm Caſsianus ſine intermiſsione orare indicat, ſignificare Dei iugi contemplatione vacare. Simplicisſimus & clariſsimus ſenſus eſt, inquit in Lucam Ioann. Maldonatus, *non quidem dies ac noctes ſine vlla intermiſſione, quod omnino fieri non poteſt, mentem in Deum leuãdo preces fundere, ſed quum aliquid à Deo petimus, non debere, ſi conſequuti non fuerimus, deſperare, & animum abijcere, hoc eſt, deficere, ſed inſtare, pulſare, iterumq́ue idem petere, donec ſaltem propter improbitatem obtineamus.* Atque hoc ipſum eſt, quod D. Paulus dicit, *ſine intermiſſione*. Non enim ſignificat nunquam nos omnino debere ab oratione deſiſtere, quod fieri nullo modo poteſt: nam vt edentes bibentesq́ue orare poſſimus, quod nonniſi valde perfecti faciunt, certè dormientes, minimè poſſumus, & eſt neceſſarium ſanctiſsimo cuiq; aliquando dormire: ſed, *ſignificat non debere nos orationem deſperabundos omittere, ſi quod petimus, ſæpe orando conſequuti non ſimus.* Eadem habet Benedictus Iuſtinianus in cap. 1. ad Coloſſ. verſu 3. & approbat 1. Theſſalon. 5. 17.

Hom. de ſide Anna.

Colla. 9. c. 3.

Paulò aliter Sebaſtianus Barradius: Oportet ſemper orare & non deficere, interpretatur morali modo, omnibus diebus, aſsiduè, fre-

To. 3. Con-cor. l. 4. c. 11

quenter & ſæpè orare, quod confirmat ex Act. 10.2. vbi de Cornelio Centurione.

Religioſus ac timens Deum cum omni domo ſua, faciens eleemoſynas multas, & deprecans Deum SEMPER. Cibum ſomnumque capiebat Cornelius, negotiis aliis vacabat, multorum militum dux: orare tamen ſemper dicitur, quia omnibus diebus frequenter orabat.

Ioannes Lorinus: *Deprecans Deum ſemper*, hoc eſt, *intentus ac ſedulò vacans orationi, quando videlicet illi vacuum erat, ab aliis neceſſariis negotiis. Non enim erat Euchita Cornelius.* Nec Εὐχιτῶν aut illorum ſemper orare præcipientium ſententiam vnquam probauit Eccleſia, quos copioſè refellit alicubi Auguſtinus.

Lib. de hæreſ.c.57.

Aliquo ex dictis modis ſententiam Chriſti, ex qua Euchitæ erroris anſam ſumpſerunt, exponunt Nicolaus Primus reſponſione ad Bulgaros, & vult dici, *ſemper orare*, ac *ſine intermiſſione*, qui certa orandi tempora, nullo die intermittit, & Eligius Homil. 2. in cœna Domini. Et Sanctus Hieronymus epiſtola 22. ad Euſtochiū, & Rhabanus de Inſtitut. Clerico. capite 1. Diuus Aquinas 2.2. quæſt. 83. articulo 14. Ioannes Medina, qui expoſitiones alias colligit, Tractatu 6. de Orat. quæſt. 2. vti & Bellarminus Tomo 3. lib. 1. de bonis operibus cap. 9. Ex his lux accedit ſententiis, in quibus idem aduerbium, vel æquiualens

Nicol I reſpo. ad Bul.

Pſalm. 118.117. *Meditabor in iuſtificationibus tuis ſemper.*

Eccl. 18.22. *Ne impediaris orare ſemper.*

Ad Coloſſen. 1. 2. *Gratias agimus Deo, & Patri Domini noſtri IESV Chriſti, ſemper pro vobis orantes.*

1. Ad Theſſ. 5. 15. *Semper gaudete.*

Luc. 24. 53. de Apoſtolis: *Erant ſemper in templo laudantes & benedicentes Deum.* Quod ſemper in templo fuiſſe dicit, non ſic intelligendum, ait præclarus Interpres, quaſi nunquam exirent à templo, ſed ſic, vt ſignificetur non aliis occupatos fuiſſe rebus, per totos quadraginta dies, quàm oratione. Ergo, nec ſomno reficiebantur, nec cibo? vtrobique Hyperbole eſt. Maldon.

Lucæ 2. 37. *Non diſcedebat*, Anna, *de templo, ieiuniis, & obſecrationibus ſeruiens nocte ac die*, id eſt, frequens erat in templo. Rectè Maldonatus: *Non diſcedebat, dixit Euangeliſta per Hyperbolem.* Sicut qui familiaris alicui eſt, dicitur ab eius latere nunquam recedere. Non ergo dicitur non receſsiſſe à templo, quod in templo habitaret, vbi habitare mulieribus non licebat, ſed quod aſsiduè frequentaret templum, quemadmodum facere pias mulieres decet, maximeque viduas.

Alia formula vtitur Lucas Actuum 1. 14. *Hi omnes erant perſeuerantes vnanimiter*, προσκαρτεροῦντες, *in oratione*, ſed idem denotat, quod ſemper, ſedulum, & non intermiſſum ſtudium. Similis eſt phraſis Apoſtoli

Romanorum 12. 12. *Orationi inſtantes*, Græcè eodem pacto προσκαρτεροῦντες, quæ vox aſſiduam ſonat inſtantiam, vt ibi rectè obſeruat Iuſtinianus, ſed intelligendum eſt accommodatè, & opportunis temporibus, notatione Lorini Actuum 1. 14. quomodo etiam expono illud

Iacobi 5. 16. *Multum valet deprecatio iuſti aſſidua.* An Euchitarum, qui nunquam ceſſandum puta-

putabant? At hoc ſuperſtitioſum & impoſsibile, plus ergo dicitur quàm intelligi debeat.

Actuum 12. 5. *Oratio ſiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia pro eo* (Petro) aſsiduam nec interruptam infinuat Græca dictio, ἐκτενὴς, *continuata*, hyperbolicè; vt reor, niſi velis inſtitutam, vt modo, recurrente ſua, certo hominum numero, vice. Sunt enim, qui hinc orationem continuam XL horarum ortam velint.

Angelus Sangrinus opuſc. de oratione 40. horarum.

Pſal. 33. 2. *Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo*, ſtatis conſuetiſque temporibus.

Grauiores controuerſias peperit Hyperbole iis annexa vocibus, quæ durationem multis circumſcriptam terminis exprimunt, vt *æternum, in ſempiternum, in ſecula*. Promittit Deus poſteritati Abrahæ terræ Chanaan poſſeſsionem vſque in ſempiternum, hoc eſt, quod SEMPER illam eſſet poſſeſſura. Semper? At non amplius, mille ſexcentos quadraginta annos eam terram Hebræi poſſederunt. Etiam eiuſdem per annos mille quingentos & amplius extorres ſunt, nulla ſpe poſſeſsionum eius aliquando recuperandi. Cœperunt enim Iſraelitæ Chanaan poſsidere, poſt quadraginta annos egreſsionis ex Aegypto: poſſeſsionem autem illius omnino amiſerunt principatu Adriani Romanorum Imperatoris, quum ob rebellionem ex Palæſtina penitus ſunt exterminati, quod contigiſſe refert Euſebius Olympiade ducenteſima vigeſima octaua, & tamen dicitur expreſsè

In Chron.

Geneſ. 13. 15. *Omnem terram quam conſpicis, tibi dabo, & ſemini tuo vſque in ſempiternum.* Fit autem hæc promiſsio de ſemine carnali per Iſaac: licet negandum non ſit, præterea reſpexiſſe Deum ad terram viuentium, & ſpirituale ſemen Abrahæ, Rom. 4. 16. & c. 9. 8. Omit-

Omitto, quæ ſæpè de hac re diſputat S. Auguſtinus, quæque copiosè ex illo atque aliis Pererius; placent quæ ſcholaſtico more habet Thomas Anglicus in breuibus ſuis ſuper Geneſim Commentariis, ad verſum, quem exponimus: *Pro illo* (inquit) *vſque in ſempiternum, Septuaginta Interpretes habent, vſque in ſeculum, quod ſecundum Auguſtinum aliquando ſignificat, in æternum, aliquando verò tempus præſentis ſeculi. Sed notandum: Quum in veteri Teſtamento temporalia promiſſa, vel pacta, vel præcepta, dicuntur in æternum manſura, quod talis loquutio quadrupliciter verificatur.* Primum, vt ſumatur Aeternum (*SEMPER*) pro aliquo longo tempore, iuxta quod de homine nimis diu viuente dicimus: Iſte *SEMPER* viuet, & nunquàm morietur. Secundo, vt illud dicatur Aeternum, quod reſpectu humanæ poteſtatis, & reſpectu inferiorum eſt quaſi æternum, licet tale non ſit reſpectu Dei, & ſecundum hoc tota lex ceremonialium Moſis, æterna dicitur, quia non potuit ab homine humana auctoritate mutari, ſed à ſolo Deo. Et hoc modo dicitur in æternum eſſe illud, cuius terminus non eſt præfixus apud illum, reſpectu cuius dicitur. Sic ſeruus eſſe in æternũ dicitur ille, qui ſemper quãdiu viuet, ſeruire tenetur, niſi à domino ſuo tali ſeruitute ſoluatur. Tertio illud etiam vocatur Aeternum, quod non in ſe, ſed ratione eius, quod figurat, & ſignificat, dicitur æternum. Ponitur enim ſæpe ſignum pro re ſignata, & ſignificata, & ſæpè attribuitur ſigno id quod eſt proprium rei ſignatæ & figuratæ. Hac ratione poſſeſſio terræ promiſsionis futura ſemini Abrahæ dicitur in æternum, quoniam illa ſignificabat ſtatum gratiæ, & gloriæ dandum ſpirituali ſemini Abrahæ in æternum. Similiter etiam omnes

Lib. 16. de Ciu. c. 11. & 17. lib. qq. in Gen. q. 31. Lib. contra Priſcil. c. 5.

omnes figuræ veteris legis poſſunt ea ratione dici in æternum manſuræ. Quarto demum vocatur aliquid æternum, vel in æternum manſurum, non quidem per ſe, ſed vel diſpoſitione tantum, vel cauſaliter, hoc eſt, quia vel diſponit, & præparat ad id, quod eſt æternum, vel etiam quodammodo cauſat id, quod eſt æternũ. Et hac ratione lex Moſis dici poterat æterna, quia diſpoſitione & præparatione ducebat ad gratiam & gloriam Chriſti æternã. Opus quoque bonum, ex gratia factum dicitur æternum, quia æternam gloriam promeretur, ſicut Paulus dixit: *Quod eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtræ ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Idem dici poteſt de voce Hebræa *Holam*, à verbo עלמ quod eſt abſcõdere & occultare: eſt enim, ſi quid aliud abdita nobis æternitas, ac temporis diuturnitas. Significat enim primò durationem omni ex parte æternam, ſicq́ Deo tribuitur. Deinde æuiternum. præterea annos quinquaginta vſque ad Iubilæum. tandem, tempus diuturnum, quæ ſignificatio quum etiam ſit aduerbij *SEMPER*, ſatis conſtat; quomodo ſæpe Hyperbolicè adhibeatur.

Gen. 21. Exod. 15. Pſal. 111. Dan. 12. Hiere. 31. Deut. 15. Vide Salmeron Tom 1. prolog 15. Galati lib. 11. de arcanis SS. *Perer. ad cap. 13. Gen Lorin Eccleſ. 1. 4.*

Gen, 6. 3. *Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt, eruntq́; dies illius centum viginti annorum*, bifariam vox æternum exponitur à Doctoribus, placet expoſitio, vt non ſignificet propriè æternitatem, ſed longiſsimum tempus, cuius finis non exprimitur, hoc ſenſu, ante hac, longiſsimam dedi vitam hominibus, poſthac præcidam hanc longitudinem, eamq́ ad centum viginti annos contraham, eſtq́ hæc legitima interpretatio.

Seruiet æternum qui paruo neſciat vti.

Gen. 8. 22. *Cunctis diebus terræ, ſementis & meſſis, frigus, & æſtus, æſtas & hyems, nox & dies non requieſcent.* id eſt, ſemper erunt temporum viciſſitudines: quomodo ſemper? cunctis diebus terræ, at terra in æternum ſtat: benè ergo colligunt peripatetici generationum perpetuitatem nequaquam, accommodatè igitur exponendũ, ſemper, hoc eſt, quoad homines in terra degent, in quorũm gratiam hæc temporum viciſſitudo fuit ordinata.

Pſal. 1. 2. *In lege eius meditabitur die ac nocte.* Hyperbole eſt prouerbialis, indicans, quàm aſſiduè poſsit id agere iuſtus

Ioſue 1. 8. *Non recedat volumen legis huius ab ore tuo: ſed meditaberis in eâ diebus ac noctibus.* Septuaginta, ἡμέρας καὶ νυκτὸς, Sic & Græci. Homerus:

——— νύκτας τε καὶ ἤματα πάντα.

Noctesque & dies omnes.

Heſiodus.

——— ἐφ ἡμέρῃ ἠδ᾽ ἐπὶ νυκτὶ.

Interdiu noctuq;.

Lyricus Latinus, ſed heroico

——— *Vos exemplaria Græca:*

Nocturnâ verſate manu, verſate diurna.

A Græcis Romani, & ab Hebræis Græci mutuati videntur.

Qui fieri poteſt, inquit præclarus Ioſue illuſtrator, vt ab alicuius ore non recedat legis volumen? Satis quidem conſtat, per volumen, nõ ipſam aut membranam, aut papyrum & atramentum intelligi, ſed res in eâ perſcriptas: quũ tamen tam ſæpè & dormientibus, & vigilantibus tacendum ſit, quando verò loquendum, alia ſæpè, quæ quotidianus vſus adfert, loquen-

Nicol. Serarius in cap. 1. Ioſ q. 18.

loquendum ſit, quomodo eſſe *SEMPER* in ore poteſt volumen hoc? Duobus modis alicui dicuntur aliqua eſſe ſemper, vel in ore, vel pectore. Primò, ſi ſemper, quando oportet, aut decet. Secundò, ſi quàm frequentiſsimè, vt docent tot aliæ ſimiles formulæ, ipſiq; litterarum Magiſtri. Eſt & modus alius, ad Hyperbolem explicandam opportunus, quo ſemper in alicuius ore liber iacet eſt, ſi videlicet, quicquid loquitur, ex libri illius regulis loquatur, quandocunque tacet, conuenienter eiuſdem libri præceptis taceat, ſic

pſal. 118. 43. *Ne auferas de ore meo verbum veritatis vſquequaque.*

Eadem quæſtio: Qui fieri poſsit, vt noctes & dies quis meditetur? Eadem reſponſio, perpetuationem quandam hominibus non omnino intolerabilem, præſcribi. Ita ex hac hyperbole continuam lectionem, & memoriam ſacræ Scripturæ nobis commendant S. Marcellinus Papa epiſt. 1. ad Salomonem. S. Athanaſius Exhor. ad Monachos initio. Tertullianus lib. 2. in Marcionem c. 19. Auctor ſermonum qui S. Auguſtino inſcribuntur ad fratres in eremo ſermo 56.

Pſal. 54. *Die ac nocte circumdabit eam ſuper muros eius iniquitas.* id eſt, ſemper, aſsiduè, vt explicant Clemens Romanus lib. 1. conſtit. c. 4. 5. Baſilius & Arethas in Cathe. Pſal. 1.

Pſal. 31. 4. *Quoniam die ac nocte grauata eſt ſuper me manus tua.*

Pſal. 118. 97. *Tota die meditatio mea eſt*; hoc eſt, omni tempore, κατ' ὑπερ-βολήν.

DISSERTATIO XIII.

VOCIBVS NVNQVAM & TOTVM

Subeſſe in Scripturis Sacris Hyperbolem.

IN ſacræ Hyperboles centuriâ locum etiam ſuum habent vniuerſales particulæ *NVNQVAM & TOTVM* aut his Synonimæ, quæ nō vno in libro augmento figurato deſeruiunt, abſque fraude doloque paucula quæ ſubiungimus, rem teſtatam facient. Excipite Iob 14. 2. *Homo velut vmbra, & NVNQVAM in eodem ſtatu permanet.* At non quolibet temporis momento quilibet viciſsitudinem patitur. Eccleſ. 11. 4. *Qui conſiderat nubes, NVNQVAM metet:* non facile metet, non committet ſe periculo. Ioan. 12. 19. *Videtis, quia nihil proficimus: ecce MVNDVS TOTVS poſt eum abit:* quomodo, quum nec integra Palæſtina, nec Ieroſolyma? clara amplificatio, tam in voce *MVNDVS*, quàm *TOTVS*, *MVNDVM* enim dicunt per Hyperbolem, quia omnes nemine excepto Chriſtum ſequi videbātur, non tantùm magna aliqua, vti prius turba. Nam viri & mulieres Iudæi, & gentiles ſequebantur, infantes quoque Regem appellabant. Luc. 2. 1. *Factum eſt in diebus illis, exijt edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur VNIVERSVS orbis.* Synecdochem hic animaduertunt aliqui, qua maior pars pro *TOTO* accipiatur, ego Hyperbolem, qua *TOTVM* pro maiori parte. Totus orbis Romani Imperatoris iuſſu deſcribi non poterat, quum totus eius non pareret imperio. Ea ergo pars orbis quæ ſub Romanis erat, quātula illa pars vniuerſi? Vniuerſus orbis dictus,

Imò ſunt, qui exiſtiment, ne TOTVM quidem Romanorum Imperium fuiſſe deſcriptum, ſed ſolam Syriam, in qua tunc Iudæa cenſebatur. Similia ſunt

Matth. 21. 10. *Et commota eſt VNIVERSA ciuitas.*

Matth. 27. 45. *Tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram.*

Actuum 11. 28. *Agabus ſignificabat per ſpiritum, famem magnam futuram in VNIVERSO orbe terrarum.*

Actuum 24. 5. *Inuenimus hunc hominem peſtiferum & concitantem ſeditiones omnibus Iudæis in VNIVERSO orbe.*

Rom. 1. 8. *Fides veſtra annunciatur in VNIVERSO mundo.*

DISSERTATIO XIV.

PARTICVLA VNIVERSALIS VBIQVE

Hyperbolικῶς ab hagiographis ſumitur.

TELAM ſemel occœptam pertexamus vniuerſalis loci aduerbio vim tropicam, quę in præcedentibus demonſtrata, adſerentes

Marci vltimo 20. *Illi profecti prædicauerunt vbique*, ſermo eſt de Apoſtolis Euangelium circũferentibus, quibus Chriſtus mandârat

Matt. 28. 19. *Euntes docete omnes gentes.*

Marci 16. 15. *Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ.*

Actuum 1. 8. *Eritis mihi teſtes in Ieruſalem, & in omni Iudæa & Samaria, & vſque ad vltimum terræ*, id eſt, vbique.

Pſal. 18. 5. *In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Senſus legitimus eſt & lit-

& litteralis, VBIQVE ac omnibus hominibus inſinuant cœli gloriam Dei. VBIQVE & à cunctis ſonoræ claræq; voces eduntur, reſonant, intelligibiliter proferuntur, diſtinctè percipiuntur. Sub hoc ſenſu myſticus continetur, vel ſi ſic no- *Tolet epiſt.* minare lubet, litteralis Propheticus, de prædi- *ad Rom.* catione Euangelica, quem expreſsit Paulus *Salme. To* Roman. 10. 18. *In omnem terram exiuit ſonus eorum* (Apoſtolorum) *& in fines orbis terræ verba eorum.* *13. d. 34.*

At quomodo Apoſtolorum tempore Euangelium gentibus omnibus vbique fuit propoſitum, & promulgatum, quum ne hac quidem noſtra ætate id videatur verum? Ingens enim terrarum tractus, priſcis mortalibus penitus ignotus noſtrorum hominum, tum Orientali, tum Occidentali nauigatione deprehenſus, apertè declarat, ne Euangelij quidem famam aut nomen vbiq; perſonuiſſe. Accedit quod ex Origene, Dorotheo, Euſebio, Hieronymo, Iſidoro, aliiſq; Eccleſiaſticis ſcriptoribus apertè colligitur, quinam, & quibus in regionibus Apoſtoli Euangelij lucem intulerint.

Petrus enim Euãgelium prædicauit in Iudæa in Syria, Galatia, Cappadocia, Ponto, Aſia, Bithynia, Italia. Paulus, vt ipſemet teſtatur Roman. 15. 19. ab Ieroſolyma in circuitu, vſque ad Illyricum, poſtea Romæ, & in nonnulla Italiæ parte, atque in Hiſpania. Ioannes in Iudæa, & in Aſia minori, & nonnihil etiam Romæ. Iacobus Zebedæi in Iudæa, & vt fertur, in Hiſpania. Andreas in Scythia, Europœa, in Epiro, in Thracia, & in Achaia. Iacobus frater Domini in vrbe Ieruſalem. Philippus in Scythia, & in Phrygia. Bartholo. in India citeriori, & in maiori Armenia. Matthæus in Aethiopia. Tho. apud Parthos,

Medos, Perſas, Brachmanes, Hyrcanos, Bactros, Indos, Simon in Meſopotamia, Iudas in Aegypto: & ambo poſtea in Perſide. Matthias in interiori Aethiopia. Barnabas vnà cum Paulo in Syria, & in multis Europæ, atque Aſiæ regionibus, & deinceps in Cypro. Itaq; Origenes & Auguſtinus non vno loco, multis probare nituntur, ne ſua quidem ætate vbique in orbe vniuerſo Euangelium fuiſſe promulgatum. Imo Auguſtinus differens cum Iſychio de fine Mundi teſtatur, multas ſuo tempore in Africa fuiſſe gentes, quæ Euangelium, neque acceperant, neque audiuerant. Omnes verò illas, ſiue prædictiones, ſiue præceptiones Chriſti interpretatur, quomodo idem Dominus promiſit Matth. vlt. Futurum ſe cum Apoſtolis vſque ad conſummationem ſeculi, id eſt, cum illis quàdiu hic viuerent, & cum ſucceſſoribus ipſorum quamdiu mundus iſte perduraret: vt nimirum prædicent *VBIQVE*, nullo gentis vllius delectu, quoad vita ſupererit, eandem poſteris curam demandaturi, vt hi ſuppleant, quod ipſis per tempus implere non licuerit. Conſentiunt S. Thomas, Auctor operis Imperfecti in Matth. cap. 24. Gregorius, Hieronymus, Beda. Quocirca illuſtrem hic Hyperbolem notant recentiores Interpretes. Vnum alterumve nominatum refero, cæterorum idem eſt ſenſus.

Orig. tract. 28. in Matt. S. Aug. l. de Vnit. Eccl. c. 15. Lib. de nat. & gratia c. 2. Epiſt. 80. ad Iſych.

Ioannes Lorinus Actu. 1. 8. Ad ea quæ ex Apoſtolo ſunt allata, *obuia reſponſio eſt, vt per Hyperbolem, in toto dixerit orbe prædicatum Euangelium, quia in pleriſque locis prædicatum erat.* Idem in Pſal. 18. 5. Quomodo prædicatum ſit vbique, ac per omnem terram perſuaſerit Euangelium, quando ſcribebat Paulus, diſputant eius Interpretes. *Nos demonſtrauimus in præcipuis orbis partibus euangelizatum, non omnino in omnib.* Bene-

Benedictus Iuſtinianus Roman. 10. 18. *Ego, ſi quidquam iudicando valeo, ne noſtra quidem ætate crediderim, Euangelium omnibus gentibus ac nationibus patuiſſe. Quid autem in poſterum futurum ſit, malo ingenuè fateri, neſcire me, quam temerè diuinare.* Nam quod adfertur ex Matthæo: *Et prædicabitur hoc Euangelium in vniuerſo orbe, in teſtimonium omnibus gentibus, & tunc veniet conſummatio, non de mundi interitu, ſed de vrbis Ieruſalem euerſione intelligendum eſſe, Marci, & Lucæ eiuſdem rei narratio probat: neceſſe vt ſit tum illa Matthæi, tum iſta Pauli verba non ſine aliquo ſchemate intelligere, ſiue totum pro maxima parte ponatur, ſiue ὑπερβολικῶς plus multo dicatur, quàm reuera ſit.* Ita legimus apud Lucam, iuſſu Auguſti vniuerſum orbem fuiſſe deſcriptum, quod non niſi de Orbe Romano intelligi poteſt. Nec dubitandum eſt ad Hyperbolem pertinere, quod in calce Euangelij ſui ſcribit Ioannes, ſi cuncta Chriſti miracula ſingillatim ſcribenda ſint, ne ipſum quidem mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt libri. Quomodo etiam accipienda ſunt, quæ ſcribit Apoſtolus

Legendus Suarez To. 2. in 3 p. d. 56 ſect. 1. Ioſeph. Acoſta l. 1. de nouiſ. tem. c. 16. Frid. Lumnius l. de extrem. iudicio c. 41. Maldon. in Matt. Enriquez de fine hominis c. 22. n. 3. Bellarm l. 3 de Rom. *Pont cap 4 Tolet. in cap.* 10. *ad* Rom. *Annot. 11. Cornel. de lapide* 16. *Salmeron Epiſt. ad Rom Maluenda lib.* 3. *de Antichriſto.*

Rom. 1. 8. *Fides veſtra annunciatur in vniuerſo mundo.* quo ſpectat

Tertullianus Apolog. cap. 37. *Externi ſumus, & veſtra omnia, ὑπερβολικῶς impleuimus, vrbes, inſulas, caſtella, municipia, conciliabula, caſtra ipſa, tribus, decurias, palatium, ſenatum, forum, ſola vrbis relinquimus templa.*

Rom. 16. 19. *Veſtra obedientia in omnem locum diuulgata eſt.*

Coloſſ. 1. 5. *Audiſtis in verbo veritatis Euangelij.* 6. *Quod peruenit ad vos ſicut & in vniuerſo mundo eſt,*

& fructificat, & creſcit ſicut in vobis. Iuſtinianus: *Quod ſpectat ad hunc locum, eorum mihi perplacet ſententia, qui Hyperbolem in ſacris litteris non infrequentem agnoſcunt.*

Actuum 2. 5. *Erant in Ieruſalem habitantes Iudæi, viri religioſi ex omni natione, quæ ſub cœlo eſt.* Circumloquutio aduerbij localis, Vbique in mundo. Sub cœlo, ſub omni cœlo, ſub vniuerſo cœlo, ſub cœlis, ſub firmamento, Itali Sotto la cappa del cielo: Galli, Soubs la face du ciel: Sub Sole habet Eccleſiaſtes cap. 1. 3. Hyperbolem igitur eo loco agnoſcunt Interpretes, vix tamē parem illi quæ eſt apud Plinium libro 6. cap. 5. qui citat, Timoſthenem conueniſſe coraxim vrbem Colchorum, trecentas nationes, quæ diſsimillimis linguis vterentur.

Ad Coloſſ. 1. 23. *Immobiles à ſpe Euangelij, quod audiſtis, quod prædicatum eſt in vniuerſa creatura, quæ ſub cœlo eſt.* In quæ verba prudenter Iuſtinianus: *Non eſt de huius ſententiæ veritate pugnatius litigandum. Hyperbole ſiquidem, quum nec quiſquam falli-tur, nec eſt fallendi voluntas, longiſſime abeſt à mendacio.* Ceterùm omnis creaturæ nomine, omnis orbis terræ nationes intelligit Anſelmus. At D. Gregorius ſimpliciter hominem accipit: *nomine omnis creaturæ,* inquit, *poteſt intelligi homo.* habet namque commune eſſe cum lapidibus, viuere cum arboribus, ſentire cum animalibus, intelligere cum Angelis.

Anſel. Epi. ad Coloſſ. Greg Hom. 29. in Euāg.

Actuum 28. 22. *De ſecta hac notum eſt nobis, quia vbique ei contradicitur.* At vbique Chriſti nomen nondum erat diuulgatum.

Malach. 1. 10. *Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus Exercituum, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra. Ab ortu enim Solis vſque ad Occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus, & IN OMNI*

LOCO

LOCO ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum eſt nomen meum in gentibus, dicit Dominus Exercituum. Senſus eſt: Chriſtiani è gentibus conuerſi, maiori religione colent nomen meum toto orbe terrarum, quam vos hactenus feceritis in Iudæa. Vbiq; autē mihi offerretur ab iis non pollutum ſacrificium, quale vos offertis, ſed mundum; loquitur autem de ſacrificio viſibili, ac propriè dicto, quod in oblatione Corporis & Sanguinis Chriſti ſub ſpecie panis & vini conſiſtit.

Iuſtinus Dialogo cum Tryphone contra Iudæos: *De noſtris gentium, quæ in omni loco offeruntur ſacrificiis, hoc eſt, pane Euchariſtiæ, & poculo ſimiliter Euchariſtiæ, iam tum loquutus Malachias prædixit, nos quidem glorificare nomen eius, vos autem prophanare.*

Irenæus lib. 4. cap. 34. poſtquam deſcripſiſſet oblationem Euchariſticam. *Quam* (inquit) *Eccleſia ab Apoſtolis accipiens offert Deo in vniuerſo mundo ei qui alimenta nobis præſtat primitias ſuorum munerum, de quo & in duodecim Prophetis Malachias ſic præſignificauit.* Et manifeſtè *ſignificans Malachias* *Lege Bellarmin. li. 1. de*
per hæc, quoniam prior quidem populus ceſſabit offerre *Miſſa c. 10.*
Deo, OMNI autem loco ſacrificium offertur ei, & hoc *Aluar. To.*
purum, nomen autem eius glorificatur in gentib. Hoc *3. qui de o-*
itaque ſacrificium vbique offerri dicitur, nimi- *rat. li. 2. p. 1.*
rum omnibus iis locis, in quibus Chriſtiani re- *c. 12.*
ſident: tam ergo illud vbique, quam Chriſtia- *Beca. opuſ.*
norum religio, quæ etiamnum non niſi hyper- *de ſacrifie.*
bolicè eſt vbique.

At de ſacrificio quoque precum intelligendus Malachias ſit ita, ſed non niſi per hyperbolem precum oblatio in omni loco celebratur.

Euſeb. libr. 1. de demonſtr. Euang. c. 6. *Quod*

inquit Malachias, in omni loco incenſum & ſacrificium offerri Deo, quid aliud ſignificat, niſi non Ieroſolymis, neque definitè in hoc, aut in illo loco id futurum, ſed in omni regione & in omnibus gentibus, quæ quidem orationis incenſum & ſacrificium, quod mundum dictum eſt, non per cruores, ſed per pias actiones ſummo Deo eſſent oblaturæ. Et exponens illud

Iſaiæ 19. 21. *Et cognoſcent Aegyptij Dominum in die illa, & colent eum in hoſtiis, & in muneribus, & vota vouebunt Domino, & ſoluent.*

Inſpice, ait Euſebius, *ſi non hodie, hoc eſt noſtris interim ipſorum temporibus, ipſis oculis cernuntur, non ſolum Aegyptij, verumetiam omne genus hominũ, à multorum Deorum ac dæmonum impio cultu liberatum, & verum Prophetarum Deum inuocans & adorans.* quod tamen & noſtro æuo non niſi hyperbolicè diceretur.

Quod ſi aduerbium vniuerſale *VBIQVE* figuratè à ſacris auctoribus vſurpatur, non eſt vlla ratio, quur non illi contrarium *NVSQVAM* eodem pacto potuerit accipi. An fortaſſe ita ſumitur 2. Machab. 11. *NVSQVAM* recogitans Dei poteſtatem. loquitur de Antiocho.

DISSERTATIO XV.

VOCVLAM GENERALEM NIHIL

Per Hyperbolem eſſe in ſacris vſitatam.

NIHIL fortaſſe frequentius, ſi rectè calculos ſubducamus, hyperbolicum exceſſum continet, apud probatos Diuinorum Scriptores, quam *NIHIL*, vt nihili pædagogulum eſſe oporteat, qui ob voculam *Nihil* hyperbolicè vſurpa-

ſurpatam de Prodigalitate quempiam arceſcere audeat, ſed hi ſunt fructus extremę apud Logodædalos Magiſtellos inſcitiæ, quibus ferula debetur, & repetitæ virgæ Leidenſes, non ſeria Theologi refutatio. Sed probos tamen inſtituendi gratia, & *IVDICI* cuius Imperio dicimus, obſequẽdi, hunc funem porro trahamus, erit in nihilo haud dubiè, non de nihilo, quod optamus operæ pretium.

Iob 7. 16. *Parce mihi, Nihil enim ſunt dies mei.* Breuitas vitæ dicitur nihil, quomodo nihil, ſi vita, ſi dies, ſi anni. Exceſſum nota & Hyperbolem. Quamuis enim *numerus menſium vitæ noſtræ apud Deum ſit. licet menſurabiles poſuerit dies noſtros.* tametſi homo manè ſicut herba tranſeat, manè floreat, & tranſeat, veſperè decidat, induret & areſcat. quamquam momentaneum, & leue ſit vitæ huius quicquid eſt, & mille anni humanæ vitæ ante oculos Dei ſint tanquam dies heſterna, quæ præteriit: maius tamen aliquid ſemper occurrit, quam *NIHIL*, quod Hyperbole adinuenit, eoque mirè delectatus eſt diuinus Cantor, *Iob* 14. 5. *Pſal.* 38. 6. 2. *Cor.* 4. 17. *Pſal.* 89. 4.

Pſal. 89. 5. *Quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt.*

Iob 16. 8. *Oppreſſit me dolor meus, & in nihilum redacti ſunt omnes artus mei,* non in cinerem, glaream, vappam, ſed in nihilum. Ergo annihilatus Iob? viuebat tamen, cùm hæc diceret, & hyperbolicè conquereretur.

Exodi 12. 16. *Dies prima erit ſancta, atq; ſolennis, & dies ſeptima eadem feſtiuitate venerabilis, Nihil operis facietis in eis, exceptis his quæ ad veſcendum pertinent.* Multa alia quæ ad Dei cultum, & Synagogæ frequentationem conceſſa fuiſſe liquet.

Gen. 39. 6. De Putiphare apud quem Ioſeph:

Nec quicquam aliud nouerat, id eſt, Nihil nouerat, *niſi panem quo veſcebatur*. Et infra de cuſtode carceris: *Nec nouerat quicquam, cunctis ei* (Ioſepho) *traditis*, quis credat non nouiſſe domum, veſtes, vxorem, filios, nouerat haud dubiè. Sed hyperbolicè deſcribere placuit curam, procurationemque rei domeſticæ Ioſepho plenè commendatam fuiſſe, dormiuiſſe Dominum in vtramque aurem: tradidiſſe claues Oeconomo: de nulla re admodum fuiſſe ſollicitum. Tibullus de Deliâ

Illa regat cunctos: illi ſint omnia curæ.
Et iuuet in tota me Nihil eſſe domo.

Sunt tamen qui ad Ioſephum referant. Hunc quum in poteſtate omnia Domini bene haberet, nihil inde appetiuiſſe, nec in commodum proprium conuertiſſe, præter ſolum panem cibarium, pro victu & demenſo ſeruili. Magis hoc probandum, quem ex ſenſu Rabbinorum, cuncta reliqua curæ Ioſephi commiſſa, præter panem, quem peculiariter Putiphar præparabat, quaſi Aegyptius eodem cum Iudæo, pane non veſceretur, fictitium planè vt conſtat ex Gen. 43. 32. Sed & inepta cuiuſdam expoſitio, panem vxorem interpretantis.

Conſule Ambroſ. de Ioſeph c. 5. Rupertus. Abeneira. Iarchius.

2. Paral. 5. 10. *Nihil erat aliud in Arca, niſi duæ tabulæ, quas poſuerat Moyſes in Horeb.*

3. Reg. 8. 9. *In Arca non erat aliud, niſi duæ tabulæ lapideæ, quas poſuit in ea Moyſes in Horeb.* In qua vniuerſaliſsima excluſione conſentit Ioſephus lib. 8. Antiq. c. 2. lib. 3. c. 6. lib. 4. c. 8. Et tamen Apoſtolus diſertè ſcribit

Heb. 9. 4. *Sancta Sanctorum, aureum habens turribulum, & Arcam Teſtamenti circumtectam ex omni parte auro, in quâ vrna aurea, habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat.*

Itaque

Itaque tria ponit in Arca, quomodo ergo verum, Nihil erat aliud. Eodem ſpiritu inſpirati veridici ſcriptores dicunt de eodem repoſitorio, Nihil erat aliud, & erat quidpiam aliud, diceret Momus Batauus, quia non intelligeret cõciliationem, Scriptorem ſacrũ fuiſſe Prodigè liberalem in vniuerſali negatiua Nihil, & proprio teſtimonio ex Paulo recitato conuinci falſitatis. Quanto modeſtius, & cum Chriſtianâ ſubmiſsione præclarius orthodoxi DD. qui nõ ignorant Nihil vel exceſſum continere, vel exceptionem pati poſſe, mutatis rerum temporumq́ circumſtantiis, quæ pugnantia videntur, felicisſimè conciliant. Siue quod, Regis Salomonis tempore nihil fuerit in Arca aliud, niſi duæ tabulæ, quum autem Paulus ſcribebat, alia quoque conſeruarentur, incluſa vel ab Hieremia Propheta, captiuitatis Babylonicæ tempore Arcam abſcondente, vt Machabæorum* libri teſtantur: vel è ſacerdotibus, vrnam & virgam ſacratiori, tutioreque in loco aſſeruare volentibus, ſiue quod ex tota lege nihil aliud fuerit in arca, niſi duæ tabulæ diuinam legem continentes, vt ſcribitur in libris Regum: fuerint tamen nihilominus virga Aaron, & vrna continens manna, vt ſcripſit Apoſtolus: hæc enim duo primum illud nequaquam excludit: ſiue quod duæ lapideæ tabulæ tantum in Arca fuerint, quoniam etſi cætera quoque in ea erant, quæ commemorat Paulus, ad legem tamen ſeruandam potiſsimum facta erat arca: ſiue quod ſolæ tabulæ lapideæ intra arcam continerentur, cætera fuerint in capſula quadam lateri arcæ adhærenti: ſiue quod ea omnia fuerint in Arca tempore Moyſis, ſed quum Salo-

Melchio. Canus li. 2. de locis c. 11. ad 7.

Mich. Med. l. 6. de recta in Deũ fide c. 25.

Ambr. Catharin. de clauib SS. claui 2. Et Annot in Caiet & in ep. ad Hebr.

Lyran. li. 3 Reg c. 8.

Abulen. 16. q. 6.

Caue in ep. ad Hebr.

Azor. To. 1. li 6 c. 43.

Iuſtinian. ep. ad Hebr.

Ribe. 1. Cor. de lapide in eand. ep.

** 2. Mac. 2.*

Salomon templum dedicauit,nihil aliud fuerit præter tabulas.Siue quod Paulus non dicat illas res fuiſſe in arca,ſed in tabernaculo:nã in Græco tabernaculum eſt fœminini generis σκηνή. Quum igitur Paulus ait, in qua erat vrna aurea, & virga Aaron: relatiuum (in qua) non referet arcam,quæ proximè præceſsit, ſed tabernaculum paulò ante nominatum. Itaque vt dixerat primò, Tabernaculum factum eſt primum,quę dicitur ſancta, ita nunc, tabernaculum, quod dicitur Sancta Sanctorum, in qua vrna aurea habens manna. Nec eſt inſolens Latino Interpreti Articulum,vel Relatiuum aptare,non voci Latinæ,ſed Græcæ.

Pſal. 74. 9. *Quia calix in manu Domini vini meri plenus mixto.& inclinauit ex hoc,in hoc*;pro ex hoc, in hunc:reſpexit enim ad Græcam vocem neutrius generis.

Sap. 1. 7. *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia,ſcientiam habet vocis*,refert enim Græcam vocem πνεῦμα.

Apoc. 10. 9. *Accipe librum,& deuora illum,& amaricari faciet ventrem tuum,& in ore tuo erit dulce, tanquam mel*: reſpexit enim ad nomen Græcum βιβλαρίδιον.

Apoc. 11. 4. *Hi ſunt duæ oliuæ & duo candelabra in conſpectu Domini terræ ſtantes.*

Nec nouum eſt aut præter Pauli conſuetudinem, relatiuum ſpectare ad id, quod remotius eſt,non autem ad id quod propius poſitum erat.

Roman. 1. 3. *Qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem,qui prædeſtinatus eſt Filius Dei.* Poſterius relatiuum Qui, non ad Dauid proximè poſitum,ſed adChriſtum prius appellatum,refertur.

Pſal

Pſal. 14.4. *Ad nihilum deductus eſt in conſpectu eius malignus*, vbi vilitas, contemptus, deſpicientia, voce Nihilum hyperbolicè attollitur, vnde Hieronymus legit: *Deſpicitur oculis eius improbus.* Pagninus, Vatablus, Caietanus, Campenſis, *contemptus ſiue ſpretus in oculis eius, reiectus, aut reprobus, & abominabilis.* Græcè ſignificanter ἐξȣδένωται, *annihilatur.*

Pſal. 38.6. *Subſtantia mea, tanquam nihilum ante te.* Alia Pſalteria, & Caſsiodorus, *tanquam nihil ante te eſt.* Hieronymus 2. contra Pelagianos: *Subſtantia mea, quaſi nihilum in conſpectu tuo.* Alij æuum, ætas, tempus vitæ meæ tanquam nihil
coram te. Immò creaturas totas nihil eſſe com- *Auguſt. de*
paratas Deo, Auguſtinus & Hieronymus pro- *quantitate*
nunciant: quid mirum cum id clariſsime dicat *animæ c.33.*
Daniel. c. 2.32. *Omnes habitatores terræ apud eum* *Et ſer. 38.*
in nihilum reputati ſunt. Eccleſ. 2.2. *Vidi nihil per-* *de temp.*
manere ſub Sole. quomodo? nõne *terra in æternum* *Hier. c. 40.*
ſtat? Eccleſiaſt. 1. 4. non repugnant ſobriè ſa- *Iſa. 17.*
pienti.

Pſal. 57. 8. *Ad nihilum deuenient, tanquam aqua decurrens.* Ad nihilum deuenit, vt Hugo adnotat, qui recedit ab eo, *qui eſt.* Exodi 3. 14. ſocius fit eius, *qui non eſt*, id eſt, diaboli, Iob 18.15. Coniungit ſibi peccatum, quod *non eſt*, ac nihil eſt, Ioan. 1.3.

Pſal. 57.9. *Et tu Domine, deridebis eos, ad nihilum deduces omnes gentes* ἐξȣδενώσεις.

Pſal. 72.20. *Velut ſomnium ſurgentium Domine, in ciuitate tua imaginem ipſorum ad Nihilum rediges*, id eſt, valde deſpicies, contemnes, ſpernes, propones imaginem impiorum vt iudicio damnatorum, proſcriptorum, extremo ſupplicio afficiendorum.

Pſal.

Pſal. 72. 22. *Ego ad nihilum redactus ſum, & neſciui*, q. d. Heu me! ego corde inflammatus, renibus defectus, toto corpore exeſus, & cõſumptus penè etiam ad inſaniam redactus, & in beſtiam translatus, tandem in nihilum deſij, rerũ, quæ nihil ſunt, appetitione. Ad quæ alludens Bernardus ſerm. de triplici cohærentia vinculorum: *Ego nec hic, nec alibi ſum, quia ad Nihilum redactus ſum, & neſciui. Verè ad Nihilum. Hinc eſt, quod corde confractus, & corpore diffluo in voluptates, in amaritudines, habens innatam culpam, pœnam cognatam, totus fluidus & eneruis. Ille autem, qui idem ipſe eſt, qui dicit: Ego ſum, qui ſum, veraciter eſt, cui eſt eſſe, quod eſt. Quæ ergo participatio, quæ conuentio illius, qui non eſt, ad illum qui eſt?*

Pſal. 77. *Ad nihilum redegit valde Iſrael.* Hyperbolem explicat Hieronymus, proiecit vehementer Iſrael. Alij, execratus, abominatus, deteſtatus, auerſatus, abhorruit. Arabicè, ſpreuit, Chaldaicè, Abominata eſt, vel proiecit anima eius valde. *Qui lætantur in nihili*, Amos 2. 14. eorum in nihilum artus ſolent redigi.

Pſalm. 80. 15. *Pro nihilo forſitan inimicos eorum humiliaſſem.* Hieronymus quaſi nihilum, quod alij, breui tempore, nullo negotio, ſine labore. Arnobius, ad nihilum. Auguſtinus, in nihilum. Caſsiodorus, quaſi in momento, breui. Explicant Hugo, & Remigius: Inimicos eorum humiliaſſem pro nihilo habendos, & ad nihilum redigendos. Genebrardus: pro nihilo, id eſt in modico, pro re modica, pretioue: contentus vel ſola obedientia, ſed profectò, magnum, ſpiſſumq; Nihil, eſt obedientiæ ſacrificium.

Actuum 5. 36. *Omnes qui credebant ei*, Theodæ, *diſsipati ſunt, & redacti ad nihilum.* Vbi rectè animaduertit Lorinus, non videri neceſſariam Carthuſia-

thuſiani annotationem, ad *NIHILVM* redactos non abſolutè, quum animæ ſint immortales, & prima materia incorruptibilis, ſed quantum ad id, quod attentarunt, & de terra ſeu vita præſenti ſublati ſunt. Eſt enim trita formula ac communis per hyperbolem, ſignificandi interitum.

Ioan. 15. v. 5. *Sine me NIHIL poteſtis facere*, quod ſi hic *NIHIL* ita vniuerſe accipiatur, vt vox illa Grammaticis ſonat, dicendum erit cum Caluino, & noſtri temporis Sectariis, hominem, nec bonum aliquod morale, cum ſolo generali auxilio, nec liberum arbitrium cooperando gratiæ diuinæ quicquam poſſe efficere. Apage tantum probrum, & dedecus. Itaque ad illa ſolum opera accommodandum erit, quæ ad ſanctificationem hominis, & ſalutem pertinent, de quibus paulò ante dixerat Dominus: *Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum.* Atque ita vniuerſale illud enunciatum intellexit Concilium Arauſicanum Cano. 7. eoq; pertinent ſimilia 1. Cor. 4. *Quid habes, quod non accepiſti?* ſcil. nihil habes, quod non accepiſti.

2. Cor. 3. *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis.*

Ad Epheſ. 2. *Ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis.*

Ad Philip. 2. *Deus eſt, qui operatur in nobis velle & perficere.*

Hæc enim omnia quamuis vniuerſe pronůcientur, pertinent tamen ſolum ad opera pietatis, ac ſalutis, quæ ſine Deo neque inchoari, neque perfici poſſe ex fide conſtat.

DISSERTATIO XVI.

HYPERBOLEM

Vsvs Loqvendi poſtulat.

Vrbanitati ſeruit Hyperbole. EN aliud argumentum pro moderatâ Hyperbole, quam vel inducit, ac roborat, vel eius neceſsitatem demonſtrat cotidiana ſermonis humani conſuetudo: in quâ vel vrbanitas, vel hominum quibuſcum loqueris, conditio, vel communes formulæ ſuperiectionem poſcunt. *VRBANITAS* dico, cuius bona veniâ dum vniuerſe quidpiam de hominibus adfirmamus, nec noſipſos, nec illos quibuſcum loquimur, comprehendimus. Sum in circulo, agitur de Titio, qui mihi alter-ego laudes ipſius largiter profundo, illud etiam mutui amoris teſtandi gratiâ. Nemo me magis amat, quam Titius: in quo vicißim amando, teſtis mihi Diua fidelitas, omnes, omnes ſupero, quis non intelligit quod ego, me; Titius ſe, quam ille me; ego illum magis diligam, quomodo ergo Nemo, & repetitum Omnis? Hyperbolem vſitatam induxit vrbanitas.

Mat. 8.10. *Luc.* 7.9. Dominus Chriſtus auditâ oratione Centurionis, fidei plenißima, miratus eſt, id eſt, ad modum mirantis hominis loquutus, quaſi admirando, dixit: *Non inueni tantam fidem in Iſrael,* ἐδὲ ἐν τῷ ἰσραήλ, *Ne in Iſrael quidem tantam fidem inueni.* Quomodo hoc dicat Chriſtus, cùm in Prophetis, & Apoſtolis, certè in B. Virgine credendum ſit, fuiſſe maiorem, dubitatum eſt à multis, & meritò, D. Hieronymus, & Beda, Patriarchas & Prophetas excludunt: ſed quid de Apoſtolis & Deiparâ dicetur? Aliud innuit S. Hiero-

Hieronymus. Non vnius Centurionis cum ſingulorum Iſraelitarum, ſed Eccleſiæ Gentilium, quæ per vnum centurionem ſignificatur fidem, cum totius Eccleſiæ Iudæorum fide comparari, ſed hic ſenſus eſt anagogicus, non litteralis. Placet, quod accuratis ex ordine noſtro Inter- *Maldonat.* pretibus excipi Apoſtolos, & Virginem, licet *Barrad.* non nominentur: itaque vniuerſale enunciatum hyperbolicè vſurpari. Sic enim ſolemus aliquando generaliter loqui, vt eos, de quibus dubium non eſt, nõ comprehendamus, ſed velimus excipi. Dicimus interdum coram facundiſsimo Oratore, illum quem audiuimus Eccleſiaſten, omnium, quos vnquam viderimus eloquentiſsimum eſſe; nimirum illo excepto, quo cum loquimur, aliiſque non paucis circũſtantibus, viris in illa arte exercitatiſsimis, cum quibus inuidioſum, ac inurbanum eſſet, alterũ comparare. Dicit Imperator, Palatinum, vel Saxonem, aut Bohemum, eſſe totius Imperij potentiſsimum, haud dubiè, ſe non comprehendens, quum illos ſe potentiores non agnoſcat, nec velit dicere. Itaque quum dicit Dominus vniuerſè, ſe in Iſrael tantam fidem non inueniſſe. Familiam ſuam, id eſt, Matrem ſacroſanctam, ac Apoſtolos non comprehendit.

Matth. 11. 2. *Inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta*, inquit ipſa Veritas Chriſtus, quod eſt idem, ac ſi abſolutè dixiſſet: Neminem Ioanne maiorem. Difficilis ſententia ob vniuerſalem vocem, aut formulam: quâ adeò Ioannes extollitur, vt non ſolùm alij omnes, ſed Chriſtus etiam ipſe deprimi videatur. Quomodo enim inter natos mulierum Nemo maior, id eſt, ſanctior Ioanne Baptiſta? An Chriſtus illo non ſanctior? An Deipara? de qua, vt omit-

tam Angelicam ſalutationem, quæ illam gratiâ plenam prædicat; innumerabilia ſunt ſanctorũ Patrum teſtimonia, quibus illius gratia & ſanctitas vſq; eò exaggeratur, atq; amplificatur, vt quantò à Chriſto fonte diſtat ſanctitate, tanto cæteris omnibus præſtet interuallo. Quid de Apoſtolis dicẽdum, quos alii pares Ioanni ſanctitate, munere ſuperiores, vt B. Thom. & Anſelmus aſſerunt, alij præferre nõ dubitant, quũ illi omnes diuinis Spiritus S. muneribus perceptis, tum frequenti Sacramentorum vſu, tum propria quiſq; actione ac ſtudio gratiam, in qua erant confirmati, & caritatem tantoperè auxerint, atq; in perfectionis ſtudio vſq; eò proceſſerint, quo vix cuiquam in hac vita mortali aſpirandum videatur, vt Apoſtolicæ ſanctitatis magnitudinem vix vllus cogitando aſſequi, nedum explicare dicendo queat. Quid? quod nondum liqueat, fueritne Ioannes omnibus antiquis Prophetis ſanctior, quamuis enim ex illis nemo Ioanne maior, non tamen continuo ſequitur omnes illo eſſe inferiores: Potuerunt enim aliqui (vt Hieronymus & Auguſtinus obſeruarunt) eſſe virtute pares. Vel, ſi quis ea ratione dicendi cæteris omnibus Ioannem præferri contendat, referri poſſet Chriſti oratio ad primam Ioannis iuſtificationem, vt nemo illo ſanctior ſurrexiſſe intelligatur, quod nemo illo nobilius, aut maioris gratiæ copia, ab originaria labe fuerit expiatus. Viſus eſt alicubi Cyrillus Chriſti verba explicare de humana, planeq; morali virtute, qualis eſt abſtinentia ac vitæ aſperitas, vt ea quidem dicatur Ioannes omnes ſuperare Prophetas: ceterũ illam ipſam qualemcunque virtutem à gratia Spiritus Sancti longè ſuperari.

Sed

Sed quid attinet his ſubtilitatibus ſententiam per ſe non admodum facilem, obſcuriorem reddere? Facilior eſt explicatus, ſi agnoſcatur Hyperbole.&, vel dicatur cum Hieronymo, Ioannem non cum omnibus, ſed cum ſolis Sanctis veteris Teſt. conferri, ideoq; τὸ Nemo, non omnes, vt primâ fronte videtur excludere: Chriſtum, B. Virginem, Apoſtolos ad nouum Teſt. ſpectare, vel, ſequutum Dominum vulgarem modum loquendi, quo dum quidpiam generatim de aliquo adfirmamus nosipsos & quoſdā alios, qui facile excipi intelliguntur, & non omnino ſtupidis, comprehendi nolumus.

Et illud loquentium conſuetudine introductum, vt quæ in quopiam, vel natalibus illuſtri, vel infra aliorum ſortem abiecto & hominum æſtimatione agreſtiſsimo, mediocria ſunt, ſumma dicantur, hyperbolicè, vt opinor. Nam quicquid præter debitum, & opinionem accedit, in maximis haberi ſolet, & efferri hac figurâ. Filius Principis pangit carmen, quod vix ſuis cōſtat numeris, componit orationem, in quā ſunt pleraque, quæ Latini ſermonis conſuetudo non patitur, recitat, vt balbutire videatur, quia tamen Principe natus, omnia immenſum augentur, audit poeta elegantiſsimus, facundiſsimus Orator, alter Virgilius, par Tullio, & quis reprehendit, qui communibus eſt aſſuetus formulis? Agreſtem & ſyluicolam, ex harâ paternâ ad ſcholas tralatum, ſi nōnihil ex Philoſophia delibauerit, vt eminere poſsit inter ſuos, magnū dicunt Philoſophum, & Ariſtoteli, ac Platoni anteponunt, qui cum vulgo loquutur. Memini legere Traianum Imperatorem magnū habitū fuiſſe pictorem, nimirum, quia præter debitum & opinionem, nam quantuſcunq; pictor eſſet,

magnum tamen Imperatorem, magnum pictorem eſſe debere quis dicat? Diſputant quidem aculeatè Dialectici, an bona ſit collectio à diuiſis ad cõiuncta. Eſt magnus & pictor, ergo magnus pictor, & poſt multas ſpinoſas diſtinctiunculas, negant bene colligi, ſed populus his paliuris non compunctus, aliam loquendi formam introduxit: docti quoque Ariſtotelicis præceptionibus eruditi, loquendum cum multis, quod è Logicorum canone non licet, à præſcriptione populari deſumunt, & qui magnus eſt ſtirpe, licet mediocris in Philoſophia, magnum appellant Philoſophum, quaſi magis approbandam cenſeant communi more receptam Hyperbolem, quam ſcrupulariter philoſophantium Canonem.

Auct. Imp. Homil. 22. Hic iterum in mentem venit illud Chriſti D. *Non inueni tantam fidem in Iſrael*, quod Auctor Imperfecti, dum exponit, ait non ſimpliciter, ſed proportione perſonæ, fidem Centurionis Apoſtolorum fide maiorem fuiſſe, quia Apoſtoli Iudæi, Centurio gentilis erat. Itaque maior erat in illo mediocris, quàm in Apoſtolis ſumma fides: quo ſchemate, maxima ſunt in Principe, quæ in ſubdito minima.

Tituli ferè omnes hyperbolici. IAM verò quis non animaduertet, ſi mentem intendere lubeat, maiorum compellationes honorificas, titulos, inſcriptiones, acclamationes, & ſi quæ ſunt, ſimilia formulis Hyperbolicis à viris quoque religione ac ſanctitate maximis exprimi, quod ipſum dum dico, abſque Hyperbole non potui.

Paulus Apoſtolus agens coram Felice & Feſto, vtrumque *OPTIMI* titulo exornat, & quis ille Felix? dicet Tacitus, qui lib. 21. *Felix*, inquit, *per omnem ſæuitiam, & libidinem ius regium ſerulli*

inge-

ingenio exercuit, Druſilla, Cleopatra, & Antonij nepte in matrimonium accepta, vt eiuſdem Antonij Felix gener Claudius nepos eſſet. Suetonius dicet, qui narrat Felicem trium Reginarum fuiſſe maritum, ex Liberto autem Claudij ad ampliſsimos prouectum honores, quippe qui Pallantis illius, penes quem Claudij temporibus ſumma rerum erat, germanus fuerit; de eiuſdem ſæuitia, calliditate, libidine multa Ioſephus, ex quo habes tam mulieroſum fuiſſe, vt libidinis explendæ gratia, nullam religionis, legumque rationem habuerit. Coram eo tamen conſtitutus Paulus, optimum vocans, *ex multis annis*, inquiebat, *te eſſe iudicem genti huic, ſciens, bono animo pro me ſatisfaciam*, Actuum 24. 1. vbi, dum codices græci addant, Iudicem δίκαιον, *iuſtum*, notat Chryſoſtomus, non eſſe vocem adulationis, ſed propriam, neceſſariamq́; conditionem Iudicis, quã præditum præſidem conſideret ipſe, nullam in hac cauſa Principis Sacerdotum, vel accuſatorum aliorum rationem habiturum, quo minus ex iuſtitia iudicaret. Et Cæſar Baronius grauiſſimè: *Non eſt putandum Paulum adulatione, atque mendacio demulcere voluiſſe ſceleſtiſſimum omnium Felicem, vel Feſtum optimos appellando.* Licet autem ipſe exiſtimet id accidiſſe, vt ſicut iis temporibus ille vigebat loquendi vſus, vt quique candidati hoc titulo ſalutarentur Boni viri, ita Magiſtratum adepti, iidem dicerentur OPTIMI, vnde & Optimates; tamen negari non poteſt, in eo titulo eſſe ementientem ſuperiectionem, & ab Hyperbole ductam originem, ſicut tot aliorum, quæ hodieq́; vſurpantur, vt *Excellentiſſimi, Illuſtriſſimi, Clementiſſimi*, quod nonnunquam maximè ſeueri, & in ſuos crudeles, ac Tyranni audiunt. Quamuis autem homines eximia quadam

Suet. Clau. cap. 28.

Lib. 20. antiq. 5.

De bello li. 2 c. 10.

Tom. 1 an. Chriſti 58.

dam ſanctitate præditi cauere ſoleant,ne in narationibus,quæ nudam,ſimplicemq́ veritatem poſtulant, exaggerationibus Hyperbolicis vtantur,ideoq́ à ſuperlatiuis plurimum abſtineant: ſuperſtitioſus tamen is omnino haberetur, qui hyperbolicam ſalutandi formulam pro perſonarum diuerſitate anxiè deuitaret, & od... omitteret.

Ignat.Loio. Ignatium Loiolam Societatis Ieſu parentem eximia virum pietate, & prudentiâ, à ſuperlationibus vulgo vſurpari ſolitis, alienum fuiſſe accepimus: de eo ita ſcribit Io. Petrus Maffeius fide dignus hiſtoricus: *In loquendo fuit adeò conſideratus,& parcus, vt nullum planè verbum, niſi conſultò ac meditatò proferret, neque figuris, vel amplificationibus vtebatur, ſed rei geſtæ ſeriem, & rationum momenta ſine fuco exponebat.* Et alibi: *Suſpenſa, vel ambigua,vel obſcura verba,perplexum de induſtria,incertumq́ ſermonem,vt barbaras artes, & ſubdola mendacij tegumenta, ſideiq́ ac ſocietatis humanæ perniciem ſemper eſt deteſtatus.* eundem tamen, cum principes & primæ dignationis viros compellaret,hyperbolicis,ac præſcriptis titulis abſtinuiſſe, mihi nō perſuadeo. Nam eūdem Spiritum, quem Ignatius,hauſerat Franciſcus Borgia,Dux olim Gandiæ,poſtea Societatis Ieſu Præpoſitus Generalis, de quo Andreas Scottus: *Mirabatur eos qui quantum alijs de honore in ſalutando detraxerint, tantum ſibi arrogent vindicentq́ue: ea re magni videri velint, cùm ieiunè alios appellarint, quibuſcum certare officiis oporteret.Modum itaque titulis ſtatuendum, ne tot odia naſcerentur, vt mercibus pretium in benè conſtitutis rebuſpu.ſolet,iudicauit.Ipſe verò minimè reſtrictus in titulis dandis fuit, imo perliberalis, & benignus,ſi quem his palatij fumis delectari intelligeret. Si peccandum,* inquit, *alterutrum in partem eſt, in exſu-*

Lib.3 c. 6.

Libr.3.c.10.

De vita Borg.

exſuperantiâ, quàm ſi quid detraham, offendere malo. Conſtat igitur niſi contra vrbanitatem, & communem loquendi modum peccare velimus, hyperbole nonnunquam eſſe vtendum.

Quum Daniel ſanctiſſimus Propheta ſomnium ſtatuæ admirabilis explicaret Nabuchodonoſori, quas non ille hyperboles ſiue in regiis titulis, ſiue potentia exprimenda vſurpauit? *Tu Rex regum es,* inquiebat, *& Deus cœli, regnum, & fortitudinem, & imperium, & gloriam dedit tibi. Et omnia in quibus habitant filij hominum, & beſtiæ agri, volucres quoque cœli dedit in manu tua, & ſub ditione tua vniuerſa conſtituit.* Alibi verò: *Tu Rex magnificatus es, & inualuiſti, & magnitudo tua peruenit vſque ad cœlos, & poteſtas tua ad terminos vniuerſæ terræ.* Annon hyperbolicum vocare Nabuchodonoſorem *Regem regum*? an non fidem excedit, quod vniuerſa quæ homines & beſtiæ inhabitant, regis illius imperio ſubiecta fuerint? Conſtat enim nec Europam ſaltem totam, nec Indiam, vt aliæ complures prouinciæ & gentes taceantur, Regis Nabuchodonoſoris dominatione fuiſſe ſubactas.

Dan. 2. 37
Dan. 4. 19
Perer. li. 1. *in Dan.*
Antonius Ferdin antdini viſio. 21. *Sect.* 3

DISSERTATIO XVII.

QVANDO LICEAT SVSPICARI eſſe Hyperbolem in vocibus vniuerſalibus.

NE autem ex iis, quæ hactenus à me diſputata conficias, Pſeudole, quod ſtupori tuo, tuorumque eſſet conſentaneum, fas eſſe quandocumque in vocem vniuerſalem incidis, opinari, latere Hyperbolem, aut generalem omnem propoſitionem hyperbolicè explicari debere, vel poſſe, neceſſario dandæ ſunt regulæ, ad quas Hyperbolicam loquutionem exigere oporteat. Illud igitur vniuerſim præmittatur. Generales bonorum auctorum, & Diuinæ maximè Scripturæ ſententias, non licere cuiquam pro arbitrio ſtringere, nec diminuere earum per tropum veritatem, adhibitis exceptionibus, itaque neceſſarium omnino eſt, vt præclara illud ratio aliqua ſuadeat. Eſt enim hic Canon ſapientum conſenſu Interpretibus ſacrorum voluminum poſitus, & commendatus: A verbis Auctoris, ſecundum rationem Grammatices, & à propria vocum ſignificatione, ſi verus cōmoduſque inde ſenſus eliciatur, non eſſe recedendum, nec ad figuratam, niſi impellat ratio, confugiendum. Secus ſi fiat, omnium vniuerſalium ſententiarum diuinæ Scripturæ veritas dubia reddetur, & incerta, imò peribit vniuerſa, certè ſenſus eius primarius, & literalis: habebitque tantum importunas quaſdam, & intempeſtiuas interpretatiunculas, quas quilibet inſanientis cerebri parturitione fœcundus, illi affinxerit. Quod olim grauiſsima reprehenſione caſtigarunt Patres in Gnoſticis, Valentinianis, Marcioniſtis,

niſtis, Hermogene, Philone, Origene, qui omnes ſepoſito ſenſu, quem voces ipſæ præ ſe ferunt, ſomnia quædam & fabulas, per multos troporum & figurarũ anfractus educebant. Quocirca falſe Baſilius, troporum nimios amatores, & vſurpatores, quibus tollatur litteræ veritas, appellat ſomniorum Interpretes, quod ad fictitium illum ſenſum clariſsimas ſententias obtorto collo rapiant, qui ipſis ſomniantibus obuerſabatur. Subdit autem de ſe vir ſinceriſsimus: *Ego quum fœnum audio, fœnum intelligo, & ſtirpem, & piſcem, & feram, & iumentum, omnia vt dicta ſunt, ita accipio.* Eleganter autem Tertullianus: *Certe peruerſiſſimum, vt carnem nominantes, animam intelligamus, & animam ſignificantes, carnem interpretemur. Omnia periclitabuntur aliter accipi, quam ſunt, & amittere quod ſunt, dum aliter accipiũtur, ſi aliter quàm ſunt, cognominantur. Fides nominũ ſalus eſt proprietatum. Etiam quum demutantur qualitates, accipiunt vocabulorum poſſeſſiones. Verbi gratia Argilla excocta, Teſtæ vocabulum ſuſcipit: nec cõmunicat cum vocabulo priſtini generis, quia nec cum ipſo genere.* Et Auguſtinus cum obteſtatione, *Admonemus*, ait, *quantum poſſumus, & præcipimus, vt quando auditis exponi Sacramentum Scripturæ, mandantis quæ geſta ſunt, prius illud factum eſſe credatis, ſic geſtum quomodo lectum eſt, ne ſubſtracto fundamento rei geſtæ, quaſi in aere quæratis ædificare.* nimirum verus legitimuſq; verborum ſenſus fundamentum eſt cæterorum, quæ per figuras ſuperſtruuntur. Figuræ tectoriũ ſunt, & emblemata, quę ſine ſubſtracta tabula, quærere, inſipientis eſt. Merito dixit Hieronymus, Origenem, dum tropicis loquutionibus, & figuris nimium deditus, liberis allegoriæ ſpacijs euagatus eſt, *ingenium ſuum facere, Eccleſiæ ſacramenta.*

Baſil. Hom. 9 in Hexa.

To. 1 initio.

Tertull. li. de carne Chriſti.

Ser. de Abraham & immolatio ne Iſaac.

Præfat. decima viſionis Iſaiæ ad Amabilem Epiſcopum.

Sit itaq; conſtitutum, genuinum ſimplicemque vocabulorum ſenſum, non eſſe figuris, tropiſque abſque cauſa obſcurandum. Cauſa autem, quæ ad hyperbolem ducit, eſſe poteſt varia. Omnis tamen ad duplex caput reuocatur, à Iuriſperitis deſignatum, qui dum curas quoq; ſuas, ad verborum ſignificationem, de quo titulum habent, deriuant, docent, non aliter à receptà verborum proprietate recedendum, quàm ſi mens loquentis alia fuiſſe, vel ex ipſarum rerum abſurditate, vel ex aliis manifeſtiſſimis indiciis deprehendi valeat. Itaq; ſi propoſitiones vniuerſales, exceptionibus conſtringendas eſſe, vel ex aliis eiuſdem Scripturæ locis colligatur, vel neceſſaria, & euidens ratio cogat, ſat magna cauſa erit hyperbolicè eas explicandi: id autem contingere non rarò ex ſub iectis patebit.

Cauſa ſuſpicandi Hyperbolem.

Marcellus IC in l. non aliter l. 3. de legatis.

Pſal. 62. 12. *Laudabuntur omnes qui iurant in eo.* Iurent igitur paſsim homines, & nomen Dei ſui adſumant, nam laudabuntur. Vbi ergo illud Deuter. 5. 31. *Non vſurpabis nomen Dei tui fruſtra, quia non erit impunitus, qui ſuper re vana nomen eius*
Zac. 8. 17. *aſſumpſerit?* quare monet Zacharias: *Iuramentum*
Mat. 5. 33. *mendax ne diligatis?* quur præcipit Chriſtus: *Ego*
Iaco. 5. 12. *dico vobis, non iurare omnino?* An non hortatur Iacobus? *Ante omnia*, fratres, *mei nolite iurare, neq; per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcunque iuramentum. Sit autem ſermo veſter, eſt, eſt: non, non, vt non ſub iudicio decidatis.* Ex his colligo nō laudari qui vanè, qui doloſè, qui malignè iurant. Ergo non omnes; reſtringo itaque vocem vniuerſalem, ad illos tantum, & pauci ſunt, qui re-
Iere. 4. 2. ctè, & debitis cum circumſtantiis, id faciunt, *qui iurant in veritate, in iudicio, in iuſtitia.*
Leui. 11. 3. Leuitici 11. *Omne quod habet diuiſam vngulam, & ru-*

& ruminat in pecoribus, comedetis. An etiam cadauera? an animantia à feris dilaniata? nam vox vniuerſalis etiam iſtiuſmodi complectitur. nemo dixerit:

1. Cor. 9. 25. *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet.* Ergo à cibo, potu, ſomno, actione omni, quid enim vox vniuerſalis excludit? & tamen conſtat Agoniſtas, licet mira quorundam fuerit abſtinentia, eſculentis poculentiſqꝫ exquiſitiſsimis vſos: imò Ariſtoteles Athletarum victum ἀναγκοφαγίαν, id eſt, edendi neceſſitatem vocat, quod maiori quadam cibi quantitate neceſſariò egeant. Vt enim ſcribit Galenus, carnis minæ duæ vix illis ſatis erant, vt non prorſus incredibile videatur, quod de Athleta, Milone, Crotoniata, & Heraclide pugile celebratur, quorum alterum carnium minas viginti, totidemq́ panis deglutiſſe, & vini chaos perſiccaſſe tres: aliquando verò taurum abſumpſiſſe, alterum propè infinitum voraſſe cibum ferunt. Nihilominus Paulus duplici vniuerſali, *Omnis*, inquit, ἀγωνιζόμενος. Ergo omnium continentiam incredibilem, & maximè ciborum profitetur. Contra Baſilius Hom. 2. in ieiun. *Eos*, inquit, *qui palæſtræ laboribus deſtinati ſunt, neceſſe eſt largo cibo ſeipſos impinguare, quo validius labores capeſſant.* Et Tullius: *Subduc cibum vnum diem athletæ, Iouem Olympium, tum ipſum, cui ſe exercebat ferre ſe non poſſe clamabit.* Tertullianus quoque: *Saginantur pugiles & pyctæ olympici, illi in fine ambitio competit, quibus & vires neceſſariæ.* Alibi: *Athletas altiles homines vocat.* Nec diſsimilia ſcribit Hiero. quomodo ab omnib. abſtinent, quorum tanta eſt voracitas? Conſtringenda vox eſt hyperbolica, vti factũ à Caſsiano, qui ſic ſcribit:

Lib 8 polit. c 3.

Lib 2 de dign. ſ puls.

Lib 1 Tuſc.

Lib de ieiu. in fine.

Li de ſpect.

Lib 2 in Iſ.

Et lib. 2 in Iouin.

Lib 6 Inſt. c 7.

Illi, qui agone viſibili ſtudent legitimè decertare, vtendi omnibus eſcis, quas deſiderij libido ſuggeſſerit, non habent facultatem, ſed illis tantum, quas eorundem certaminum ſtatuit diſciplina. A Theodoreto, qui, *reſpicite*, inquit, *ad eorum labores, neque enim omnia conſequuntur, vt concupierint, ſed illud alimentum accipiunt, quod eis offert Pædotriba, is ſcilicet, qui exercitij artem docet.* Ab Ambroſio, cuius ſunt iſta: *ab his omnibus* (abſtinet) *quæ vitanda eadem tradit diſciplina*: & Hieronymo: *Ab omnibus eſcis, quæ curſum eorum impedire conſueuerunt.* non itaque prorſus ab omnibus, ſed iis quæ vires frangunt, ac debilitant, quæque legitimum certamen impedire aliqua ratione queunt, abſtinet.

Matthæi 24. 9. *Eritis odio omnibus gentibus, propter nomen meum.* Et tamen de Gente Galatâ teſtatur Paulus, *ſi fieri poſſet, oculos veſtros eruiſſetis, & dediſſetis mihi*, Galat. 4. 15. & tot aliæ Apoſtolos dilexêre, & Chriſtum intimis præcordiis, ceruicesque ſuas gladio ſuppoſuerunt.

Matth. 5. 11. *Beati eſtis, quum maledixerint vobis homines, & dixerint omne malum aduerſus vos.* quid ſi non niſi pauca contumelioſa verba dixerint, an idcirco non beati? cui quæſo, quicquid omnis mali ambitu continetur, eſt obiectum cõtumelioſe, vnquam?

Ioan. 10. 8. *Omnes quotquot venerunt, fures ſunt & latrones, ſed non audierunt eos oues.* An Moſes & Prophetæ, ſanctiſsimi viri, & fideliſsimi paſtores populi Dei, fures fuerunt? An fur Ioannes Baptiſta, quo nõ ſurrexit maior inter natos mulierum, &, qui tot Chriſti encomiis fuit celebratus? Certè voce vniuerſali & iſti deſignantur, niſi reſtrictioni detur locus. Reſtringunt ergo variè Interpretes, quoniam cogit dicti generalis manifeſta abſurditas. Clariſsimè Euthymius intel-

intelligendam eſſe ſententiam ἀπὸ κοινοῦ, omnes quotquot venerunt, & per oſtium ingreſsi non ſunt, fures ſunt & latrones. Etenim ſanctos Prophetas, ante illum quidē veniſſe, ſed per ipſum tanquam per oſtium ingreſſos, traditque regulam, de qua agimus, ſæpè huiuſmodi generales propoſitiones in Scripturis ſacris ex circumſtātiis loci, temporis, & rerum de quibus agitur, reſtringi debere. Alij illos ſolum voce vniuerſali notari volunt, qui ante Chriſtum venerunt, fingentes ſe eſſe Chriſtum, qualis Theudas, & Iudas Galilæus; illi enim non Chriſtus, non veri paſtores, quales videri volebant, ſed fures erant & latrones. Nonnulli reſtringunt vniuerſalem ad eos, qui non à Deo vocati & miſsi ſunt, ſed ſua ſponte, ſuaq; cupiditate adducti ad ſumendum munus paſtorale, de quibus per Ieremiam Deus: *Non mittebam Prophetas, & ipſi currebant.* & per Oſeam: *Ipſi regnarunt, & non ex me, Principes extiterunt, & non cognoui.* *Chryſoſt. Theophyl. Cyril Alex alij in catena Græca Ierem 23.21 Oſe 8 Aug lib 16. cont Fauſt. c 12 & li. 2. contra aduerſa leges*

Geneſ. 3. 20. *Vocauit Adam nomen vxoris ſuæ Eua, eò quod mater eſſet cunctorum viuentium.* Ergo etiam leonum, boum, ſtirpium, nam & hæc viuere dicunt Philoſophi. *Vide Perer. To 5 ſelect. diſp. diſp 11.*

Geneſ. 41. 57. *Omnes prouinciæ veniebant in Aegyptum, vt emerent eſcas.* An etiam Indi, Iapones, Sinenſes? haud reor, ſunt tamen prouinciæ, inter omnes maximæ. At reſtringenda eſt vniuerſalis ad multas prouincias Aegypto confines.

Cotiens in Scriptura vniuerſaliſsimè dicitur *omnis caro*? & tamen nec beſtiarum, nec volucrum, nec piſcium in vniuerſali comprehenditur, vt notauit S. Hieron.

Zach. 11. 13. *Sileat omnis caro à facie Domini.*

Geneſ. 6. 12. *Omnis caro corruperat viam ſuam ſuper terram.*

Pſal.

Pſal. 64.3. *Omnis caro ad te veniet.*

Rom. 3. 20. *Ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro.*

Ioel. 2. 28. Act. 2. 17. *Effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem.*

Pſal. 115. 2. *Ego dixi in exceſſu meo, omnis homo mendax.* Ergo mendax Chriſtus, ergo ipſe, cùm diceret Dauid.

Ad Coloſſ. 1. 28. *Quem nos annunciamus corripientes omnem hominem, & docentes omnem hominẽ in omni ſapientia, vt exhibeamus omnem hominem perfectum in Chriſto Ieſu.* Non exiſtimo equidem Paulum omnibus hominibus annunciaſſe Chriſtum, quum plurimos ſui etiam temporis ne viderit quidem, licet paratus eſſet docere omnes, & corripere. Nec dici poteſt, omnibus omnem ſapientiam propoſuiſſe, quum multa apud vulgus, & imperitam multitudinem ſilere oportuerit: ſed hac Hyperbole ſignificare voluit, vt exponit Chryſoſtomus, omnia ſe ſapienter docere Ioan. 15. 15. *Omnia, quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis*: quæ dum dicit, nihil excipit, quod ſi ita, quâ ratione conſtabit, quod deinde profert?

Ioan. 16. 12. *Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed nõ poteſtis portare modo. Quum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Leontius reſpondet, quum dicit, *Omnia*, non abſolutè omnia ſignificare, ſed omnia quæ à Patre audiuerat, vt illis tunc diceret. Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, nota feciſſe omnia quæ illis dicere conueniebat, id eſt, quæ portare poterant, vt inquit poſtea, denique omnia, quibus percipiendis tunc erant idonei.

DISSERTATIO XVIII.

An proſcribenda Hyperbole, quod mendacium adornet.

LEgerat nuper in Quinctiliano, neſcio quid ſpinthurnicium, ales inauſpicata, & incendiaria, *Hyperbole eſt ementiens ſuperiectio.* Extemplò ad bubonem ſodalem vnicum, Heus, exclamat, de veritate ſibi blandiantur, quibus in linguâ, ſeu calamo, Hyperbole, vel ipſis eius laudatoribus ementiens, falſitatis matrix: occinuit illicò ferale carmen ignarus bubo: adſtabat olor vocalis olim, inſcitiſsimam ruditatem ſuauibus modulis exſibilans, bellè, vt reor, nam & *mentiri* dicitur, qui citra mendacium ingenioſe fingit quidpiam, ementitur vocem, *qui* imitatur: ementita oratio, eſt colorata, & alteri aſsimilata. Ementiebatur, id eſt, repræſentabat fratrem, ſupplantator Iacob, quâ manu, quâ voce, an idcirco de Mendacio arguendus? Audi ſubtiliſsimo virum ingenio, & Mendacij inſectatorem acerrimum *Lib. 8. c. 6.*

Auguſtinum, eo ipſo libro, quem Mendacio oppoſuit: *Iacob, quod matre fecit auctore, vt patrem falleret videretur, non eſt mendacium, ſed myſterium. Quæ ſi mendacia dixerimus, omnes etiam parabolæ ac figuræ ſignificandarum quarumcunque rerum, quæ non per proprietatem accipiendæ ſunt, ſed in eis aliud, ex alio eſt intelligendum, dicentur* M E N D A C I A, *quod abſit omninò. Nam qui hoc putat, tropicis etiam tam multis loquutionibus, poteſt hanc importare calumniam, ita, vt hæc ipſa, quæ appellatur Metaphora, hoc eſt, de re propriâ, ad rem non propriam, verbi alicuius vſurpata* *Epiſt. cont. Mend. c. 10.*

trans-

tranſlatio, poſſit iſta ratione mendacium nuncupari. Verax ſignificatio, nullo modo mẽdacium rectè dici poteſt, vt in facto ita & in verbo. Magiſtrum ſuum ſequuntur Theologi, in ſcholaſtico puluere, qui quærentibus, An ſit mendaciũ

Azor. To. 3. lib. 13. c. 3. dub. 4. in ſermone tropico, metaphorico, figurato? reſpondent, non eſſe, quod verum eo ſignificetur, licet verba neutiquam accipiantur tam adſtrictè ac propriè, quam vulgo ſoleant.

Quid ſit mendaciũ. Mendacium, quod voce committitur, *eſt dictum quo quidpiam contra id, quod mente animoq; credimus, adfirmatur, vel negatur, animo & intentione illud dicendi,* maximè ſi fallendi alterius gratia contingat, quod cum figuratis loquutionibus non eſt neceſſario connexum, quamuis iis abuti mendaciloquos poſſe non ignorem. Nec eſt, quur Hyperbole magis quam vllus alius tropus, de mendacio infametur, eſt ſanè quur multis nominibus potius quàm multi alij à calumnia vindicetur.

Antiphraſis tropus eſt, qui ſolis verbis cõtrarium ſignificat, quo nihil propius à mendacio abeſſe videtur: an idcirco eliminanda, vt mendacij curatrix? Ergo mendacium in Scriptura multiplex, & frequens admittendum. Nam hæc omnia Antiphraſin ſapiunt.

Matth. 22. 12. *Amice, quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem?*

Matt. 20. 13. *Amice non facio tibi iniuriam.*

Matth. 26. 49. *Aue Rabbi.* 50. *Amice, ad quid veniſti?* Iob 1. 5. *Ne forte peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus ſuis.*

Iob 1. 2. *Tange cuncta quæ poſſidet, niſi in faciem benedixerit tibi.*

Iob 2. 9. *Benedic Deo, & morere.*

3. Reg. 21. 10. *Benedic Deo & Regi.*

Ingenioſe Auguſtinus docens tropos non eſſe *Lib. de Mẽ-*
mendacia, neque Metaphoras, neque Antiphra- *dacio c. 10.*
ſes, & cætera id genus loquutionum. *Quum di-*
cimus fluctuare ſegetes gemmare vites, floridam iuuen-
tutem: niueam canitiem, procul dubio fluctus, gemmas,
florem, niuem, quia in his rebus non inuenimus, in quas
hæc verba aliunde tranſtulimus, ab iſtis mendacia pu-
tabuntur. Et petra Chriſtus, & cor lapideum Iudæorum, 1. Cor. 10.
item Leo Chriſtus, & leo diabolus, & innumerabilia Ezech. 11.
talia dicentur eſſe mendacia. Quid, quod hæc tropica Apoc. 5.
loquutio, vſque ad eam peruenit, quæ appellatur Anti- 1. Petr. 5.
phraſis, vt dicatur abundare, quod non eſt, dicatur dul-
ce, quod acidum eſt, lucus, quod non luceat, parcæ quod
non parcant. Vnde illud eſt in Scripturis ſanctis, ſi non
in faciem benedixerit tibi, quod diabolus ait Domino
de S. Iob, & intelligitur, maledixerit. Hi omnes modi
loquutionum mendacia putabuntur, ſi loquutio, vel a-
ctio figurata in mendacio deputabitur. Si autem non
eſt mendacium, quando ad intelligentiam veritatis a-
liud ex alio ſignificantia referuntur: profectò non ſo-
lum id, quod fecit, aut dixit Iacob Patri, vt benedicere-
tur, ſed neque illud quod Ioſeph velut illudentis loqu-
tus eſt fratribus, nec quod Dauid ſimulauit inſaniam,
nec cætera huiuſmodi mendacia iudicanda ſunt, ſed lo-
quutiones, actioneſque propheticæ, ad ea quæ vera ſunt
intelligenda referendæ. Quæ propterea figuratis velut
amictibus obteguntur, vt ſenſum piè quærentis exerce-
ant, & ne nuda, ac prompta vileſcant. In quibus la-
tet ingens pro legitimâ Hyperbole patroci-
nium.

Nam ſi quid mendacij ſubire deberet in- *Amphibolo*
famiam, id ſiue in actione, ſiue dictione eſſet po- *gia & fictio*
tiſsimum, enormis amphibologia & fictio, quã *an menda-*
tamen à ſanctis extra reprehenſionis aleam, eo *cium?*
quidem titulo conſtitutis, vſurpatam ignorare

non poteſt, qui ſacris perlegendis aſſueuit.

1.Regum 16. Samuel iturus vt Dauid vngeret *Quomodo vadam*, (inquiebat) *audiet enim Saul, & interficiet me: & ait Dominus: Vitulum de armẽto tolles, in manu tua, & dices, ad immolandum Domino veni, & vocabis Iſai ad victimam. Et ego oſtendam tibi quid facias. & vnges quemcunque monſtrauero tibi. Fecit ergo Samuel, ſicut loquutus eſt ei Dominus.* Hic in ſimulatione Samuelem, auctore Deo ſuſceptâ, tenemus, an etiam in mendacio? Non eſt Deus vt homo mendax, nec auctor mendacij.

Gregorius lib. 6. in 1.Reg.c.3. *Quid his vobis oſtenditur, niſi quia tyrannorum verſutia atque ſæuitia interdum eſt pia fraude deludenda? Præcepto namque Domini de armento vitulus tollitur, immolatio ſimulatur, & ad regiam vnctionem peruenitur, quia dum nocere tyranni cupiunt, obijcienda ſunt eis quædam, quæ credunt, vt nocendi aditum non inueniant. Sic Tyranni deludendi ſunt, vt caueatur culpa mendacij, quod tunc bene perficitur, quum illud fit, quod aſſeritur, ſed quod fit, ſic dicitur, vt celetur, quia ex parte dicitur, & ex parte reticetur.*

1.Reg. 21. Dauid vir religioſiſsimus, vt præſenti ſe periculo eximeret, inſaniam ſimulat coram Achis: *Immutauit os ſuum, & collabebatur inter manus, & impingebat in oſtia portæ, defluebantq; ſaliuæ eius in barbam. Et ait Achis ad ſeruos ſuos: Vidiſtis hominem inſanum, quare adduxiſtis eum ad me? An deſunt nobis furioſi, quod introduxiſtis iſtum, vt fureret me præſente?* Idem

1.Reg. 23. quanta diſsimulatione, roganti Abimelech, quur gener regis ac dux exercitus ſolus eſſet, reſpondit, ſe arcani cuiuſdam negotij gratiâ feſtinatò miſſum à rege, ſolum profectũ: alibi famulos operiri aduentum. Id fortaſſe alio tempore contigerat, de quo loquebatur Dauid,

uid, quamuis non ignoraret, Abimelech præſens ſpectare, de eoq; interrogauiſſe.

Iſai.c. 38. Propheta, imperante Domino preciſè denunciauit Ezechiæ: *Hæc dicit Dominus, diſpone domui tuæ, quia morieris tu, & nõ viues.* Sciebat Dominus id non fore, ſe namque flectendũ, conditione, quam decretoria ſententia inuoluebat, ſed non exprimebatur.

Ad Euangelium delabimur, in quo de veritatis Magiſtro legimus: *Ipſe finxit ſe longius ire.* Fictio omnis ſiue verbis, ſiue factis fiat, tam affinis videtur mendacio, vt non defuerint, qui hac deceptivicinitate, auſi fuerint dicere, Chriſtum verè mentitum, licereque nobis aliquando, eius exemplo, mentiri. In quo errore Priſcillianiſtas fuiſſe ſcribit Auguſtinus: nec alienus ab eodem Caſſian. Sed in primam Veritatem non cadit mendacium: Sol tenebris non obfuſcatur fingere potuit Chriſtus, non mentiri.

Luc.24.28

Lib. contra Mendac. ad Conſen. c. 13

Auguſtinus: *Ipſe ſe finxit longius ire. Etiam ipſum verbum poſuit* (Euangeliſta) *quo mendaces minimum delectantur, vt impunè mentiantur, quaſi mendacium ſit omne, quod fingitur, quum veraciter aliud ex alio, ſignificandi gratia, tam multa fingantur. Alioquin erunt cuncta mendacia, quæ propter quandam rerum ſignificandarum ſimilitudinem, quum geſta non ſint, tãquam geſta narrantur. Vnde eſt illa de duobus vnius hominis filiis, maiore, qui manſit apud patrem ſuũ, & minore, qui longius peregrinatus eſt, tam prolixa narratio. In quo genere fingendi humana etiã facta, vel dicta irrationalibus animantib. & rebus ſenſu carentib. homines addiderunt, vt eiuſmodi fictis rationib. ſed veracibus ſignificationibus, quod vellent, commendatius intimarent. Nec apud auctores tantum, ſecularium litterarũ, vt apud Horatium, mus loquitur muri, & muſtella vulpeculæ, vt per narrationem fictam, ad id, quod agitur,*

Libr Ser 2. Saty 6.

vera ſignificatio referatur. Vnde & Aeſopi tales fabulas, ad eum finem relatas, nullus tam ineruditus fuerit, qui putaret appellanda mendacia. Sed in litteris quoq; ſacris, ſicut in libro Iudicum ligna ſibi regem requirunt, & loquuntur ad oleam, & ad ficum, & ad rubũ. Quod vtique totum fingitur, vt ad rem, quæ intenditur, ficta quidem narratione, non mendaci tamen, ſed veraci ſignificatione, veniatur.

Ignoratio diei iudicij. Matt. 24. Marci 13. Mentitumne Dominum affirmabis? fors audebis auſu Batauo, quum dicit de magno die, *ne Filium quidem ſcire*, quod, ſiue ad Diuinitatem referatur, ſiue humanitatem reſpiciat, hunc ſenſum habere non poteſt, quem hyperbolικῶς videtur, quod Filius ſimpliciter ignorauerit.

An fallat Hyperbole. At, fallit Hyperbole audientes, in errorem inducit, quibuſcum loqueris, quaſi id non habeat fictio, non operetur apud quoſlibet amphibologia, apud ignaros tralatio, Synecdoche, & multo maximè, Antiphraſis, Ironia, Sarcaſmus, illuſio, alienæ perſonæ decora repræſentatio. Vis exempla?

3. Reg. 22. Achab Rex Iſrael, in Societatem adſcito Ioſaphat rege Iuda, bellum contra Aſſyrios ad expugnandum Ramoth-Galaad parabat: antequam proficiſceretur, cõuocat prophetas, quadringentos circiter viros, & ait: *Ire debeo in Ramoth-Galaad ad bellandum, an quieſcere, qui reſponderunt, aſcende, & dabit eam Dominus in manu regis.* Accerſitum deinde Michæam, rogat, *Michæa, ire debemus in Ramoth-Galaad ad præliandum an ceſſare?* Cui ille reſpondit: *Aſcende & vade proſpere, & tradet Dominus in manu regis.* Sciebat propè Michęas fore, vt ibi occumberet, ſed loquebatur non ſuâ, ſed Regis ac falſorum prophetarum, à quibus is deceptus fuerat, opinione, non vt falleret, quamuis iis verbis falli poſſe

ſciret,

ſciret, ſed vt per irriſionem, eum falli doceret.
Abraham quum diſsimulato vxoris vocabulo *Gen.12.*
ſororem ſuam appellari Saram iuſsiſſet: eo con- *Gen.20.*
ſilio vt ſuum cum eâ coniugium lateret, regionum earum incolas, apud quas peregrinabatur, eaq; re Pharaonem & Abimelech regem Geraræ fefellit; expoſtulanti autem Abimelech, quod parum bona fide ſecum egiſſet, reſpondit ſe & iuſtis de cauſis, neq; verò falsò ea loquutione vſum.

Moſes dum miſsionem populi petit à Pha- *Exod.*
raone multiplici occultatione, ac diſsimulatione, ſacrificij religionem prætexendo, ne conſilium proderet, quoties induratum in errorem induxit: an idcirco Dei iuſſu mentitus?

Hebræi commodatò vaſa petentes ab Ae- *Ibidem.*
gyptiis, quæ debitæ mercedis loco aſportanda erant, ſermonis ambiguitate fefellerint, oportet vicinos, à mendácio, quum Dei imperio, id fieret, immunes.

Dominus Chriſtus Ioannis 11. loquens de Lazaro v. 11. *Lazarus*, inquit, *amicus noſter dormit*, tã ambiguè, vt diſcipulos fefellerit, putantes, *quia de dormitione ſomni diceret*, inquit Euangeliſta v. 13.

Ioannis 11. *Soluite*, ait, *templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*, tam ænigmaticè, vt auditores in errorem induxerit, ſciſcitantes poſtmodum. Quî fieri poſſet, vt templum, quod ſex & quadraginta annis vix perfici potuiſſet, triduo eſſet excitandum. Aliud itaque eſt loqui, tropo, tam obſcurè, vt quum non intelligatur ab auditoribus, error eorum animis ingeneretur, aliud, mendacium adornare, illud cum laude coniunctum eſſe poteſt, hoc nunquam non eſt crimino ſum.

S.Tho. 2. 2. q. 110. ar. 3. Caiet. 16 Et ſumma v. Mendacium. Sylueſter. Summiſtæ omnes. Antoninus p. 2 l 10. §. 1. Valentia Tom 3. Tolet. Inſtit. Sacer. Emman. Sa Reginaldus in Praxi. Azor Tom. 3. alij. In Caluini vita ca. 20.

Mendacium in quacunque re, quamuis leue condemnant, & reiiciunt noſtrates Theologi omnes: neque modo vt noceas, ſed ne, vt profis quidem vel tibi, vel alteri, etiã cum nullius incommodo mentiri vnquam licitum eſſe pronunciant, Hyperbolem tamen ſuo & loco, & tempore vſurpatam, cuius tam varium eſt in ſacris Exemplum, approbare coguntur. Quam condemnari à Caluiniano Miniſtro, miro eſt mirius: quùm in Caluini ſcholâ iam dudum ſit receptum, vt vnum aliquod, è ſectæ Symbolis, quod à Miniſtris Geneuenſibus Hieronymus Bolcecus accepiſſe ſe narrat. Licere ad promouendam Dei gloriam, & Euangelium ſuum, non modo mentiri, ſed per calumniam etiam, inſontes circumuenire.

LIBER

LIBER SECVNDVS

De

HYPERBOLE LVTHERO-CALVINISTICA,

Siue

ABVSV HYPERBOLES

DISSERTATIO I.

Hyperbolis abuti ſolere improbos.

RErum infra ſupremam, cæterarumq; con ditricem, naturâ conſtantium, triplex omnino eſt differētia. Nam quædam innata bonitate ita cōſiſtunt, vt ab hac poſſeſsione nullius vi, vel imperio, aut aſtutâ deceptione deiici poſsint, itaque nunquam prauitatis contagione ſpurcāntur. has omnes vnica, ſed ampliſsima virtutis appellatione complectimur. Sola eſt atque vnica virtus, ſi creaturarum vniuerſitatem ingreſſus fueris, quæ vitiari non poteſt. Si vitii confinio propinquarit, ſubſiſtat, neceſſe eſt, ſi progrediatur mutata illico, ſtupenda metamorphoſi quod fuit, eſſe deſinit.

Triplex rerum genus.

Virtus nunquam non bona.

Hoc rerum genere, nulla poteſt ſiue humana, ſiue generalis abuti prauitas. Extra reprehenſionem eſt, qui virtutis officiis vacat, quamuis frequentiſsimè: nec enim eſt paruus illius vſus qui nunquam non probus. *Virtus*, inquit ex Auguſtino Theologus, *eſt bona qualitas, quâ rectè viuitur, quâ nullus malè VTITVR, & quam Deus in nobis ſine nobis operatur.* O diuina facultas! In hoc cenſu nequaquam pono Hyperbolem, quæ licet ſit orationis, non eſt tamè morum, cui, quod diximus, conuenit, virtus.

S.Tho.1.2. q55.a.4.

Peccatum ſemper malum.

Quædam igitur è contrario medullitus inhærente à prima origine malignitate tam ſunt deprauata, vt nullo boni fucco corrigi valeant: quicquid infuderis, abit in toxicum. Hæc peccati denominatione exprimimus. Horum verò nunquam bonus eſt vſus, quocunque tandem fine prodierit, neque in his cenſeri poteſt Hyperbole, ſæpenumero laudabilis. Eſt itaq; tertium genus earum, quæ in boni maliq; ſi per ſe ſpectentur, hærent diuortio, & facile in vnius vel alterius tranſeunt ditionem, indifferentia Latini, ἀδιάφορα Græci nominant. Horum vſus pro conditionum varietate, nunc bonus, nunc malus eſt. Ergo iis abuti contingit non rarò. Numerantur autem in his, tum alia orationis ornamenta, tum Hyperbole, de cuius cõmodis, & neceſsitate quum dictum ſit hactenus, quomodo vitiari poſsit, & quàm variè eâ abutantur mali, nunc ediſſertabimus.

Indifferentia.

Dæmon ab uſus hyperbole.

Atque, vt inde ducatur initium, vnde omnis mali origo, primus, qui Hyperbolicâ loquutione fœdiſsimè abuſus, damnum irreparabile mundo attulit, fuit cacodæmon. Huic quum propoſitum eſſet primos parentes ſimplicitati & candori aſſuetos à felicitatis ſtatu impoſturæ

doloſi-

doloſitate deiicere, omnibus quidem illam inſtruxit Sophiſtarum technis, ſed vt inſtrumentum viuum eſſet, & validius, pro animâ indidit Hyperbolem, nec opinor, Euæ impoſuiſſet, ſapientiſsimæ mulieri, niſi tot fallaciis, ementientem ſuperiectionem tandem adiunxiſſet.

Geneſ. 3. 2. Oſtenſo ligni fructu: *Cur*, inquit, *præcepit vobis Deus, vt non comederetis ex omni ligno paradiſi?* Eſtne veriſimile, & tantæ ſapientiæ conſentaneum, præcepiſſe ac velle vos à fructu illius arboris carpendo manum abſtinere, quũ omnes ſuauiſsimi ſint, ac ſalutares? En captationem beneuolentiæ, cum adfectus demonſtratione admirandâ, per interrogationis ſchema, ſciſcitandi gratia, ſimul, & inſtandi: Incipit nutare mulier, & reſpondet: Non eſt, vt exiſtimas, ſed licet de cæteris veſci, vnius illius pretioſiſsimi eſu interdixit, ne forte moriamur. Vt vacillare videt, impellit, primò amouendo apertè pœnæ metum, *Nequaquam moriemini*: nõ eſt ſeriò Deus mortem minatus, luſit vt cum pueris mos eſt, animi cauſa, ſed nondum cadit quaſſatus paries, itaque fortius inſtat, lactando promiſsis: *Scit Deus, quod in quacunque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri.* Scientia Dei falli non poteſt, nouit omnium rerum ingenium, & dotes, ideo non ignorat hanc arborem vobis vtiliſsimam eſſe, quippe quæ multarum rerum cognitionem vobis poſsit adferre. Arbor ipſa, credite, ſcientiæ, ſapientięq́; infuſum vobis donum communicabit. Splẽdidum mendacium, & ad impellendum efficax, ſed nondum concidit Eua. Itaque extremum ratus dœmon admouendum vectem, qui vim cæterorum conglobatè contineret, immanem fabricat Hyperbolem, eaq́; quæ ſteterat hactenus, ſubuertit.

Eua deci-pitur hyperbole. Geneſ. 3. 5. *Eritis ſicut Dij, ſcientes bonum & malum.* O damnoſam humano generi hyperbolem! cuius lenocinio illecta mulier, videre appetijt pomum, cuius hyperbolica deprędicabatur virtus, vidit, tulit, comedit, perijt, maritumque, & poſteritatem vniuerſam perdidit. Stetiſſet Adam, in eoq; nepotes, niſi dæmon hyperbolicâ ſimilitudine, ementitam arboris vim attollendo, mulieri excellentioris naturæ auidæ, eſum perſuaſiſſet. Oſtendit itaq; mali auctor, quo pacto re bonâ abuti poſsint prauitatis aſſeclæ. Abuſus eſt ipſe Hyperbole ad impoſturam: malo fine rem bonam vitiauit.

Hyperbole decipiens. Primo igitur. Finis, ni aliunde conſtet, Hyperboles abuſum docet, ſi ad decipiendum adhibetur, damnanda eſt. Vſurpatur autem iſto fine non rarò. Eſt enim impoſtorum frequentiſsimum ſchema à primo doloſitatis inuentore introductum, quem ſequuti deinde ſunt quam plurimi, inter quos manifeſtè Exploratores Paleſtinæ miſsi à Moyſe, qui reuerſi poſt quadraginta dies, vt omnem proficiſcendi animum populo vniuerſo adimerent, pauore ipſi, ignauiaque conterriti, magno clamore hyperbolicè dixerunt,

Nu. 13. 33. *Terra, quam luſtrauimus, deuorat habitatores ſuos,* quo vitium aliquod regionis exprimere voluerunt, ac populo imponere, ementiente ſuperſtitione. At quod vitium? Cœli, ſoliq; inſalubritatem, vt ea formula ſignificent, vel mentiantur, aerem fuiſſe morboſum, noxium, peſtilentem, quo fieret vt ibi homines vaſtis corporibus, ſed breuis vitæ naſcerentur. Quod naturali rationi congruere videtur. Calor enim humori iunctus, vt fertilitatis, ſic exuberans, corruptionis, & inſalubritatis eſt parens. Addit Caietanus

Abul. q. 51. Caietan. R. Selom. Serar. To. 1. Ioſue c. 8. q. 5.

ietanus,ſignificari poſſe eos qui inibi moratur, exiguo admodum temporis ſpatio viuere, ſtatim emori omnes, ante ipſam ſenectutis maturitatem, vel etiam eſſe illic gigantes, qui tyrannide cæteros omnes opprimerent. Aut,aſsiduis bellis ciuilibus agitari regionem, & ſic mutuis cędibus habitatores abſumi,ſed hoc hominum foret,non regionis vitium, cui tamen mendaciter detrahere nitebantur exploratores. Quare nec admittendum,quod quibuſdam probatum video,nimia terræ vbertate factum,vt deuorarentur habitatores, aut, quod delitiis nimiis eneruaret, eorumq; vitam incideret: aut quod ita detineret,vt alio non irent, ſicq; domi omnes morerentur,aut,quod concupiſceretur ab omnibus,ideoque aſsiduæ in illa contentiones,rixæ,bella, & cædes eſſent. Iſta enim non ad infamiam, quo ſpectabat Hyperbole, ſed ad laudem potius terræ pertinebant. Sterilitatem indicari putat Oleaſter, quod terra habitatores alere nequiret, atque ideo alij aliis alimenta vi raperent. Suggerit alius terrarum ea in regione labes crebras fortaſſe notari: quomodo Plinius lib. 2. cap. 93. ſcripſit: *Ipſa ſe condens terra deuorauit.* aut, ſi Pintiani placet correctio, *Ipſa ſe comeſt terra.* Deuorauit Cibotum altiſsimum montem cum oppido Curite,& Numero. 16. 32. *Aperiens terra os ſuum deuorauit eos, Datan, Core, Abiron, cum tabernaculis ſuis.* Subtilius eſt, non ſolidius, alludi ad Aegyptiorum morem, quo mortui homines condiri ſolent, non autem deuorandi terræ vermibus obiici. Quia autem Iudæis iſta cadauerum integritas placebat adeò, vt eam in ſuos mores poſtea induxerint,eâ ob cauſam potuêre calumniatores quaſi probrũ magnum narrare, eam non quidē

viuos

viuos, ſed mortuos ſepultosq́; ac ſitos deuorare, vt vt ſit, mentiebantur exploratores, & quidpiam populo inuiſum hyperbolicè, ad terrendum decipiendumq́; exaggerabant: quod idem claret in ſequentibus.

Populus, quem aſpeximus, proceræ ſtaturæ eſt, Hebraicè vehementius, & cum voce vniuerſali, *OMNIS populus quem vidimus in medio terræ illius, viri ſunt menſurarum*, id eſt, multarum, & magnarum menſurarũ. enormis hyperbole, quod omnis populus terræ illius, non vno alterove digito, aut manu, ſed plurimum magnitudine ſingulos Iſraelitas ſuperet. An hoc ſatis? Attende Hyperbolicam comparationem. *Illis comparati quaſi locuſtæ videbamur*, Hebraicè multò exaggeratius: *Et fuimus in oculis noſtris quaſi locuſtæ, & ſic fuimus in oculis ipſorum*, id eſt, tam nos, quàm ipſi iudicarunt nos admodum puſillos, & imbecilles, ita vt tam nobis ipſis, quàm illis locuſtarum tantummodo inſtar, homuli videremur paruuliſsimi, & eneruiſsimi, quos vel ſuis ipſorum pedibus tanquam vermiculos, & locuſtas poſſent illi proterere. Sumitur autem locuſta adagialiter pro re minimâ ex veteri prouerbio, Ennij fortaſſe: *Citius pariet locuſta lucam bouem*, id eſt elephantum.

Apud Adagiographũ & Delrio. Adag. To. I. 104.

Vt autem hi mendaciter, ſic veriſsimè vſurpauit illud eadem phraſi Iſaias cap. 40. 21. *Qui ſedet ſuper gyrum terræ, & habitatores eius ſunt quaſi locuſtæ*. Quid enim aliud nos homuli Deo compoſiti? ne hoc quidem, licet de vniuerſis hominibus vniuerſim ſumatur. B. Cyrillus lib. 3. in Iſaiam: *An ergo apud Deum magna eſt hæc inhabitãtium in terrâ, multitudo, quantumuis immenſa? nequaquam: nam præ diuina magnificentia, & excellentia, ſunt quaſi locuſtæ?* Vel etiam alio modo. Cõtinet

tinet enim orbem terræ,id eſt,omnem eius circulum,& præ ipſo NIHIL ſunt, qui eam incolunt,quantumuis inſtar locuſtarum gregatim, in ea paſcantur,& omnem ſuperent numerum; locuſta enim in diuinis libris pro multitudine ſed rei paruæ & fugacis, atomorum,& nihil ſumitur. Nahum 3.15. *Multiplicare vt locuſta.* ỷ.17. *Cuſtodes tui quaſi locuſtæ, & paruuli tui quaſi locuſtæ locuſtarum,quæ conſidunt in ſepibus in die frigoris.* Sol ortus eſt,& auolauerunt,& non eſt cognitus locus earum,vbi fuerint. Sic Madianitarum magnam multitudinem, ſed mox diſsipandam,ac ferè abſumendam,idq; minimo labore,indicat ſacer Scriptor hyperbolicâ comparatione à locuſtis ſumptâ.Iudic. 6. 7. *Inſtar locuſtarum cuncta complebant.* Et cap. 7.12. *Iacebant in valle, vt locuſtarum multitudo.* Atq; hactenus de primo modo vitiatæ Hyperboles à fine.

Hyperbole excuſatoria.

Alter non multum diuerſus,dum excuſationi ſeruit,& crimini occaſio quæritur, ad detractandum imperium. Mãdatur quidpiam, quod minus arridet,præcepti grauitas attollitur, finguntur inuidiosè adnexa varia, exaggeratur hyperbolicè mandantis ſeueritas.Hunc prætexendi modum à prima omnium matre Eua celebratum inuenio; quæ interrogata à ſerpente: *Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis ex omni ligno paradiſi?* reſpondit: *De fructu lignorum, quæ ſunt in paradiſo,veſcimur: de fructu autem ligni,quod eſt in medio paradiſi,præcepit nobis Deus, ne comederemus, &, ne tangeremus illud.* Vbi, vt eſt ſenſus S. Ambroſij,lib.de paradiſo cap. 12. tædio, & odio præcepti,addit de ſuo,& auxeſi exaggerat, Deus enim nec aſpectum, nec tactum,ſed eſum tantum prohibuerat. Rupertus verò obſeruat, Euam tribus modis in non longa ſententia peruertiſſe

uertiſſe Dei verbum: Addendo, quum dixit: *Ne tangeremus*: diminuendo, quum inquit, *Ne fortè moriamur*, mutando, quum ait: *Ex ligno quod eſt in medio paradiſi*. Deus enim dixerat *ex ligno ſcientiæ boni & mali*. In medio namq; paradiſi erat etiam arbor vitæ minimè vetita. *Deprauauit*, inquit Rupertus, *mulier verba præceptoris Domini, tribus modis, quibus vſque hodie deprauare nititur ſanctam Scripturam, omnis qui eſt ex parte Diaboli, ſcilicet appoſitione, diminutione, mutatione.*

Hæretici moderni quomodo vtantur hyperbole. Appoſitione hyperbolica præcepti vnius grauitatem, immodicè exaggerauit Eua. At eodem artificio cotidie mandatorum diuinorum omnium difficultatem immenſam adaugent huius æui Sectarij, in horum officina hyperbolicum *IMPOSSIBILE*, nuſquam in ſacro codice præcepti Dei adiunctum, repugnante Numine adtexitur: ſicque, ſi verum fateri lubet, nulla re magis quàm vnius Hyperboles abuſu humanum genus in fraudem rapitur. Nota eſt doctis vafrities Caluini, qui in Concilij Tridentini, vt vocat, Antidoto, hoc dolo ſubuertere conatur, quod docebat Synodus, legem Dei nō eſſe impoſsibilem: idem antea fecerat Lutherus, & ad omnia promptus Melancthon, quorum verba poſtea dabimus, quia vniuerſalia ſunt, & habent Emphaſim.

Hyperbole comminatoria. Iam verò, & is perperam vtitur Hyperbole, qui turbidos ad aliorum perniciem adfectus ea denudat, quod contingit non rarò. Exemplum animaduerſione dignum dedit Roboam, Salomonis filius, à quo ob vnam Hyperbolem intempeſtiuè vſurpatam, decem omnino tribus defecerunt, factaque eſt illa populi, cui nunquam remedium inueniri potuit, ſeceſsio. Efflagitabat populus remiſsionem grauiſsimorū tribu-

tributorum, petit reſponſi dilationem Roboam: conſulit ſeniores, qui ſuadent moderata, mollia, delenifica; ſed relicto ſenum conſilio, iuuenile amplectitur, quibus vana, ſtolida, & hyperbolica in corde, & huius comitio; itaque turbulentus ad populum

3. Reg. 12. 20. *Minimus*, ait, *digitus meus groſſior eſt dorſo patris mei*. Hebraicè: *Paruus meus, pro dorſo*, quod hic, redditur alibi, lumbi. 2. Paral. 10. 10. Vatablus vult ſignificari totum corpus. Septuaginta abſtracto exprimunt, vt magis clareſcat Hyperbole, ἡ μικρότης μοῦ, quod in me minimū, paruitas, exilitas mea: Chaldæus luculēter: *Debilitas mea fortior eſt robore patris mei*, immanis hyperbole. *In corpore humano*, inquit rectè Abulen. *nullum membrum eſt gracilius digito, nullum groſſius eſt tergo. Sic comparantur maxima, & minima pertinentia ad Salomonem & Roboamum*. Pater meus, ait iactabundè Roboam, vix potuit toto dorſo vobis incumbens, ſatis premere, ideo nunc inſoleſcitis, Itane? Expectate parumper, ego vel vno digitulo premam, & profectò conteram. Exiſtimant nonnulli id dictū à Roboamo cum alluſione aut ſimilitudine, ſuæ iam ætatis viriIis & confirmatæ cum Salomonis ætate puerili, ita vt videretur totus Salomon, exiguioribus, & delicatioribus lumbis (in quibus reſidet virtus) fuiſſe quum regnare cœpit, quam fuerit minimum membrorum, velut digitus minimus Roboami cum confirmatâ iam ætate regnum iniit. Sed & hoc hyperbolicum eſt, ad cuius prolationem, territus Iſrael; *Quæ nobis pars*, exclamauit, *in Dauid, vel quæ hæreditas in filio Iſai?* conflatoq; ſchiſmate abiit Iſrael in tabernacula ſua. Hoc pretium exorbitantis hyperboles. Fuit autem & olim, vt hoc in tranſitu dicam, apud profanos hyperbolica formula, digitulo attingere.

Pineda de reb. Salom. lib. 3. c. n. 5.

Terentius: *Hanc ſi vel digitulo attigeris.*

Licinius: *Si digito attigero, incendam ſyluam ſimul omnem.*

Omne pecus, flamma eſt, omnia quæ video.

Hyperbole non neceſſaria nec probanda. Porrò, extra reprehenſionem nequaquam eſſet, qui Hyperbolem adhiberet, quum exactè præciſeq; dicti factive cum omnibus circumſtantiis veritas inquiritur, & maxime in numeris: quis enim ferat, narrãtem de prœlio in quo trecenti ſunt deſiderati, exaggeratione numerum ad tria millia, aut innumerabilem multitudinem attollere? Cui probetur illius relatio, qui dum impenſas in dapſile ſympoſium exponit, auxeſi rationes triplo adauget?

Hyperbole immodica. Denique licet nihil eſſet præcedentium, abuſu Hyperboles peccaret, qui ea ſine modo vteretur, nihil dicere aſſueſcens, niſi hyperbolicè, quod vitium eſſe ſolet ſcurriliter quiduis effutientium. Hic mihi in mentem venit Senecio, celebratus à Seneca, homo ingenij confuſi ac turbulenti, qui ſemper cupiebat grandia dicere, adeò vt nouiſsimè huius rei morbo teneretur & rideretur. Nam & ſeruos nolebat habere, niſi grandes, & argentea vaſa nõ niſi grandia; *Credatis mihi velim, non iocanti*, inquit, quem nominabam antea, *& peruenit inſania eius, vt calceos quoque maiores ſumeret, ficus non eſſet niſi mariſcas. Concubinam ingentis naturæ habebat, omnia grandia probabat, ei impoſitum eſt cognomen, velut Meſſala ait cognomentum. Et vocari cœpit Senecio Grandio.* An non tales, quibus nihil probatur niſi hyperbolicum? Si loquendum, ſuperlatiuis omnia efferunt. Si agendum ſuperiectionibus gaudent: ſi ſcribendum Hyperbole vniuerſa ſubfigunt.

Senec. Suaſoria 2.

S. Hieron. 1. cont. Pelag. Eleganter & falsè S. Hieronymus: *Mutatus es in Stoicum, de Zenonis nobis tonas ſupercilio. Non ne ſatis*

nobis

nobis eſt, patienter perdere, quod habemus niſi violento, & raptori gratias agamus? Docet Euangelium, ei qui tunicam nobis tollit, pallium eſſe concedendum. Non præcipit, vt agamus gratias, & læti noſtra perdamus. Hæc dico, non quod aliquid ſceleris in iſta ſententia ſit, ſed quod vbique HYPERBOLIKΩΣ *mediocria tranſeas, &* MAGNA *ſecteris.*

DISSERTATIO II.

Hæreticos Hyperbolarum fictione conari hæreſes ſtabilire, & Scripturas inuertere.

VEri ſomniorum ſuorum ſunt Interpretes, ac fictiones ſuas facere nituntur Eccleſiæ Sacramenta, illi tui confœderati Pſeudole, maiores ſuos imitati, qui nulla antecurrentium, nulla comitantium, nulla ſubſequentium ratione habita, nullo veritatis apertiſsimæ reſpectu, nullo antiquitatis veneranda, mira conſenſione conſpirantis, intuitu vt hæreſes ſtabiliant, & inſanientis figmenta cerebri, ibi in diuinis oraculis comminiſcuntur ſuperementientes hyperboles, vbi mera eſt ſimplicitas, & verborum ſententiarumque planities: ita ſolet contingere, vt qui veras aliorum interpretationes odio auctorum efferati, non ferunt, falſas & execrabiles conſtituant, quod exemplis vt ſuperiora, confirmemus.

ARIANI Proteſtantium Patriarchæ, quia Filium Dei negabant Deum, factum eſſe contendebant, obiicientibus Catholicis clariſsima illa Ioannis, *Omnia per ipſum facta ſunt*, ſubterfugium per hyperbolem quærebant, quod ab Auguſtino didicimus, qui Tract. 1. in Ioann. *Exeat,* *Ariani Hyperbolici.* *Ioan. 1. 3.*

K inquit,

inquit, *nunc neſcio quis Arianus, & dicat, quia verbum Dei factum eſt, quando Deus per Verbum fecit omnia. Si & verbum Dei per ipſum factū eſt, per aliquod aliud verbum factum eſt. Si hoc dicis, quia hoc eſt verbū verbi, per q factum eſt illud ipſum, dico ego vnicum Filium Dei. Si autem non dicis verbum verbi, concede non factum, per quod facta ſunt omnia: non enim per ſe ipſum fieri potuit, per quod facta ſunt omnia.* Aiebant igitur Ariani prodigè vſurpatam ab Euangeliſta vocem OMNIS, & formulam eſſe hyperbolicam. Itaq; ab omnibus, quæ per verbum facta eſſe dicuntur, verbum ipſum debere excipi, quod non per ſeipſum, ſed per Patrem factum fuiſſet.

Verùm malè hic fingi exceptionem illā notarunt Orthodoxi, tum quia iam ante Ioannes dixerat, verbū nō fuiſſe factū, ſed ſempiternū: *In principio erat verbum*, atque adeò verum eſſe Deū, tum quia poſtquam dixit: *Omnia per ipſum facta ſunt*, addidit, *& ſine ipſo factum eſt nihil*, nec hoc contentus, ſubdidit, *quod factum eſt*, quaſi eam ipſam Arianorum exceptionem excludere voluerit, ac dicere, nihil omnino, nullaq; excepta re factum fuiſſe, quod ſine ipſo factum fuerit, nec niſi perperam prodigalitatem verbalem fingi.

Caluiniſtæ per hyperbolem oppugnant omnipotentiã. Proteſtantes qui Caluini caſtra ſequuntur, quum nefarium Omnipotentiæ diuinę bellum inferre ſtatuiſſent, animaduerterent autem illam tam clarè tot vniuerſalibus ſententiis aſſeri

Lucæ 2. 37. *Quia non erit impoſſibile apud Deum omne verbum*, quibus probat Angelus, potuiſſe Deum efficere, & vt ante ſterilis, & vt nunc virgo concipiat, quod nihil omnino apud Deum impoſsibile ſit.

Marci

Marci 14.16. *Pater, omnia tibi poſſibilia ſunt.*

Matth. 19.26. Marc. 10.27. *Omnia poſſibilia ſunt apud Deum.*

Confugerunt ad Hyperbolem, eſſe enim has propoſitiones vniuerſales, prodigè ſumi in iis ſigna generalia, exceptionibus variis locum eſſe, & conſtringendas ita diſertè

Beza libr. 2. aduerſus Tilmannum Heſhuſ. ſcribit, nec credendam, nec vniuerſaliter recipiendã Gabrielis Angeli ad Virginem, vniuerſalem propoſitionem iſtã: *Non eſt impoſſibile apud Deum omne verbum.* Exclamat ad hęc vir prudẽs: *Quibus vult ergo nos credere, niſi Dei verbo per Angelos allato? impuræ forſitan meretrici ſuæ Candidæ, vel Catamito Audeberto?* Quæ ergo excipienda ſunt? *Apud Feuardent. li. 1. Theoma. Caluin. p. 35.*

Beza aduerſus Brentium: *Deus non poteſt efficere, vt corpus humanum, ſine ſuis dimenſionibus, id eſt longitudine, latitudine, & profunditate vnquam exiſtat.*

Item: *Deus non poteſt eaſdem quantitates ſuis deſtituere naturalibus effectis, quo minus certa occupent, & impleant loca.*

Carolſtadius, Zuinglius, Oecolampadius, Caluinus, Vermilius, Boquinus alijq́ permulti, vt ſuam de Cœna Euchariſtica tueantur fictionem, Deum nunquam poſſe efficere ſcribunt, vt corpus Domini Ieſu Chriſti, quantumuis Filio Dei vnitum, glorioſum & immortale, eodẽ tempore in diuerſis exiſtat locis.

Eorundem eſt placitum, Deum nõ poſſe corpus Chriſti, tametſi iam immortali maieſtate & gloria prędịtum, inaſpectabile reddere, & à carnis mortalium oculis ſubtrahere.

Item iſtud: Deum non poſſe corpus de genere ſubſtantiæ continere, ſub minori quantitate,

aut menſura, quàm, quæ ſua cuique propria eſt & naturalis.

Adhæc Deum nulla vi efficere poſſe, vt vel camelus, vel funis nauticus, per foramen acus transeat. Quod Spina & Suræus Miniſtri, poſt Caluinum, & Bezam in Colloquio Pariſiis habito, Anno M.D. LXVI. defendendum ſumpſerunt.

Caluin. li. 2. Inſtit. c. 7. §. 5. Quid? quod Gallicus hæreſiarcha, dum Deo illa omnia impoſsibilia ſcribit, *quæ nunquam viſa fuerunt, quæ nunquam futura ſunt, & quæ Deus prænunciauit nunquam euentura*, neceſſariò hæc ab vniuerſali excipit.

Ioannes VVierius Cliuienſis Medicus, Caluinianæ ſectæ propugnator acerrimus, audacißimè pronunciat, id ſimpliciter Deo eſſe impoſsibile, quod per naturam nobis eſt impoſsibile. itaque & hæc ſub generaliſsima voce, *omnia* non continentur.

Petrus Vermilius immani edito volumine contra Euchariſtiæ Sacramentum, & realem corporis Chriſti præſentiam, Beza contra Brentium, & Colloquutores Pariſienſes Suræus, & Spina, manifeſtè oſtendunt omnium Caluiniſticæ ſcholæ Magiſtrorum ſententiã eſſe: Quod nihil Deus efficere valeat, aut ſupra, aut contra ordinem ab eo in naturâ conſtitutum, quod ex Caluino apertè deducitur.

Colloquutores Pariſienſes antea nominati, addunt, Deum nec velle poſſe, tantum abeſt efficere, vnum corpus eodem inſtanti in multis eſſe locis.

Bernardinus Ochinus Geneuæ, Italicæ nationis Miniſter, Deum non poſſe intellectu cõprehendere idem corpus in diuerſis locis.

Zuinglius lib. contra Lutheri Confeſſ. *Tam impoſſi-*

impoſſibile eſſe fatemur, vt humana natura Chriſti vbique ſit locorum ſubſtantialiter, quam impoſſibile eſt eſſe plures Deos.

Ioſias Simlerus: *Chriſtus nec velle, nec efficere poteſt, vt corpus ſuum ſubſtantia ſua ſit in pluribus locis.*

Addunt communi conſenſu Caluiniſtæ, non potuiſſe Deum facere, vt Chriſtus naſceretur vtero clauſo Virginis, reſurgeret clauſo ſepulchro, ingrederetur ad diſcipulos clauſis oſtiis.

Aliam exceptionem ingerit Dauid Pareus li. 1. de gratia primi hominis, vbi negat, Deũ quicquam homini ſupra naturam integram conferre potuiſſe, niſi eum faceret vel Angelum, vel Deum. Certum autem eſt, hominem multa ſupra naturam dona recipere potuiſſe, ergo ſua ſponte natura non erat impoſsibile, Deo tamen, Parei ſenſu, impoſsibile. Ergo excipiendum ab vniuerſali prodigè vſurpata, *omnia poſſibilia ſunt apud Deum.* An non hoc eſt Hyperboles fictione Scripturam inuertere?

Excipienda non ſunt ab vniuerſalibus Scripturæ loquutionibus, niſi, quæ aut Scriptura ipſa excipit, aut quæ illis exceptis, ſunt gemina. gemina cenſentur, quorum quum poſsint, aut non poſsint fieri, ſimilis eſt ratio.

Excipit autem Scriptura ab illa vniuerſali, quod *Deus ſe negare non poſſit*, id eſt, fidem ſuam violare, & *quod mentiri nequeat.*

2. Timot. 2. 13. *Ille fidelis permanet, negare ſeipſum non poteſt.*

Hebr. 6. 18. *Impoſſibile eſt mentiri Deum.* Nempe, quia ſi hæc poſſet, Deus non eſſet. Deus enim non eſt, qui Deus deſinere eſſe poteſt, & deſinit eſſe Deus, qui aliquid repugnans diuinitati facit, quale eſt ſeipſum negare, mentiri, peccare,

mori: hæc enim non potentiæ, ſed infirmitatis ſunt. Stulte autem diſputat Elimas Magus apud Dionyſium, non poſſe eſſe Deum omnipotentem, ſi ſeipſum negare non poſsit. At ſapienter magnus ille Theologus: *Nempe enim*, inquit, *ſeipſum negare, à veritate cadere, à Deo eſt cadere: ſi igitur veritas Deus eſt, & non poſſe non poteſt, & non noſſe, ſecundum priuationem non nouit*. Et

Lib. de Diuinis nom. c.8.

Auguſtinus libr. de Natura & Gratia cap. 49. *Deus, quum ſit omnipotens, mori non poteſt, falli non poteſt, mentiri non poteſt, & quod ait Apoſtolus, his ſeipſum negare non poteſt.* Idem libr. 5. de ciuit. cap. 10. & 26. contra Fauſt. cap. 5. Deum omnia poſſe docet, præter ea, quæ poſſe non potentiæ, ſed impotentiæ eſt, quæque ſi poſſet, non eſſet omnipotens. Eadem ergo vniuerſalis docet, quam perperam ea abutantur, ad hæreſis probationem veritatis hoſtes, dum Hyperbolem ineptè fingunt, & quàm conuenienter veritati vox vniuerſalis exceptionem patiatur, dum diuini Scriptoris ſenſus accuratè excutitur.

Chriſtus an pro omnib. ſit mortuus.

Aliam in eodem genere ſuppeditat populare diſsidium Hollandorum, inter quos contra Remonſtrantes, putidi Puritani, contendunt, Chriſtum mundi Saluatorem non eſſe mortuum pro omnibus hominibus, ſed pro illis tantum qui efficaciter ſunt electi. Piſcator cōtra Schaffmannum Theſi 109. p. 123. *Pro reprobis nullo modo mortuus eſt Chriſtus, ſiue ſufficienter dicas, ſiue efficaciter.*

Beza Colloq. Mompelgar. parte altera pag. 215. *Nobis intolerabilis vox veſtra viſa eſt, Chriſtum eſſe mortuum pro damnatis.*

Zanchius de natura Dei lib. 5. cap. 2. quæſt. 1. Theſi 1, de prædeſtinatione Sanct. pagina 649.

column. 2. *Chriſtum pro ſolis electis ſecundum propoſitum Patris paſſum, & mortuum eſſe.*

Oppugnant ſuos fratres, illi qui dicuntur Remonſtrantes, contentioſius quàm ipſi Pontificij, & adcumulant vniuerſales ſacræ Scripturæ propoſitiones: *Poſito hoc principio*, clamat Petrus Bertius, *nonne videmus omnem Scripturam cum exhortationibus, reprehenſionibus, commonitionibus, promiſſionibus, exprobationibus, obteſtationibus omnibus, repentè fuiſſe ſubuerſam? Non iam creditur B. Paulo dicenti, Deus vult omnes homines ſaluos fieri: non Ioanni ſanguis Chriſti eſt propitiatio pro peccatis noſtris, nec pro noſtris tantum, ſed etiam pro totius mundi peccatis.* Non ipſi Chriſto dicenti, *Filius hominis venit ſaluare quod perierat*: & clamanti, *Venite ad me omnes.* Idem alio loco: *Quod Chriſtum non ita principium docet eſſe commune, & vniuerſale ſalutis, ſicut Adam principium eſt vniuerſale mortis, nonne B. Pauli diſputationibus manifeſtè repugnat? nonne & Canonibus Concilij Carthaginenſis damnatum eſt, quibus aſſeritur contra Pelagium: Omnes ſic in Chriſto reſtitui, ſicut in Adam omnes lapſi ſunt. Sicut ergo ab Adamo reatus manauit ad omnes, ſic meritum Chriſti concipiendum eſt, pro omnibus ſuſceptum eſſe indiſcriminatim. Sed & Arelatenſi Concilio idem clarè ex verbo Dei definitum eſt: auſi enim ſunt Patres anathema ijs dicere, qui negarent, quod Chriſtus pro omnibus mortuus eſſet, nec omnes homines ſaluos vellet.*

In Apolog. ad fratres Belgas p. 30.
1. Tim. 2.
1. Epiſt. 11. 3.
Matt. 11.
In Apol. p. 73.

Sed non mouent hæc Piſcatorem, & Contra-Remonſtrantes, doctos in Caluini ſcholâ, ad ſtabiliendum errorem luere vniuerſalia ſacræ Scripturæ pronunciata, prodigè prolata ſuſpicari, & cum exceptionibus

exponere. Dicit Scriptura: *Venite ad me omnes*, hyperbolικῶς, nam ſolos electos ad gloriam intelligit, omnes vocat, ſed paucos illa voce ſignificat.

DISSERTATIO III.

Hæreticos ob malè intellectas voces vniuerſales, & Hyperboles ignorantiam, abſurdos errores in Eccleſiam inuehere.

NVnc verò iidem illi tui Simioli, Pſeudolo, qui compendij cauſa, quum ſpes lucelli adfulgeret, liberaliſsimè, in vocibus vniuerſalibus inuſitatas Hyperboles confinxerunt, nouiſque exceptionibus ſacram paginam adulterare non ſunt veriti, vbi contrarium ſuis rationibus expedire animo præconcipiunt, renuunt vocum generalitatem accommodatis limitib. includere, ſicq; vel ſibi, in perſuaſionibus ſemel præiudicatis, obſequendi ſtudio, vel pudenda tantis Rabbinis, vt haberi volunt, inſcitiâ, abſurda opinionum fanaticarum portenta inuehere non erubeſcunt, quod ex his pauculis demonſtrare eſt propoſitum, quæſo te, ſubtilitatem tuorum Doctorum in vocum vniuerſaliũ explanatione, vt ad paria animeris, diligenter excipe, & conſidera.

Petrus Apoſtolus epiſtola 1. cap. 2. ver. 13. vniuerſaliſsimè pronunciat, *ſubiecti eſtote omni humanæ creaturæ, propter Deum*, quod eſt præceptum de obedientia aduerſus Magiſtratus, cuius eſt præmiare ac punire. Quid hic Lutherus Proteſtantium Patriarcha? vt illud nefarium figmentum Monachorum vota impia, irrita, & omnino

Luther lib. de votis monaſt.

mnino ſoluenda eſſe propugnet, quod etiam facit Caluinus, & tectè Confeſsio Auguſtana, ac VVittenbergenſis, ponderat vniuerſalem, *OMNI HVMANAE CREATVRAE*, πάσῃ ἀνθρωπίνῃ κτίσει. Syrus legit: *omnibus filiis hominum*, & in omni ſua amplitudine accipi debere, abſque vlla exceptione cōtendit Hæreſiarcha. Atque hoc modo ratiocinatur. Scriptura iubet, vt omnibus hominibus obediamus 1. Petri 2.13. Igitur obligare ſe ad obediendum vni ſoli præpoſito, contra Scripturam eſt; idem enim eſt, ac ſi quis ita voueret: Deus, voueo tibi nolle me ſecundum Euangelium tuum, omnibus ſubiici, ſed tantum vni maiori. Inſcitè planè & pueriliter: quum nemo non videat mandatum illud accommodatè intelligi oportere de iis omnibus, qui ſunt in poteſtate ritè conſtituti, & ſuperiores eorum de quibus eſt ſermo, eſt enim præceptum illi ſimile.

Caluin. lib. 4. c. 13. Auguſta. ar 27. VVitte c. de votis monaſt. Lechulle- bun benai- anaſa.

Hebr. 13. 17. *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis.*

Quocirca Petrus per omnem humanā creaturam, intelligit omnem hominem, imperandi poteſtate præditum. Sic enim explicat ipſe ſuū dictum: *Siue Regi quaſi præcellenti, ſiue Ducibus tanquam ab eo miſſis, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum. Omnis* (inquit Hugo) *non accipitur pro generali ſed publica, & imperandi poteſtate prædita.* Gloſſa interlinearis, & alij generalem enunciationem hanc referunt ad fideles & infideles, accommodatè: Præcipit enim Princeps Apoſtolorum, vt ſiue Reges, ſiue Duces, & ἡγεμόνες, ſint Ethnici, ſiue Chriſtiani, illis nullo religionis diſcrimine, in conceſsis obſequium præſtetur, ad eximendam Gentilium ſiniſtram de Chriſtiana lege opinionem, licere per eam, vt olim

ſeditioſi docuerāt,auctore Theuda,& Iuda Ga-
Act. 5. 37. lilæo,non ſubijci Principibus à vera fide alienis;
Mat. 22. 15 vel pendere tributum, de qua re etiam Chri-
ſtus in ſuſpicionem venerat. Nec diſplicere po-
teſt, quod ab aliis animaduerſum acutè, gene-
ralem appellationem humanæ creaturæ à Pe-
tro inductam,vt inſinuet,hominem naturâ do-
minij eſſe capacem, ac proinde cuiuſcunque, ſi
delata ei legitimè ſit poteſtas, imperio paren-
dum, non habitâ ratione externarum qualita-
tum,nobilitatis, opum, doctrinæ, quæ ſiue ad-
ſint, ſiue non, obedientia præſtanda eſt, quia
vices Dei gerit: nec eſt enim *poteſtas niſi à Deo,&,*
Rom. 13. 1. *qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit, & ſibi*
2. 5. *damnationem adquirit*, æternū, exponunt Græci.

Quod ſi omnino iuuat abſque exceptione
vocem vniuerſalem interpretari,piè cum Car-
thuſiano ſentire non inhibeo, quemlibet cuili-
bet,quadam ratione ſubiici per humilitatis vir-
tutem poſſe, *honore inuicem præueniendo*. Roman.
12. 10. *Per caritatem ſpiritus inuicem ſeruiendo.* Gal.
5. 13. *inuicem humilitatem inſinuando*. 1. Petri 5. 5.
Per humilitatem ſuperiores ſibi inuicem arbitrando.
Philip. 2. 3. quibus non iubetur, vt omnes ho-
mines habeantur tanquam præpoſiti,& princi-
pes,quibus, vt ſuperioribus parere teneamur:
ſed vt omnes iudicemus ex demiſsionis adfe-
ctu nobis ſuperiores, id eſt, meliores, & ſanctio-
res, menteq́ ac coram Deo omnibus nos ſub-
1. *Cor.* 9. ſternamus, *omnibus omnia facti*, vt omnes facia-
22. mus ſaluos. Ex eo autem colligere, obedire v-
ni ſoli Prælato, Principi, Regi, Epiſcopo, eſſe
contra Scripturam, aut oportere Prælatos ſuis
ſubdi inferioribus, aut omnibus obediendum
eſſe argumentatoris eſt ex pura putaq́ inſcitiâ
concreti, qui præter tam multa abſona non a-
nimad-

nimaduertat impoſsibilitatem eo in ſenſu hærere manifeſtam. Si n. omnes omnibus obedire debēt, nulli erūt qui iubeant, nulli qui obediāt.

At non fuit primus Lutherus, qui, vel odio ordinis monaſtici, vel imperitiâ vocis vniuerſalis, tam inſulsè colligere potuit, iam olim Eccleſiaſticæ immunitatis hoſtes, eadem generalitate nō minus inſcienter ſunt abuſi. Certè Bertrandus Eduenſis Cardinalis, cuius lucubrationes ſunt Tom. 4. Bibliothecæ Patrum, agens cōtra Petrum de Cugneriis, pro Eccleſiæ libertate, ſubtili explanatione mentem B. Petri aperit, vt dicat eum loqui de ſubiectione ad omnem creaturam humanam indiſcriminatim, dum coactio intercedit, vt tunc quilibet propter neceſsitatis meritū, i. quum quod effugi nō poteſt, ex virtutis honeſtate fit, non propter neceſsitatis debitum, i. non quia teneatur quis id facere, *alioqui*, inquit, *Epiſcopus cuiuis infimæ vetulæ ſubiectus eſſe deberet, nimirum, ſi vox vniuerſalis vniuerſaliter neceſſariò caperetur.*

Cum Imperator Conſtantinopolitanus abutens eadem vniuerſali, Patriarcham Conſtantinopoleos, iuberet iuxta pedes ſuos ſedere in parte ſiniſtrâ, ſcripſit illi Innocentius Papa III. *Cap. ſolitæ de Maiorit. & obedien.*
Mirata eſt Imperialis ſublimitas, quod Te niſi fuimus in noſtris litteris increpare. Huic autem tuæ admirationi, non cauſam ſed occaſionem præbuit, quod legiſti B. Petrum Apoſtolorum Principem ſic ſcripſiſſe: Subditi eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſiue Regi, tanquam præcellenti, ſiue Ducibus tanquam ab eo miſsis. Verum, ſi perſonā loquētis, & eorū ad quos loquebatur, & vim loquutionis diligentius attendiſſes, ſcribentis nō expreſsiſſes taliter intellectū. Scribebat n. Apoſt. ſubditis, & eos ad humilitatis meritū prouocabat. Nam [illegible] *hoc, quod dixit: ſubditi eſtote, Sacerdotib. imponere* [illegible] *iugū ſubiectionis, & eis Prælationis auctoritatem*

afferre, quibus eos ſubiectos eſſe monebat, ſequeretur ex hoc etiam, quod ſeruus quilibet in ſacerdotes imperium accepiſſet, quum dicatur, Omni humanæ creaturæ. Hæc ſi prudenter attenderet Imperatoria Celſitudo, non faceret aut permitteret Conſtantinopolitanum Patriarcham magnum, & honorabile membrum Eccleſiæ, iuxta ſcabellum pedum ſuorum in ſiniſtrâ parte ſedere: quum alij Reges, & Principes, Archiepiſcopis, & Epiſcopis ſuis, ſicut debent, reuerenter adſurgant, & eis iuxta ſe venerabilem ſedem adſignent.

Eiuſdem generis eſt illud D. Pauli

Ad Rom. 13. 1. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*, vbi Anima, vulgato Hebraiſmo, pro homine ponitur. Ruminant itaque Politici, Clericorum oſores, vocem vniuerſalem *omnis*, quæ ſimpliciter tota generalitatis latitudine accipienda ſit: per poteſtates autem ſublimiores ὑπερεχούσαις, quaſi dicat præcellentes, quæ iure imperio potiuntur, legitimaque auctoritate vtuntur, intelligendam poteſtatem Principum politicam. Itaque Eccleſiaſticæ perſonæ legibus ciuilibus per ſe tenentur, & poteſtati politicæ ſunt ſubditi; nam illud, *Omnis anima*, includit etiam Clericos, quod vel Bellarminus ipſe fatetur.

Bellar. li. 1. de Cler. c. 28 propoſ. 5.

Demus, de Principũ politica poteſtate Apoſtolum agere, etiamſi dicat omnem animam, ei poteſtati eſſe ſubiectam: ad eos tantum vniuerſale ſignum OMNIS *extendi poteſt*, qui ad illam Rempublicam pertinent. Nam alioqui quis dicat Calecutano, aut Iaponum Monarchæ ſubiici Cæſarem, quia OMNIS *anima poteſtatibus ſublimioribus*, inter quas Calecutanus, & Iapon, *ſubdita ſit, oportet*. gerræ, nugæ. Optima eſſet collectio: quemlibet ſubditum parere debere ſuperiori-

Iuſtinian. Rom. 13. 1. *Lorin. 1. Petri 2. 13.*

perioribus ſuis, quibus ſubeſt. Ex quo conſequens eſt Eccleſiaſticos ſuis Antiſtibus, quibus ſunt ſubiecti, debere obtemperare: ſed illud non minus ſtultè infertur, ac impudenter, ergo ſubſunt laicis, & politicis. Eadem forma effeceris, Ibero obtemperare debere Gallos, Anglos, Germanos, Italos. Igitur oſtendendum prius eſſet ſeculares Principes Clericorum reſpectu, eſſe poteſtates ſubliniores, ſi perſonas ſpectes, & tunc, Clericos iis eſſe ſubditos. Sed hoc modo non agitur de vocis vniuerſalis ignorantia, vel abuſu aduerſarios conuincimus, qui audiant optimum Doctorem.

Bernard. epiſt. 183. ad Conradum Regem Romanorum: *Querimoniæ Regis noſtri ſunt, & maxime illa, quam dignanter exprimitis de inuaſione Imperij Regis dedecus, regni inuaſionem nunquam volui, volentes odit anima mea, legi quippe OMNIS anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, &, qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. Quam tamen ſententiam cupio vos, & omnimodis moneo, cuſtodire in exhibenda reuerentia ſummæ, & Apoſtolicæ Sedi, & B. Petri Vicario, ſicut ipſam vobis vultis ab vniuerſo ſeruari imperio.*

Bernardo quoque antiquiorem Ignatium, qui epiſtola ad Philadelphenſes, Principes Cæſari, Principibus milites ſubiicit: ſed Presbyteris Diaconos vtroſque, & omnem Clerum, ſimul cum omni populo, & militibus atque Principibus, ipſo⁊ Cæſare, præcipit Epiſcopis obedire, Epiſcopum autē Chriſto, ſicut Patri Chriſtus obediuit, vt ita vnitas per omnia ſeruetur. *Epiſt. 9.*

Nunc alio ſermonem conuertamus.

Ad Titum 1. 15. Generaliter ſcribit Paulus: *Omnia* *OMNIA munda mundis: coinquinatis autem, & in-* *munda* *fidelibus NIHIL eſt mundum, ſed inquinata ſunt eo-* *mundis.*

rum

ram & mens & conſcientia. E quibus quia vniuerſalibus vocibus exprimuntur, colligunt Proteſtâtes, omnes omnino actiones infidelium, hoc ipſo, quod ſint infidelium actiones eſſe malas, quæ eſt ſententia Lutheri Art. 36. Ex damnatis à Leone X. Philippi Melancthonis in Apologia Confeſſ. Aug. Buceri li. de Concor. controuer. Caluin. libr. 2. Inſtit. cap. 3. Kemnitij in Exami. Concil. Triden. Seſſ. 6. Can. 7. Nititur erronea hæc opinatio, ignorantiâ ſenſus Paulini, & acceptionis vocis vtriuſque vniuerſalis. Paulus enim non loquitur de operibus infidelium, ſed de cibis mundis aut immundis legaliter, & ait, fidelibus, qui non ignorabant legem veterem abrogatam, cibos omnes naturâ ſuâ eſſe mundos, & poſſe cum gratiarum actione ſumi, infidelibus autem ob inquinatam mentem, & conſcientiam, quia legem antiquatam non putant, cibi omnes immundi ſunt.

Aug. lib. 30. contra Fauſtum cap. 5. *Cùm Apoſtolus inquit, omnia munda mundis, naturas ipſas intelligit, quas Deus creauit, iuxta illud: Fecit Deus omnia & erant valde bona. Infidelis autem ſiue comedat, ſiue abſtineat, non ſanctè vel iuſtè comedit, vel abſtinet, quia prauâ opinione vtrumque facit.* At non agat Apoſtolus de Iudaico ciborum delectu, loquatur de operationibus & propoſitio vniuerſalis, *Infidelibus nihil eſt mundum*, ſignificat omnia infidelium opera eſſe peccata. eritne idcirco vniuerſalis vniuerſaliter accipienda? certè non magis quàm illa, *omnia munda mundis*, cuius ſignum vniuerſale ad omnes omnino operationes extendi nequit, quum *non ſit iuſtus, qui nō peccet*, qui non verè dicat: *Dimitte nobis debita noſtra*, qui *non ſepties in die cadat.* Vt igitur hic τὸ *Omnia*, reſtringi debet ad illa opera, quæ fiūt ex iuſtitia, i. caritate, & pietate:

pietate, ita τὸ *Nihil* complectetur omnia, quæ ex impietate & infidelitate procedunt, non ſimpliciter alia.

Ad eundem errorem ſtabiliendum adducũtur ſimilia effata vniuerſalia, ex quibus pro eo nihil habetur præter inſignem errantium, in vocum vniuerſalium vſu inſcitiam.

Geneſ. 6. 5. *Omne ſigmentum cordis humani tantum eſt malum*, Vel, vt nos legimus *Cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum, omni tempore*. Ignorant miſelli, vel diſsimulant verſipelles, Scripturam tum illo loco, tum aliis pluri mis tribuere omnibus, quod conuenit maiori parti, et ſenſum eſſe, maiorem partem cogitationum, ſiue præcipuum ſtudium hominum illius ſæculi fuiſſe malum. Vnde S. Auguſtinus libro de vnitate Eccleſię, c. 12. ſcribit, in ſacris literis ſæpe reprehendi omnes homines, cùm ſolos malos Spiritus Sanctus reprehẽdere velit. Pſal. 13. 3. *Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, nõ eſt qui faciat bonum, non eſt vſq; ad vnum*. Et hic vniuerſalium ignoratione laborari à ſectarijs ſupra probatum eſt.

Ioan. 15. 5 *Sine me nihil poteſtis facere*. Illuſtris ſẽtentia, Auguſtini primùm, deinde omnium aduerſus Pelagianos diſputationibus. Ea hodie noui etiam hæretici, ob vocis vniuerſalibus intellectum prauum abutuntur, vt probent non ſolum nos NIHIL, ſine Chriſto, id eſt, ſine eius peculiari gratia, poſſe facere, quod quoquo modo, &c, vt Theologi loquuntur, moraliter bonũ ſit, nam hoc etiam vniuerſaliſsimũ NIHIL repellit: ſed in Chriſto manentes, quicquam nos ex nobis facere, id eſt, quicquam cum eius gratia cooperari, & nos qui contra ſentimus, homines ſcilicet valdę Catholici, Pelagianos vocant,

vocant, Pelagiani enim videntur eſſe quibuſdam Theologi, non quod hi Pelagiani, ſed quod qui ita iudicant; Manichæi ſint, Catholicos autem Manichæis Pelagianos videri neceſſe eſt.

Caluini verba ſunt: *Papiſtæ hanc ſententiam nō extenuant modo, ſed eneruant, imo potius eludunt. Etſi enim verbotenus fatentur, nos ſine Chriſto nil poſſe: aliquid tamen facultatis ſuppetere nobis ſomniant, quod per ſe quidem non ſufficiat, ſed Dei gratia adiutum cooperetur, nec enim hominem ita exinaniri ſuſtinent, quin aliquid ex ſe conferat. Verum tam clara Chriſti verba eludere non ita promptum eſt. Tale eſt Papiſtarum commentum:* Nos ſine Chriſto *Nihil* poſſe, ab eo tamen adiutos, habere aliquid ex nobis præter eius gratiam, Chriſtus verò contra pronunciat nihil poſſe ex nobis: *Palmes* (inquit) *nullum fructum adfert à ſemetipſo.* Ergo non tantum cooperantis gratiæ auxilium hic commendat, ſed nos penitus priuat omni virtute, niſi quam ſuppeditat ipſe nobis.

Caluinus igitur, vt nihil homini humanum relinqueret, & peſſundaret liberum, quo beneficio diuino fruimur, arbitrium; vocem vniuerſalem *Nihil*, non ſolum extendit ad opera, quæ pietatis dicuntur, & ad iuſtificationem ſpectant, quorum nullum ſine Chriſtô, id eſt, eius gratia, à mortalibus fieri poteſt: ſed etiam ad omnem cooperationem noſtram, dum diuinis gratiæ ſubſidiis iuuamur, quaſi nihil cooperando poſſimus: imò & ad omnia opera bona moralia, vt non niſi malum, ſine actuali Chriſti gratia, per generale quod vocant auxilium, omnibus hominibus commune, homo poſsit facere. Inane commentum & improbum, ſed ex imperitiâ Vſus voculæ vniuerſalis profectum, quam non niſi

niſi ad opera tranſnaturalia, & ad ſalutem conducentia, quæ abſque gratia fiant, extendi debere, ſuo loco monſtrauimus. Ad idem ſpectat

1. Ioan. 2.16. *Omne quod in mundo eſt, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.* Ex qua vniuerſali malè intellecta cōficiunt vaniſsimi argumentatores, omnia opera noſtra eſſe peccata. Alij non mali quidem, ſed malos ſequuti patronos, ſine fide & ſpeciali auxilio nullum fieri poſſe opus bonum morale. Ineptè. Nam ſi mundus pro mundi amatore ſumatur, vt eſt talis, & operatur ex prauitate, vox vniuerſalis *omnis*, ad flagitia ſolum extendenda eſt. Omnia enim reuocantur ad tres illos fontes, Luxuriam, Auaritiam, Superbiam: non autem ad bona quæ in illo, & multa naturalia corpus, animam, intelligentiam, cætera, & eſſe poſſunt moralia, qua homo eſt: ſi pro rerũ vniuerſitate accipiatur, *omne* deſignabit peccatorum obiecta, quorum triplex caput.

Eiuſdem generis eſt, quod ad idem ſtabiliendum profertur ex Auguſtino 1. de nupt. & concupiſc. cap. 3. & lib. 4. in Iulian. cap. 3. ac Tractatu in Pſal. 31. quibus locis vniuerſim docet peccata eſſe, omnia infidelium opera, eoq; trahit illud, *Omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* Roma. 14. Nimirum, quicquid ferè fit ab infidelibus, inquinatum eſſe ſolet, quum exerceatur, vel ob malum finem, vt in cultum falſorum Deorum, vel ad inanem gloriam. Nam vt rectè idem S. D. *Quicquid boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri vera ſapientia iubet, & ſi officio videatur bonum, ipſo non recto fine peccatum eſt.* & *An ex iſtis, qui exhibuerunt terrenæ patriæ Babylonicam dilectionem, & virtute ciuili non vera, ſed veriſimili* *Lib. 4. in Iulia. c. 3.*

Dæmonibus, vel humanæ gloriæ ſeruierunt, Fabiis videlicet, & Regulis, & Fabriciis, & Scipionibus, & Camillis prouiſuri eſtis aliquem locum inter damnationem, regnumq́; cœlorum? Itaque damnat Auguſtinus illa opera infidelium, quæ ad malum ab iis referebantur, & quia talia erant plurimum, quæ ab illis proueniebant, vt ipſe dicit de ſpiritu & litera cap. 27. ideo per Hyperbolem malè à Sectariis intellectam, ait, omnia opera infidelium peccata fuiſſe, tribuens omnibus vſitatiſsimo tropo, quod maximæ parti cônueniebat. Ad alia nunc dilabimur.

An abſtinendum à profanorũ librorum lectione omninò?

Ruffi lib. 1. hiſt. c. 32.
Socrat. li. 3. c 10.
Theodor. li. 3. c. 8.
Sozom. lib. 5. c. 17.
Acta Artemij apud Sur. 19. Octob.
Conſentit Aug. 18. de Ciu. c. 52.
Ammian. lib. 22. c. 25.
Iulia ep. 42
Ioſu. 1.
**Apud Serar. in Ioſ. 1. q. 12.*

Tradunt Eccleſiaſticarum rerum Scriptores prohibita Chriſtianis à Iuliano ſtudia auctorũ Gentilium, verito, ne hoc modo plures tranſirent à Numinum (verba ſunt Ammiani Gentilis) id eſt Idolorum & Dœmonũ cultu, quod ipſemet Iulianus in quadam epiſtola ſatis apertè declarauit: *Inclemens Edictũ*, inquit idem Ammianus, *& perenni obruendum ſilentio*, quod tamẽ ſancire potuit Hyperboles diuinæ ignarus quorundam zelus, profectò non ſecundum ſcientiam. Fallor? Vos qui me auditis Iudices, poſtulo. Præſcripſerat Deus Ioſue: *Non recedat volumen legis huius ab ore tuo. Sed meditaberis in eo diebus ac noctibus.* Quod mandatum duplici notatum Hyperbole ſupra obſeruabam, neutram, quia intelligebant quidam, & omnibus poſitum, quod Ioſue decretum, arbitrabantur, Poetarũ, Oratorum, Philoſophorum, aliorumq́; profana ſcribentium, & non Gentilium modo, ſed & fidelium codices abiiciendos colligebant: inter quos Luſcorum princeps R. Iſmael* in Thalmud Babylonico, tractatu Menachoth, ſeu de Oblationibus veſpertinis, ac farinaceis cap. 11. fol. 99. b. 41. A ſororis enim filio Rabbi hic rogatus

gâtus, poſteaquam Moyſis legem ſatis edidiciſſet, poſſetne temporis aliquid Gentilium ſcriptis tribuere? reſpondit: *Velle Deum, vt noctes atque dies legi ſuæ impendamus. Diſpiceret igitur omnis temporis partes, horaſque omnes numeraret, & ſi quidem extra diei noctisq; ſpacium, aliquam inueniret, eā ſanè in Gentilium lectionem conferret.* Inſcitè equidem. Et ſimilia leguntur in Thalmude Ieroſolymitano, tractatu Peáh & Sutah. itemque in Rabbi Araria libro 3. Meorhenaiim capite 2. fol. 39.b.

Neque verò è Chriſtianis nemo fuit, cui geminā imponeret imperitia. Annon etiam Luthero, Carolſtadio, Melanchthoni? de quibus Surius in Commen. An. M.D.XXII. Dum Lutherus abeſſet in Patmo ſua quiddam mirè ridiculum accidit Vuitenbergæ. Carolſtadius enim, & Melanchthon præcipui Lutheri diſcipuli, & Symmiſtæ hauſtā occaſione ex ſcriptis Lutheri, ſtudioſis adoleſcentibus perſuaſêre, non eſſe dandam operam Philoſophiæ, Platonem, Ariſtotelem, Ciceronem, & id genus alios, non niſi mera ſcripſiſſe commenta, & impoſturas, eoque, libros eorum Vulcano conſecrandos, VNI ſacrorum Bibliorum lectioni vacandum: neque fas eſſe, hominem Chriſtianū literis deditam actitare vitam faciēdum omnibus, quod in Geneſi dictum eſt: *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo.* Addit Hiſtoriographus: Nemini dubium eſſe poteſt, quin ob ſtultiſsimam animi arrogantiam illi grandes ſophi ad tam abſurdam, & plus quam anilem delirationem deuoluti ſint, quum certum ſit, magnam eſſe liberalium Artium & Philoſophiæ ad multa opportunitatem, modò

Similia Cōclaus & Iacob. Gretz. in Luthero Academico cap. 3.

quis rectè & moderatè illis vtatur. Scripſerat Lutherus in libello ad Germanicam nobilitatem, Ariſtotelis Phyſica, Metaphyſica, Ethica prorſus aboleri debere. Ex hoc fonte hauſerat hanc ſuam præclaram doctrinam Carolſtadius & Melanchton. Et vt magis inſaniam proderent ſuam, Carolſtadius, ex Archidiacono factus eſt agricola in rure Vuittenbergenſi, Melanchton in piſtrino artem piſtoriam meditabatur. plerique adoleſcentes, artium liberalium combuſtis libris mechanica opificia complexi ſunt. Denique hac prodigioſa illorum hominum temeritate, eò res perducta eſt, vt multis locis ſcholæ clauſæ tenerentur annis aliquot. Interim in piſtrino lapis lapidem terebat, & verſabatur magno conamine, vt ſaxum Siſyphi Bibliorum volumen: hærebat enim illud in mente magnis prophetis, ſed non intelligebatur:
Pſal. 118. *Meditaberis in eo diebus ac noctibus. Beatus vir qui non abiit in conſilio impiorum, ſed in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte. Adiuua me, & ſaluus ero, & meditabor in iuſtificationibus tuis SEMPER. Quomodo dilexiſti legem tuam Domine? Tota die meditatio mea eſt.* Quantum incommodi inferre poteſt in Eccleſiam, vel vnius Hyperboles ignoratio?

Qua imbutus haud dubiè, ex Caluiniſtarum tribu, ſed deſertor; & nouæ, vt ferunt, ſectæ auctor, Ioannes Piſcator, à quo Piſcatoriani, quem Hugonottæ, Angliq; damnarunt hæreſeos, & anathematis fulmine proſcripſerunt, ſcholarum reformationem excogitauit, exque iis omnes bonos auctores gentiles, Ciceronem, Terentium, Saluſtium, Horatium, Virgilium, & id genus omnes relegauit. Et ex verſibus, quos ſcribebant imbi politiori litteraturæ addicti litura

Petrus Cudſemi opuſc. de deſpera tu Caluini cauſa c. 7.

tura

tura obducere ſolitus erat vocabula poetica, Ceres, Bacchus, Mars, Diana, Phœbus. Tandem aſtrorum, dierum, planetarum nomina reformare, & pro illis Chriſtiana ſubſtituere conatus eſt. Sed hic illi aqua hæſit, animus tamen erat Gentiles omnes ablegare. Nam legerat de ſacro volumine, *Meditaberis in eo diebus ac noctibus*, Itaque Poetarum, Oratorum, Philoſophorum, vno verbo, profanorum codices omnes abiiciendi. O inſaniam! quam vnius Hyperboles parere poteſt inſcitia. Sed hanc profligarunt eruditi ac pij, ex modernis Eſpenſæus & Poneuinus, ex antiquis Baſilius, Auguſtinus, Hieronymus, Clemens Alexandrinus, Nazianzenus, alij.

Baſil. Orat. de vtil capien ex gentil. libr.

Aug. 2. de doct Chriſt. à cap 40.

Hiero. epi. 8 & 84. Clem. Alex 6. Strom. Nazian orat. 1. in Iulianum.

Bibite omnes.

Adhæc, quantas turbas dat malè intellecta in Euchariſtiæ diſtributione vſurpata à Domino vox omnis dabat ſuis calicem Chriſtus, & dicebat, *Bibite ex hoc* OMNES Matth. 26. 27. Notanda vox OMNIS, clamitant aduerſarij, ex qua ſola ſatis liquet, Pontificios contra expreſſum Dei verbum altera ſacra, ſacramentorum ſpecie defraudare populum Chriſtianum. Exiſtimandum eſt ſiquidem, Chriſtum, datâ operâ, quaſi præuidentem poſterioris temporis errorem, quod de corpore non dixerat, dixiſſe de ſanguine, *Bibite ex hoc omnes*. Vrget hanc vniuerſalitatem Caluinus lib. 4. Inſtit. cap. 17. §. 47. *Edictum æterni Dei eſt, vt* OMNES *bibant*. & §. 48. *Præcipientis verba ſunt: Bibite ex hoc calice* OMNES. An non hoc eſt fucum ſimplicibus facere, aut incredibilem ignorantiam prodere? OMNES dicit Chriſtus, cunctoſne, qui in vniuerſo erant, intelligebat? puerilis intellectus, & futilis, quis non deprehendat impoſturam, vel inſaniam?

Omnes deſignabat Apoſtolos præſentes, quibuscum loquebatur, haud alios, communi loquendi formulâ, quâ omnes, qui in circulo, vel triclinio vniuerſaliter notantur.

At quis tamen legitimus illius pronunciati ſenſus, qui turbas placidè componat? non arbitror alium, quàm quem Lucas dedit aliis verbis cap. 22. 17. *Diuidite inter vos.* Nimirum, quum diuiſiſſet panem Euchariſticum in varias partes, & ſingulas particulas ſingulis Apoſtolis porrexiſſet: calix autem eo modo diuidi non poſſet, vni ex Apoſtolis integrum porrexit, additâ cautione, vt non exiſtimaret totum ſibi exhauriendum, ſed deguſtandum aliquid, ac poſtmodum cæteris porrigendum, quod ritè factum, nam vt Marcus eſt auctor, *Biberūt ex eo OMNES*, vtique illi OMNES, quibus dictum erat, *Bibite ex hoc OMNES.* Quid hic difficultatis maioris, quàm ſi in ſympoſio, arrepto poculo conuiuator, modicè merum delibet, detque proximo, lege datâ, vt ſit ambulatoriū, & ſinguli aliquid guſtent, non vnus totum educat.

Quid hîc contra adferunt præuaricatores? dolum ex alio vniuerſali. Chriſtus palam edixit, ſe omnibus dicere, quicquid Apoſtolis dixerit Marc. 13. 37. *Quod vobis dico, OMNIBVS dico.* Apoſtolis autem dixit, *Bibite.* Ergo omnibus: mandatum eſt de vſurpando calice: quis non tangat ineptias, & fallaciam? truncatur ſententia, ſupprimitur verbum, in quo vis omnis; producitur vox vniuerſalis viduata comite, canitur victoria. Dixerat Chriſtus: *Quod vobis dico, omnibus dico, vigilate,* huius loco ſubſtituitur, *bibite*, & ſenſus fingitur, omnia ſimpliciter, quæ quolibet loco, tempore, occaſione dico, omnibus dico: dixi autem vobis aliquando, *bibite.*

Ergo

Ergo dignum Bacchicis lurconibus acumen!

Sed iam quærere iuuat à madidis illis fraterculis, ſi voce vniuerſali, *omnes*, deſignātur, quur infantibus ſanguinem Chriſti non porrigant? nam & illi voce vniuerſali comprehenduntur: præſertim quum Caluiniſtæ paruulos baptizent, & eorum opinione magis ſit neceſſarium corpus & ſanguinem Chriſti ſumere, eſt enim hoc in eorum priuilegiis vniuerſaliſsimè expreſſum.

OMNES Caluiniſtæ ex vtero materno naſcuntur ſancti, & hæredes vitæ æternæ, ideoque Baptiſmo non egent.

Cur non dant iidem ſanguinem Chriſti excommunicatis, Chriſtus neminem excipi iubet? ſi ad omnes pertinet, quod Chriſtus Apoſtolis proponebat, quur non de cunctis intelligitur illud Matth. 26. *OMNES vos ſcandalum patiemini in me in iſta nocte.* Ioan. 6. 7. *Nonne ego vos duodecim elegi, & ex vobis vnus diabolus eſt?* Marci 16. 15. *Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ.*

Malè intelligebat Lutherus voculam *OMNIA*, in decreto de confeſsione ſacramentali, quod habetur in Concilio Cabilonenſi cap. 32. & Lateranenſi in c. *OMNIS* vtriuſque ſexus, & Florentino, Conſtitutione Eugenij, quibus præcipitur, vt peccata omnia lethifera ſacerdoti confeſsionem excipienti aperiantur: nam vt rectè vereque Tridentinum: *Qui ſcienter aliquid retinet, NIHIL diuinæ bonitati per ſacerdotem remittendum proponit.* hinc falſiſsimam illam propoſitionem in Eccleſiam introduxit, *NON* poſſe hominem *OMNIA* peccata mortalia confiteri. Trid. Seſſ. 16. cap. 5. & can. 7.

Luther. Tract. de confitendi ratione: *Oportet hominem deſperare, ſeſe* O M N I A *ſua mortalia peccata confiteri* V N Q V A M *poſſe. Et doctrinam illam quæ vulgatur in Eccleſia, ex Decretis, quod ſemel in anno* O M N I V M *ſuorum peccatorum, ſicut ſonant verba, debeat facere confeſsionem* O M N I S *Chriſtianus, dico eſſe aut diabolicam, & homicidiſsimam, aut egentem multo, & laxo interpretamento. Oportet, inquam, non* O M N I A *confiteri, nec mortalia nec venialia.*

Luther. in Colloq. German. titulo de confeſ. auriculari: *Quiuis homo ita ſentire debet, quod illi factu ſit impoſsibile, vt* O M N I A *ſua peccata mortalia in memoriam reuocet, & confiteatur, ſed ita opinetur, quod poſt* O M N E M *diligentem ſui examinationem, minimam ſuorum ſcelerum partem confeſſus ſit.*

Fingit homo prodigus, ab Eccleſia præcipi, vt ad vnum omnia peccara mortifera recenſeantur, quaſi id à confitente ſeuerè exigatur, à quo nihil aliud requiritur, quàm, vt ea in confeſſione aperiat, quæ poſt accuratam examinationem occurrunt, cætera quæ latent, vnà remittuntur. Hoc autem modo quis impoſsibile dicat *O M N I A* capitalia crimina numerato confiteri?

An omnes teneantur lege matrimonij.

Quia fingebat in alio genere Lutherus omnibus vniuerſaliter dictum eſſe, & mandatum, *Creſcite & multiplicamini*, hinc illa pluſquam hyperbolica & fœdiſsima introducere in Eccleſiam conatus eſt, Ἄγαμος *viuere volens plane*, ἀδύνατα τηρεῖ, καὶ ὅλως Θεομαχεῖ, *in hoc quod verbo Dei, & creaturæ per verbum eius creatæ, & deinceps conſeruandæ, & exercendæ perperam obnitendo repugnat.*

Impoſsibilia ſeruat. Omnino cũ Deo pugnat.

Epiſt ad VVolffgan. Reiſdenbuſ. Ordinis S. Anto. To. 1. Latin. epi.

Qui ſe hominem eſſe cognouit, & credit hominis appellatione ſe quoque comprehendi, ille purgatis auribus audiat, quam Deus omniũ rerum Conditor ſuper omnem carnem pronunciet ſententiam, dicendo nimirum, ſe

nolle

nolle viuere QVEMQVAM ἄγαμον, ſed multiplicari. Qui ideo ἄγαμ⊙ ἢ μονόσαρξ⊙ manere ſtatuit, ille nomen hominis à ſe deponat, planum faciens, ſe angelum eſſe, aut ſpiritum. Homini enim à Deo nullo modo conceditur.

Ibid. *Votum* (caſtitatis) *contra verbum & opus Dei ſuſceptum vt impoſſibile & impium, NVLLIVS momenti eſt. Deus quoque reprobat illud non ſecus, ac ſi vouiſſem Dei Matrem me velle fieri, aut nouum cœlum condere velle.*

DISSERTATIO IV.

SACRILEGA LVTHERO-CALVINIANORVM PRODIGALITAS,

In vſu Hyperboles ex vocibus vniuerſalib.

OMNIS, NVLLVS, NIHIL, SEMPER, NVNQVAM, VBIQVE, NVSQVAM, TOTVM.

OCcupant præloqui, & accuſare, qui accuſandi, vt delationis prærogatiuâ innocentes audiant, quos domeſticus torquet carnifex, nec finit innoxios. Hac arte tabulariâ, qui ſupra Aufidios, Lurcones, Aeſopos, Apicios, Rufos, in potum, paſtumq; diu noctuq; inæſtuant, orthodoxos temperantiæ litantes de guloſitate deferunt. Qui ad omnem libidinem proiecti, intelligis quos deſignem Pſeudole: nam Candida, & Audebertulus auditi ſunt tibi ſæpius, de caſtitate litem mouent, ſecundum Euangelium eunuchis: Qui nil niſi aurum ſomniant, fidem daturi pro auro, de auri cupiditate accuſant opum, commodorumque deſpicientia naſcibiles. Eadem, Prodigæ liberalitatis in voci- *Actus ſcurrarum.*

bus vniuerſalibus,& vſu Hyperboles poſtulant illi,quibus

Lucil.lib.6. Saty.

*Nequitia occupat os,petulantia,Prodigitaſque.*quinam? oſtentatores egregij,glorioſi milites, hyperbolici Thraſones.quos? Modeſtiæ veritatique æternâ deuotione ſacratos. Nimirum, metus erat, ne quis ex ipſorum ſcriptis, quæ in ſingulis occurrunt pagellis, ſacrilegam Prodigalitatem produceret, quod eatenus omiſſum, quia neminem latet, & rudium quoque incurrit in oculos, ideo præuenire placuit, & è tam vaſtis *IESVITARVM* voluminibus,vix octodecim, poſt tantam inquiſitionem exempla ſignare,in quibus collectori ob ſtuporem incredibilem liberalius voces vniuerſales vſurpatæ videntur, quam conueniat. Sed nos paulò copioſius *PRODIGALITATEM* Caluino-Lutheranam ex ipſorummet libris abſque euagatione tamen preſsè demonſtremus, vt ad quos fortè peruenit

PRODIGA IESVITARVM Liberalitas.

Apud eoſdem legatur

SACRILEGA PROTESTANTIVM Prodigalitas.

Ordior.

DISSERTATIO V.

OMNIS.

Tigurini in confeſſ. Germanic. impreſſa Tiguri in 8

HYperbolicos Lutheri Thraſonis, mos vocibus vniuerſalibus *OMNIS & NVLLVS*, depictos exhibuerunt Theologi Tigurini, ne exad-

ex affectu factum videatur à Pontificiis, animaduertite, quæſo vos, quàm graphicè. *Lutherus gloriatur ſe eſſe Germanorum Prophetam, & Apoſtolum, qui à NVLLO quicquam didicerit, à quo OMNES didicerint alij. NEMO quicquam præſtitit. Lutherus OMNIA præſtitit. Quod ipſe non fecit, infectum manſit. Quod ipſe dixit, oportet eſſe dictum. NVLLI licet contrarium dicere. Qui verò non idem, eodem, quo ille modo loqui vult, hunc oportet tanquam abominabilem, excommunicatum & Hæreticum eſſe.* Non potuiſſet Luthero illuſtrius condi elogium. Sed attendite Hyperbolem in ipſis Lutheri Oraculis.

Luther. in Gloſſa contra prætenſum Edict. Imperatoris: *Dico ego Doctor Martinus Lutherus, Domini noſtri Ieſu Chriſti indignus Euangeliſta, quod hunc Articulum,* Fides ſola abſque OMNI opere iuſtificat coram Deo, *firmum atque inconcuſſum permittere debet, Romanus Imperator, Turcarum Imperator, Perſarum Imperator, Papa, OMNES Cardinales, Epiſcopi, Sacerdotes, Monachi, Reges, Principes, Domini, totus mundus, cum OMNIBVS dæmoniis, & debent inſuper habere ignem infernalem ſuper capita ſua, & NVLLAM gratiarum actionem.*

In Colloquiis Latinis c. de Conſolatione: *Exiſtimo quod à mille annis Nemo hominum adeo hoc teſtatus ſit, quemadmodū ego, qui nunc per multos annos verbum Dei purè docui: Sæpius vno die tres vel quatuor conciones habui. Puto me Auguſtino, & Ambroſio multitudine ſuarum concionum ſimilem eſſe.*

II. Non minus hyperbolicè Caluinus à Beza orbi propinatur. Quam illud mendaciter exaggeratum, quo hæreſiarcham omnium, quos Sol vidit, poſt Lutherum teterrimum, omnique laude indigniſsimum, IESV CHRISTO *Elogia Caluini hyperbolica.*

præpo-

præponit? certè honorificentius de eo ſentit & loquitur. Diſertis enim verbis ſcribit alicubi: *Ieſum Chriſtum ſiquidem non fuiſſet Deus, nihil hominibus fuiſſe profuturum*: de Caluino licet homo tantum fuerit, quum loquitur, eum aſſerit, fidelem fuiſſe Dei ſeruum, paſtorem vigilantiſsimum, optimum Prophetam, mundi Solem, planeq; dignum, qui omnibus antiquis Patribus ac Doctoribus doctrinâ vitæque ſanctitate conſpicuis præferatur. De eiuſdem ſcriptis hyperbolικῶς, voce vniuerſali, *Quibus NIHIL in ſacris explicandis, neque iudicioſius, neque enucleatius, neque magnificentius à QVOQVAM Verbi diuini Interprete, adhuc ſcriptum fuiſſe verè pij, doctique OMNES agnoſcunt.*

Beza de Caluini morte An. 1564. 19. Maij.

Iam quanta ſit in ipſorum enunciatis vniuerſalibus mendax prodigalitas enucleatius per capita manifeſtabimus.

I. DE BONIS OPERIBVS.

Præcepta Dei impoſſibilia Luthero.

LVtherus libr. de libertate Chriſtiana: *Aequè nobis impoßibilia ſunt OMNIA præcepta, atque illud vnum, Non concupiſces.* Idem in aſſertione Art. 2. 31. 32. 36. apertè ſcribit, *OMNIA opera hominis iuſti eſſe peccata mortalia.*

Bona ſunt mala Caluino.

Conſentit Caluinus lib. 3. Inſtit. cap. 14. §. 4. *Habemusne vnum à Sanctis exire opus, quod ſi in ſe cenſeatur, non mereatur iuſtam opprobrij mercedem.* §. 11. *Duobus his fortiter inſiſtendum, NVLLVM vnquã extitiſſe pij hominis opus, quod ſi ſeuero Dei iudicio examinaretur, non eſſet damnabile. Ad hæc, ſi tale aliquod detur (quod poßibile homini non eſt) peccatis tamen, quibus laborare auctorem ipſum certum eſt, vitiatum ac inquinatum gratiam perdere.*

Laudabilia ſunt vitioſa Philippo.

Ab his non abit Philippus in locis M.D.XXI. titulo de peccato, vbi hunc in modum ſcribit: *Conſe-*

Conſequitur OMNIA *hominum, quantumuis laudabilia opera plane vitioſa eſſe, & morte digna peccata.* Idem habet in Confeſsione Auguſtana Art. 6. & Apologia titulo de Impletione legis, & in locis tit. de libero arbitrio.

Contrarium conſtat ex apertiſsimis S. Scripturæ verbis. 2. Petri 1. 10. *Satagite vt per bona opera certam veſtram vocationem faciatis. Hoc enim facientes, nō peccabitis aliquando.* Ergo non OMNIA hominis iuſti opera ſunt peccata lethifera. *Confutatio.*

Matth. 26. 10. *Quid moleſti eſtis huic mulieri? Opus enim bonum operata eſt in me.* Igitur falſum eſt, Nullum à Sanctis exire opus, quod non mereatur iuſtam opprobrij mercedem.

1. Corinth. 7. 28. *Si acceperis vxorem non peccaſti.* Itaque non omnia hominum quantumuis laudabilia opera, ſunt morte digna peccata.

Ad Philipp. 4. 13. *Omnia poſſum in eo qui me confortat.* Non ſunt igitur omnia præcepta hominis per gratiam impoſsibilia. 1. Ioan. 5. 3. *Mandata eius grauia non ſunt.* Ergo multò minus impoſsibilia.

S. Baſilius in illud: Attende tibi. *Impium eſt dicere, impoſſibilia eſſe ſpiritus præcepta.*

S. Ioan. Chryſoſt. Homil. 8. de pœniten. *Nequaquam Dominum accuſes, haud mandat impoſſibilia. multi & ipſa ſuperant præcepta.*

S. Hieron. lib. 3. aduerſ. Pelag. *Deus poſſibilia mandauit, hoc nulli dubium eſt.*

S. Auguſtin. lib. de natura & gratia cap. 69. *Eo ipſo, quo firmiſsimè creditur, Deum iuſtum & bonum, impoſſibilia non potuiſſe præcipere: hinc admonemur, & in facilibus, quid agamus, &, in difficilibus, quid petamus. Omnia quippe facilia ſunt Charitati, cui vni Chriſti ſarcina leuis eſt.*

Lib. 2. de pecc. mer. & remiſſ. c. 3. *Non præciperet Deus*

ret Deus aliquid, quod eſſet humanæ impoſſibi[illegible] voluntati. Lib. de gratia & lit. Artic. 1. c. 16. *Magnum aliquid Pelagiani ſe ſcire putant, quando dicunt, non iuberet Deus, quod ſciret, non poſſe ab homine fieri, quis hoc neſcit?*

In viſitatione Saxonica. Lutherus ipſe: *Multi clamant*, bona opera nihil promereri, *ſed multo magis conduceret, ſi homines ad facienda bona opera compellerentur. Multi dum audiunt*, Fide hominem iuſtificari, *fingunt* O M N I A *ſibi peccata remitti per fidem, putant omnino, ſe eſſe mundos, & ſic temerarij & ſecuri fiunt.* At hoc ipſum vniuerſalibus vocibus expreſſerat idem Lutherus in cap. Babylon. capt. de Baptiſ. *Vides quàm diues ſit homo Chriſtianus, qui etiam volens non poteſt perdere ſalutem ſuam* Q V A N T I S C V N Q V E *peccatis: niſi nolit credere.* N V L L A *enim peccata eum poſſunt damnare, niſi ſola incredulitas.* Et Tom. 1. Ger. VVitt. in Comm. Galat. 2. fol. 92. *Sola fides neceſſaria eſt, vt iuſti ſimus, cætera* O M N I A *libera: neque præcepta amplius, neque prohibita.*

Dices: Quid igitur eſt, quod Paulus ad Tit. 2. docet, Chriſtũ ideo pro nobis paſſum, vt à peccatis mundati, eſſemus ſectatores bonorum operum? quodque Scriptura paſsim à fidelibus opera bona requirit, adeò vt Lutherus ipſe To. 1. cit. ad Galat. 3. fol. 144. fateatur, *numerari non poſſe loca Scripturæ, in quibus opera requirantur?* Reſpondet Lutherus, hæc omnia ſolui poſſe per vocem vniuerſalem, hunc in modum fol. 147. *Tametſi Papiſtæ ingentem cumulum locorum Scripturæ adferant, in quibus bona opera præcipiuntur, ego tamen nihil curo* O M N I A *dicta Scripturæ, ſi etiam eis adhuc plura afferentur. Tu Papiſta, valde quidem faſtidis, & ferocem te facis cum Scriptura, quæ tamen Chriſto vt Domino ſubeſt, itaque* N I H I L *ea re moueor.*

Luth.

Luth. lib. de votis: *Opus bonum non poteſt doceri, niſi lædas fidem, quum fides & opera in re iuſtificationis extremè aduerſentur. Ita fit, vt doctrina operum, neceſſariò ſit doctrina dæmoniorum, & diſceſſio à fide.*

Synodus Illebienſis fol. 207. *Mala eſt propoſitio: Bona opera ſunt neceſſaria.*

Beza volum. 1. fol. 675. *Si fides ad ſalutem neceſſaria eſt, & veram fidem bona opera conſequantur, certè & illud efficitur, neceſſaria eſſe ad ſalutem bona opera.*

II. DE FESTORVM DIERVM *obſeruatione.*

LVther. ad Nobilitatem Germanicam: *Conſulo, vt OMNIA Feſta præter diem Dominicum, aboleantur.* Idem de piis ceremoniis in Eccleſia ſeruandis *Feſta in vniuerſum aboleantur.* *Abolitio Feſtorum.*

Prodigalitatem hanc damnat idem Lutherus in viſitatione Saxonica, vbi ſic colligit: *Tertium præceptum docet, dies feſtos celebrare. Ideo feſta Apoſtolorum, & B. Virginis celebrari debent.*

Hæc & quæ ſequentur non pauca, demonſtrant quam hyperbolicè, vniuerſalibus OMNIS & NIHIL abutatur Com. ad Galat. 6. To. 1. Ger. V Vitt. fol. 315. *Ego certè hodierna quoque die* (Anno 1539.) *NIHIL aliud credo, & doceo quam illud ipſum, quod tum credidi & docui, cum hanc cauſam cœpiſſem. Sicut enim initio de Articulo Chriſtianæ iuſtitiæ de Sacramentis cæteriſque OMNIBVS Chriſtianæ noſtræ fidei articulis, docui, in eâ ſententiâ hodie quoque perſeuero.* Quam verè hoc dixerit, docet varietas in Sacramentorum numero.

Libr. de capt. Babylon. cap. de Euchariſtia: *Mihi neganda ſunt principio ſeptem Sacramenta, & tantum tria pro tempore ponenda.*

Nota,

Nota, PRO TEMPORE, de mutatione namque iam tunc cogitabat: imò vertumnus verſatilis, vix hæc protulerat, & conſtringit: *Quanquam ſi vſu Scripturæ loqui velim; non niſi vnum ſacramentum habeam, & tria ſigna ſacramentalia.* Iterum vertit, idque pro tempore lib. ad VVald. de Euchariſtia Tom. 2. Ien. German. *Scripturam tantum duo Sacramenta noſſe* ſcribit; *Baptiſmum & Euchariſtiam.*

III. DE BAPTISMI MATERIA.

Materia Baptiſmi. Luther in Colloq. Germ. tit. de Bapt. & colloq. Lat. To. 2. fol. 130. b. edit Francof in 8. To. 3 opuſc. Theol. ep. 3.

LVtherus: OMNE *quod dici poteſt balneum, id etiam ſeruit, & aptum eſt ad Baptiſmum.* Effuſa profectò prodigalitas, cuius beneficio, ſi deficiat aqua, baptizetur infans in vino, cereuiſia, mulſo, lacte, ſanguine, vix auſim addere, quod quidam, lotio. Ex hic enim OMNIBVS balneum paratur.

Conſpirat in eandem Prodigalitatem Beza, epiſt. ad Thomam Tilium, vbi ſic: *Deſit aqua, & tamen Baptiſmus alicuius differri cum ædificatione non poſſit, nec debeat. Ego certè quouis alio liquore non minus ritè, quàm aqua baptizarim. Nec aliter de his rebus ipſi etiam ſuperſtitioſiſſimi ſcholaſtici ſcriptores cenſuerunt.* Plus quam hyperbolicum calumniatoris manifeſti mendacium.

Latere in hac Prodigalitate ſacrilegium, ex ipſo Luthero habemus, profuſionem ſuam caſtigante. Sic enim ſcribit Homil. de Bapt. *Si aliud* QVIDPIAM *adhiberes, quam eam creaturam, quam expreſſit, & adhiberi iuſſit Deus* (hoc eſt, præter aquam) *etiamſi illa verba recitabis, quæ iuſſit recitari: Baptizo te, &c. non baptizares, ſed Deo illuderes, & Sacramentum ignominia calumniaq; afficeres.*

To. 7. Lati. VVit. fol. 350 edit. 1557.

Idem ſerm. de Baptiſ. *Vt maximè ſit impius & incredulus, qui baptizat, nihil de Baptiſmo hinc vel accedit, vel*

dit, vel decedit; attamen, ſi modo inſtitutionem Chriſti ſeruauerit, nec VINO, CEREVISIA, LIXIVIO, *aut alia quapiam re liquida, ſed aquis, addito Dei verbo baptizauerit, tum vocatur, & eſt verus & ſacroſanctus Baptiſmus, ſiquidem hic omnia adſunt, quæ ad ſubſtantiam & perfectionem Baptiſmi pertinent, videlicet* AQVA NATVRALIS, *verbum, hoc eſt forma, & inſtitutio, aut mandatum Dei.*

Hunnius cap. 10. de Bapt. quærit, num liceat aquâ deficiente, baptizare alio liquore? Reſpõdet autem, *minimè*: nam, *pertinet*, inquit, *aqua ad Baptiſmi ſubſtantiam. Idcirco ſi quis vteretur vino, lacte, &c. peccaret in inſtitutionem Chriſti, & abuteretur nomine ſacroſanctæ Trinitatis, copulando id cum eiuſmodi elemento, cum quo nullum Dei verbum hoc modo eſſet copulatum: Et quia talis ablutio, quæ vino, lacte, alio ve liquore, ab aqua ſubſtantiæ ratione diuerſo fieret, deſtitueretur omni verbo Dei.*

IV. DE FORMA BAPTISMI.

LVtherus de capt. Babylonicâ: QVOCVMQVE *modo tradatur Baptiſmus, modo non in nomine hominis, ſed in nomine Domini tradatur, verè ſaluum facit. Imò non dubitem, ſi quis in nomine Domini ſuſcipiat, etiamſi impius miniſter, non det in nomine Domini, verè baptizatum eſſe in nomine Domini. Non enim in conferentis tantum, quantum in ſuſcipientis fide vel vſu ſita eſt virtus Baptiſmi.* Ex his ſequitur 1. NVLLAM eſſe certam formam Baptiſmi, quod etiam docet Zuuinglius lib. de vera religione. 2. OMNEM formam ſufficere, quibuſcunque tandem verbis Miniſter baptizans vtatur, ſi qui accipit Baptiſma, illud in nomine Domini accipiat, etiamſi Miniſter illud in nomine hominis conferat. To. 2. c. eſt. Zuuing.

Prodigalitatis huiuſce cõfutator eſt ipſe alio

Hom. de Bapt. Tom. 7. Lat. Vvit.

loco, vbi magis ſapuit Lutherus, qui ſic ſcribit: *Si infantem tingeres aquâ, nec adderes ipſa Baptiſmi verba* (illa, de quibus inibi ſermo) *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, ſed pronunciares vel orationem Dominicam, aut alia quædam verba è litteris ſacris, ea tinctio non eſſet verus Baptiſmus. Nec ſatis eſſet, ſi diceres, quur non eſſet verus Baptiſmus, annon hic eſt aqua? annon & eſt verbum Dei? Hic prætextus te nihil excuſaret: deeſt enim pars tertia, videlicet mandatum. non enim mandauit Deus, vt baptizaturus alia verba, quantumuis ſacra pronunciares, quàm quæ ipſe præformauit.*

Tandem prodigalitatem refellit Beza, quæſtione 155. quæ eſt; *Ergone cogitur præciſe Miniſter vti formulâ à Chriſto præcepta?* Reſpondet autem: *Nulla certè iuſta cauſa poſſit incidere, quæ mutationem aliquam in tam paucis verbis poſſit excuſare, quibus integrum illud myſterium diuinitatis declaratur.*

V. DE MATERIA EVCHARIST.

PRodigè hic vniuerſalibus, nec minus ſacrilegè pronunciant Caluiniſtæ OMNIA *eſculenta, & poculenta idoneam eſſe ad Euchariſtiam conficiendam materiam.*

Beza epiſt. 2. ad Tilium: *Vbi panis, aut vini vel nullus eſt vſus, vel nulla certo tempore copia, num cœna Domini nulla celebrabitur? Imò ritè celebrabitur, ſi quod panis, aut vini vicem, vel ex vſu communi, vel pro temporis ratione ſupplet panis & vini loco adhibeatur. Hæc enim mens fuit Chriſti, quum panem ac vinum ad hæc myſteria deligeret, vt propoſitis earum rerum ſignis, quibus corpus noſtrum alitur, veram alimoniam ſpiritualem velut ob oculos repræſentaret. Itaq; à Chriſti ſententia nihil aberrat, qui nullo prorſus nouandi ſtudio pro pane & vino ſubſtituat, quæ etſi non parem*

parem, ſimilem tamen alimoniæ analogiam habeant. Vt ſunt, nam quid vetat ſub vniuerſali deſcendere? caſeus, carnes, agninæ, hœdinæ, verueci-næ, bouinæ, vaccinæ, pultes, & ſexcenta talia.

Primus Prodigalitatis in hoc titulo auctor fuit Caluinus, de quo Beza epiſt. 25. *Rogatus Caluinus à fratribus, qui tum in America erant, vbi nullus eſt vini vſus, liceretne pro vino vti in Cœna Domini, vel aqua ſimplici, qua plerumque ibi vtantur, vel alio illic non inuſitato potionis genere? Reſpondit, fuiſſe Chriſto in hoc inſtituendo ſacramento conſilium, vt ſpiritualis alimoniæ, id eſt ſuiipſius κοινωνίαν nobis ſub communis cibi, ac potus ſymbolis repræſentaret: ac proinde ſi non fuiſſet tum in Iudæa communis vini vſus, procul-dubio alia vulgari potione vſurum fuiſſe, quod ex ipſius ſcopo ac conſilio liqueat. Itaque nihil à Chriſti conſilio ac voluntate alienum facere videri, qui non contemptu neque temeritate, ſed ipſa neceſsitate adacti pro* Vino Aliud *in iis regionibus vſurpatæ potionis genus vſurparent. Hoc Domini Caluini reſponſum, vt optima ratione nixum, & Chriſti conſilio conſentaneum, noſter cœtus adeò comprobauit, vt eos ſuperſtitioſe facere cenſuerit, qui à vini ſymbolo vſque adeo penderent, vt alteram cœnæ partem omittere mallent, quam ἀνάλογον aliud ſymbolum, ita cogente neceſsitate, vſurpare.*

Prodigalitatem Caluini haud dubiè laudaſſet Philippus Melanchthon, qui Ruthenis hydromelitos, ſiue mulſi ex melle & aqua confecti gratiam in cœna fecit, quum rarus apud illos ſit vini vſus: eadem ipſe poteſtate ac liberalitate ſeptentrionalibus conceſsiſſet vſum cereuiſiæ, vel ſimplicis aquæ, eſt enim eadem ratio. *Philip. li de integra cœna vſu.*

Pugnat huiuſmodi Prodigalitas cum inſtitutione Chriſti, ſenſu antiquitatis, Doctorum

omnium ſententia, eamque damnat Lutherus ipſe, Homil. de Bapt. vbi, *Sacramentum*, inquit, *corporis & ſanguinis Chriſti, niſi mandatum, & inſtitutio ſeruetur, non eſt Sacramentum, vt ſi quis pane & vino propoſito ad altare ſtans pronunciaret non ipſa verba ſacramenti, ſed, aut decalogum, aut Symbolum Apoſtolorum, aut ſententiam aliquam ſacram, aut Pſalmum, aut contra, ſi non panem nec vinum, ſed aliud quidpiam ſumeret, vt vel aurum, vel argentum, vel carnem, vel oleum, vel aquam, etiamſi pronunciaret illa ipſa verba inſtitutionis Chriſti, tamen non eſſet verum corpus & verus ſanguis Chriſti.* Ergo non omnia eſculenta & poculenta idonea ſunt ad Euchariſtiam conficiendam materia.

VI. DE SACERDOTIO ET MINIſtro Euchariſtiæ.

M. Becan. in Priuil. INter Caluiniſtarum Priuilegia, quæ vniuerſalibus vocibus concepta ſunt, ſecundum eſt, *OMNES CALVINISTAE ſunt ſacerdotes à Deo ſanctificati.* Quod ſumitur ex Caluino lib. 4. c. 4. §. 9. & cap. 19. §. 28. vbi habet, *iniurioſos OMNES eſſe Chriſto, qui ſe ſacerdotes appellant ad offerendam placationis hoſtiam.* Et ſubiungit: *In ipſo OMNES ſumus ſacerdotes.* Prodigè profectò. At eàdem profuſione id de ſe ſuiſque vniuerſaliſsimè vſurpat Lutherus libr. de capt. Babylon. Cap. de ordine: *NOS OMNES quotquot baptizati ſumus, æqualiter ſacerdotes ſumus, quia ſcriptum eſt* 1. *Petr.* 2. *Vos eſtis genus electum, regale ſacerdotium, & ſacerdotale regnum. Eſto tam certus, & ſeſe agnoſcat, QVICVMQVE ſe Chriſtianum eſſe cognouerit, OMNES NOS æqualiter eſſe ſacerdotes, hoc eſt, eandem in verbo & Sacramento QVOCVMQVE habere poteſtatem.* Neſcio an clarius & vniuerſalius id poſsit expri-

exprimi, conatum tamen ad expreſsiorem ſignificationem adhibuit idem, libello de inſtituendis Miniſtris ad ſenatum Pragenſem, vbi iſta leges: *Sacerdos in nouo præſertim Teſtamento, nō fit, ſed naſcitur: non ordinatur, ſed creatur. Naſcitur verò non carnis, ſed ſpiritus natiuitate: nempe ex aquâ & ſpiritu in lauacro regenerationis, ſuntq́; prorſus omnes Chriſtiani ſacerdotes, & OMNES ſacerdotes ſunt Chriſtiani.*

Huius autem vniuerſaliſsimi enunciati, illa præter Petri teſtimonium, eſt probatio planè Apoſtolica ex eodem libro. *Tertium officium* (ſacerdotale) inquit Lutherus, *eſt conſecrare, ſeu miniſtrare ſacrum panem & vinum. Dicimus & hoc officium eſſe OMNIBVS commune perinde atq́; ſacerdotium. Idq́; non noſtra, ſed Chriſti aſſerimus auctoritate, dicentis in cœna nouiſsima, Hoc facite in meam commemorationem. Quo verbo etiam raſi Papiſtæ volunt ſacerdotes factos, & potentiam conſecrandi collatam. At hoc verbum dixit Chriſtus omnibus ſuis præſentibus, & futuris, qui panem illum ederent, & poculum biberent. QVICQVID ergo ibi collatum eſt, OMNIBVS collatum eſt. Accedit teſtis Paulus* 1. Cor. 11. *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis. Et hic Paulus ad OMNES loquitur Corinthios, OMNES faciens tales, qualis ipſe fuit, id eſt, conſecratores.*

Continenturne ſub hac vniuerſali mulieres? Nullum Luthero eſt dubium: quare & mulieribus ſacerdotalia adſcribuntur munia, vt cōſecrare panem & vinum: *Rogo te*, ait Lutherus, *quæ eſt illa magnifica potentia conſecrandi collata potentiæ baptizandi, & verbi annunciandi? Mulier baptizat, & verbum vitæ miniſtrat, quo peccatum deletur, quo mors æterna tollitur, quo princeps mundi eijcitur, quo cœlum donatur, denique quo ſeſe totam diuina* *Lib. de Inſt. Miniſt.*

maieſtas in animam infundit. Igitur ſi quod maius & collatum eſt OMNIBVS (etiam mulieribus inquit Lutherus) *nempe verbum & Baptiſmus, non negatum quoque eſſe rectè dicetur, id, quod minus eſt, nempe conſecrare, etiamſi deeſſet Scripturæ auctoritas. ſicut & Chriſtus arguit: Anima plus eſt quàm corpus, & corpus, plus quàm eſca.* Si Deus hoc donat, quãto magis illud.

Idem: *Mulieres dum baptizant, legitimo funguntur ſacerdotio, idque non priuato opere, ſed publico, & Eccleſiaſtico miniſterio, quod ad ſolum ſacerdotem pertinet.*

Ex eadem prodigalitate profectum, vt mulieribus ſit data poteſtas ligandi & ſoluendi, quæ plane eſt ſacerdotalis.

Luther. l. c. *Nos* OMNES *qui Chriſtiani ſumus, habemus commune hoc officium clauium, quia Chriſtus dat ius & vſum clauium* CVILIBET *Chriſtiano, dum dicit, ſit tibi ſicut ethnicus. Quis enim eſt ille, ſit tibi, quem alloquitur Chriſtus hoc pronomine, tibi, an Papam? imo* QVEMLIBET *ſeorſim Chriſtianum. At dicendo, ſit tibi, non modo ius dat, ſed vſum, & exequutionem mandat. Quid enim eſt dicere, ſit tibi ſicut ethnicus? niſi tantum, noli ei conuerſari: communionem illi neges. At hoc eſt vere excommunicare, & ligare, ac claudere cœlum. Ceſſent ergo hominum mendacia, concluſum eſt.* NIHIL *moremur laruarum laruas. Claues ſunt* TOTIVS *Eccleſiæ, &* CVILIBET *membri eius tam iure, quàm vſu, & omnibus Synodis.*

Lege Gretzeri Muriceſc. 19.

Plaude Prodigalitas, patronum inueniſti, quo neminem vidit Sol iſte liberaliorem.

Sed in hoc Lutheri ſectatores Pepurianis, & Collyridianis ſunt ſimiles, qui mulieribus largiebantur ſacerdotium. Nec Petri dictio iis vlla ratione fauet, quæ de ſpirituali, nam & hoſtiæ non aliæ nominantur, quum ſpirituales,

oportet intelligere, ſicut & in Apocalypſi, Beati Sacerdotes vocantur, vt ſcilicet laudent Deum, quod ſacrificium, licet minus propriè, dicitur, vt animaduertit Sanctus Auguſtinus libro 10. de Ciuitate capite 6. Eodem modo regia dignitas abſolutè addicitur & ſanctitas: an idcirco Chriſtiani OMNES ſancti? an REGES? certè non niſi ἀναλογικῶς, & per ſimilitudinem, quomodo ſacerdotes vocare nil vetat, quo ſenſu Lactantius libro 6. Inſtitutionum capite 24. *QVISQVIS OMNIBVS præceptis cœleſtibus obtemperarit, hic eſt verè Dei cultor, cuius ſacrificia ſunt, manſuetudo animi, & vita innocens, & actus boni, quæ OMNIA qui exhibet, toties ſacrificat, quoties bonum aliquid & pium fecerit.*

VII. DE EFFECTV SACRAmentorum.

LVtherus libro de capti. Babylon. *Vnctionis effectus æquè datur inuncto, ſiue Miniſter ioco, ſiue ſeriò inungat. Fides enim ſuſcipientis non errat, quantumlibet Miniſter erret. Si enim ioco baptiȥans, aut abſoluens, hoc eſt, non abſoluens quantum ad Miniſtrum pertinet, reuera abſoluit & baptiȥat, ſi credat baptiȥatus, & abſoluendus, quanto magis vngens extrema vnctione pacificat, etiamſi reuera non pacificet. Si miniſterium ſpectes, quum NVLLVM ibi ſit Sacramentum? Fides enim vncti etiam hoc accipit, quod conferens aut non potuit, aut non voluit dare. Sufficit enim vncto verbum audire, & credere: QVICQVID enim credimus nos accepturos eſſe, id reuera accipimus. QVICQVID agat, non agat, ſimulet, aut iocetur Miniſter.* *Cap. de extrem. vnct.*

Fundantur hæc in alia propoſitione vniuerſali Lutheranis probata. *Ante Deum NVLLA re egemus, niſi SOLVMMODO nuda fide.* Quàm ſacrilega ſit hæc Prodigalitas, demonſtrant Conſectaria. 1. Validè baptizatur, qui per ludibrium aquâ perfunditur, modo credat ſe baptizari: nam *QVICQVID credimus nos accepturos, id reuera accipimus. QVICQVID agat, non agat, ſimulet, aut iocetur Miniſter.* 2. Proponat cauponaria panem & vinum, quæ hoſpes ceu cœnam Dominicam abſumat: reuera corpus & ſanguinem Chriſti manducabit. *OMNE enim illud verè accipit, quod ſe accepturum credit, ſtat ſiquidem Chriſti ſententia,* addit Lutherus: *CREDENTI OMNIA poſſibilia ſunt.* Crede te accipere marſupium auro plenum, ſufficit, iam abundas. *QVILIBET OMNE illud verè accipit, quod ſe accepturum credit. Viue Midæ gazis & Lydo ditior auro.*

VIII. DE IVDICE CONTROuerſiarum fidei.

To. 3. Lat. VVitt. LVtherus in Pſalmum 11. *Hodie, quando ſumus OMNES ſacerdotes, & illud Iſaiæ 54. nunc impletur:* Dabo filios tuos vniuerſos doctos à Domino, *ideo ſic ſunt audiendi ſuperiores quicunque, vt liberum relinquatur CVIQVE infimo de ſuperioris ſententia iudicare in his quæ ſunt fidei, multo magis, quàm Prophetis liberum fuit, maioribus Iſrael reſiſtere, non obſtante Dei præcepto: quum Deus infimo ſoleat reuelare, quod ſummo ne dignatur quidem oſtendere, vt regnum ſuum ſit firmum in humilitate, quæ ſola ſub ſiſtit.* Nimirum, poſtquam in Controuerſia de circumciſione Apoſtolorum tempore exorta

Act. 15. pronunciatum fuit, non eſſe opus obſeruatione legalium, & dixiſſent Apoſtoli: *Viſum eſt Spiritui*

ritui Sancto, & nobis: fas erat CVIQVE infimo, de ſententia lata iudicare: & concilio reſiſtere. Non præcepit Chriſtus Matth. 23. 2. *Super cathedram Moyſi ſedebunt Scribæ & Phariſæi, omnia quæcunque dixerint vobis, ſeruate & facite.*

IX. DE POLYGAMIA.

ET hic vniuerſalibus inuehitur Lutherus, dū adfirmat, Polygamiam eſſe licitam, quod probat in explic. c. 16. Geneſ. An. M.D.XXVIII. *Quia Abraham habuit duas vxores, & alij ſancti viri longè plures. Certum autem eſt*, inquit, *omnia illa externa opera, quæ in veteri Teſtamento antiqui Patres geſſerunt, libera eſſe debere, non interdicta.* V. C. *Circumciſio ſublata eſt, ſed non ita vt peccatum ſit, ſi circumciſio ſuſcipiatur: ſed erit opus liberum, nec malè, nec benè factum. Idemq; dicendum de eſu Agni Paſchalis, & id genus alijs: hac tamen cautione, ne fiant iuſtitiæ titulo, & opinione. Eadem ratio eſt de Polygamia.* To. 4. Ien. Germ.

Sed hoc ipſum inuertit Lutherus alibi, vbi ſic totidem verbis: *Exemplum aut factum hoc* (Iacobi & aliorum plures vxores ducentium) *non debet trahi in conſequentiam. Non eſt, quod dicat aliquis fecit hoc Iacob, ergo mihi quoque licebit.* Hæc itaque traduntur non in exemplum, ſed vt abſtineamus ab exemplo & imitatione. Admiremur eos ſed non imitemur.

Et præcedenti capite: *Multo magis in Theologia hoc cauendum eſt, ne quis ita argumentetur, Iacob perrupit conſuetudinem, & legem Moyſi* (ducendo plures vxores) *ergo idem mihi quoque licebit facere. Nego conſequentiam, & ratio eſt, quia Iacob non eſt moralis, ſed heroica perſona, quæ ducitur heroico, non legali more, ideo non eſt imitandus, ſed ſpectandus & admirandus.*

X. DE CHRISTIANISMO.

CAluinus epiſtola 103. vbi quærenti Lælio Socino, *An Caluiniano vxor ducenda ſit Catholica?* reſpondet: *Homini Chriſtiano, fas eſſe nego, ſe vxori adiungere, quæ ſit à Chriſto aliena, in eo autem numero ſcimus eſſe omnes Papiſtas.* NEMO *igitur me auctore, hoc periculum adibit, quin potius hæc mea ſententia eſt, nec piè, nec in Domino matrimonium cōtrahere, qui aliam ſibi ſociam aſciuit, quam quæ diuortium prius cum Papa fecerit.* Itaq; Papiſtas omnes putat à Chriſto extraneos, nullā in Papatu Chriſtianitatem. Itane? audiatur Lutheri de hac prodigalitate iudicium. *Nos fatemur,* ait, *ſub Papatu plurimum eſſe boni Chriſtiani, imò* OMNE *bonum Chriſtianum, atque etiam illinc ad nos deueniſſe. Quippe fatemur in Papatu veram eſſe Scripturam ſacram, verum Baptiſmum, verum Sacramentum Altaris, veras claues ad remiſsionem peccatorum, verum prædicandi officium, verum Catechiſmum, vt ſunt oratio Dominica, decem præcepta, articuli fidei. Dico inſuper ſub Papatu veram Chriſtianitatem, imo verum nucleum Chriſtianitatis eſſe.*

Luther. lib. cont. Anabapt.

XI. DE AVCTORE PECCATI.

AN non ſacrilega eſt Prodigalitas, Deum peccatorum OMNIVM auctorem aſſerere? Aſſerit Caluinus, excipite verba ex lib. 1. Inſtit. c. 18. §. 3. *Iam ſatis apertè oſtendi, Deum vocari eorum* OMNIVM *auctorem, quæ iſti Cenſores volunt otioſo tantum eius permiſſu contingere.* Ea autem OMNIA, quæ ſolo Dei permiſſu, id eſt, Deo illa minimè operante contingere dicunt Pontificij, non niſi peccata eſſe cenſent. Conſentit diſcipulus Magiſter Beza, qui ſic maioribus tibiis, *Deus opera-*

tur OMNIA, *ſine* VLLA *boni*, *vel mali*, *virtutis*, *aut vitij exceptione : alioqui otioſus eſſet Deus ſecundum errorem Epicuri.* *Aphoriſ.* 6.

Deteſtantur hanc ſacrilegam Prodigalitatem diuinæ paginæ, ex quibus habemus *C V N-C T A quæ fecit Deus eſſe valde bona*, Geneſ. 1. 31. *Mundos eſſe oculos Dei, ne videat malum, & reſpicere ad iniquitatem non poſſe*, Habac. 1. 13. *Peccatum in eo nõ eſſe*, Ioan. 3. 5. *Non eſſe Deum volentem iniquitatem*, Pſalm. 5. 5. *Deum diligere iuſtitiam, & odiſſe iniquitatem*, Pſal. 44. 8. *Similiter odio eſſe Deo impium, & impietatem eius*, Sap. 14. 9. Quin & ipſe Caluinus, non in ſe, nam φιλαυτίας glaucoma impediebat, ſed in Libertinis, quos idcirco execratur.

XII. DE PERSONA CHRISTI.

LVtherus Comment. 2. in Galat. 3. OMNES *Prophetæ viderunt, hoc in ſpiritu, quod Chriſtus futurus eſſet* OMNIVM *maximus latro, homicida, adulter, fur, ſacrilegus, blaſphemus.* To 5 fo. 348

Hom. 1. de Baptiſ. *Fit grauiſſimus, & longè* OMNIVM *maximus, & vnicus in terris peccator, vt alius præter eum* NVLLVS *ſit peccator.* Et ſtatim: *Certè baptiſmo opus habuit, vtque in remiſſionem peccatorum baptizetur, neceſſe eſt.* Et Homilia ſecunda: *Baptiſmus propter Chriſtum, præcipuè & inprimis à Deo eſt ordinatus, & inſtitutus, deinde etiam propter* CVNCTOS *homines.* Nec diſſentit Caluinus: *qui Ieſum Chriſtum ita perſonam noſtram ſuſcepiſſe ſcribit, vt peccator fuerit, & maledictionis reus.* To 7 f 172.

Blaſphemam Prodigalitatem refellunt Prophetæ ipſi, ex quibus licet habeatur Chriſtum ſe Vadem pro humano genere ad mortem obtuliſſe, peccatoriſque induiſſe ſimilitudinem, nũquam tamen probabitur, quod illũ latronẽ, homi-

homicidam, adulterum vocauerint, vel æſtimauerint, nunquam quod Baptiſmi neceſsitatem illi adſcripſerint. Prodigalitati Proteſtan-
1.Pet.1.19 ticæ dicam, ſcribit Petrus, qui Chriſtum appellat *Agnum immaculatum & incontaminatum*. Con-
1.Ioan.29. futat Ioannes Baptiſta, qui palam edicit, *Ecce A-*
Ioa.7.46. *gnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*, reiicit Chriſtus, qui prouocat Phariſæos. *Quis ex vobis arguet me de peccato?*

XIII. DE CHRISTO MEDIATORE.

VT ſtabiliatur error de Chriſto exercēte officium Mediatoris ſecundum vtramq; naturam, diuinam & humanam, Prodigalitate vniuerſalis opus fuit, de qua meritò notatur Cal-
Caluin.in duab. epiſt. ad Polon. uinus, dum ſacrilegè aſſerit, *ea OMNIA, quæ ad Mediatoris officium ſpectant*, de vtraque ſimul natura dici in Scriptura. Quod ſi verum, tribuatur oportet Diuinitati non ſolum ſubiectio, & exinanitio, ſed & paſsibilitas, quod cum plauſu
Luther lib. de Conc. Refert Staphylus lib. de concor. diſc. Luth. excipiet Lutherus Neſtorianos eos nuncupans, qui Ieſu Chriſti Diuinitatem eſſe impaſsibilem contendebant. Muſculus quoque, qui acriter tuetur, ac multis Lutheri teſtimoniis adſtruit Diuinitatem Ieſu Chriſti in Cruce paſſam, quod ex vniuerſali illa ſequitur.

Ex eadem prodigalitate, erupit plus quàm blaſphemum illud Caluini enunciatū, ad quod horripilationem meritò Chriſtiani patiantur. *Sic videmus OMNI ex parte fuiſſe vexatum* (Chriſtum) *vt deſperatione obrutus ab inuocando Deo abſiſteret, quod erat ſaluti renunciare.* Et infra: *In Chriſti morte ſpectaculum deſperationis plenum occurrit.*

XIV. DE LEGIBVS ECCLEſiaſticis.

ECcleſiæ,Pontificum, Epiſcoporum decreta,leges, ſtatuta vniuerſaliſsimè à Caluino *Lib.4.Inſti.* abolentur.*Si enim Deus eſt vnicus legislator*(inquit) *cap.10.§.8.* *non licet hominibus id ſibi honoris adſumere. Facilis erit diiudicatio,quæ hominum Conſtitutiones ſint verbo Domini contrariæ,ſunt enim OMNES eius generis,quæ ad verum Dei cultum finguntur pertinere,& quibus ſeruandis conſcientiæ obligantur, quaſi obſeruatu neceſſariæ eſſent.* Iterum: *Habemus ergo impias* *Mat.16.19* *eſſe OMNES conſtitutiones,in quarum obſeruatione* *Mat.18.17* *cultus Dei ſitus eſſe fingitur.* Quaſi Chriſtus Dominus ligandi ſoluendique poteſtatem Apoſtolis non reliquerit? & pro ethnico ac publicano nõ dixerit habendum,qui Eccleſiæ non obtemperarit? Quaſi omnibus non ſit dictum: *Obedite Præpoſitis veſtris,& ſubiacete eis:ipſi enim peruigilant,* *Heb.13.17* *quaſi rationem pro animis veſtris reddituri.*

XV. DE RELIGIOSIS ET VOTIS Monaſticis.

CAluinus lib.4.Inſt.cap.13.§.14.*Res ipſa loquitur,eos OMNES, qui in cœnobia concedunt,diſceſsionem ab Eccleſia facere.Iſti priuatum ſibi altare erigendo, quid aliud quàm vinculum vnitatis abruperunt. Nam & ſe ab VNIVERSO Eccleſiæ corpore excommunicarunt,& ordinarium cõtempſerunt miniſterium,quo pacem ac caritatem voluit Dominus inter ſuos conſeruari.Itaque quot ſunt hodie monaſteria, tot eſſe dico ſchiſmaticorum Conuenticula, Monachi vna cum cucullo mille impiarum ſuperſtitionum laqueum ſibi induunt.* Quid hinc conſequitur? Cõſilium vniuerſale: *QVIBVSCVMQVE ergo*

Chriſtus Euangelij ſui luce adfulget, non dubium eſt; quin ab omnibus eos laqueis expediat, quibus ſe per ſuperſtitionem induerant. quid ita? quia vota, *extranea ſunt vincula*, & *NIHIL aliud quàm captioſa Satanæ retia.* Hæc Caluinus, cui ſchiſmatici ſunt Baſilius, Antonius, Benedictus, Auguſtinus, Hieronymus, Eccleſiæ lumina: qui ſacrilegè prodigus, ſuadet, vincula cum Deo inita rumpere, quæ ſi homines ligaſſent, ſolui non poſſe diceret. Aliud nobis præſcribit diuinus Spiritus Deuter. 23. 21. *Quum votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus. Et, ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Si nolueris polliceri, abſque peccato eris. Quod autem ſemel egreſſum eſt de labiis tuis, obſeruabis & facies, ſicut promiſiſti Domino Deo tuo, & propria voluntate, & ore tuo loquutus es.*

Eccleſ. 5. 3. *Si quid vouiſti Deo, ne moreris reddere; diſplicet enim ei infidelis & ſtulta promiſſio: ſed quodcunque voueris, redde, multoq; melius eſt non vouere, quam poſt votum promiſſa non reddere.*

XVI. DE PECCATORVM DIScrimine.

Lib. 2. Inſti. c. 8. § 59. *Lib. 3. c. 4. §. 28.* HAbeant, ſcribit Caluinus, *filij Dei OMNE peccatum, mortale eſſe, quod quia ſibi perſuadebat,* alio loco vocat *ineptam diſtinctionem peccatorum venialium à mortalibus: cum Deo ludere & ineptire, quum ſic diſtinguunt.* Imitatur autem Nouatianos & Iouinianiſtas hoc titulo condemnatos. Nobis ſat ſit Prodigalitati oppoſuiſſe vnicam Chriſti ſententiam, in qua tres gradus peccatorum diſtinguit, haud dubie [illegible] aliquo, quem non excuſpes, niſi agnoſcas grauitatem leuitatemque gradibus reſpondentem: *Matt. 5:22* *Omnis qui iraſcitur fratri*

fratri ſuo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri ſuo Raca, reus erit conſilio, qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis. At ſi omne eſſet mortale, nullũ non gehennæ ignis ſupplicio plecteretur.

XVII. DE BEATORVM GLORIA.

PRotrahi illam vſque ad diem iudicij aſſeruit liberrimè Caluinus,& probare aggreſſus ex ſacra Scriptura, duplici vniuerſali opinationi ſuæ robur addidit. Locus eſt lib. 3. Inſt. c. 25. §. 6. *Cum Scriptura VBIQVE iubeat pendere ab expectatione aduentus Chriſti, & gloriæ coronam, eo vſque differat, contentiſſimus his finibus diuinitus nobis præſcriptis: Animas piorum militiæ laboribus perfunctas in beatam quietem concedere, vbi cum felici lætitia fruitionem promiſſæ gloriæ expectant, atq; ita OMNIA teneri ſuſpenſa, donec Chriſtus appareat Redemptor.* Ignorauit hanc omnium ſuſpenſionem,& dilationem Paulus, qui *deſiderium habebat diſſolui, & eſſe cum Chriſto,* ad quid, ſi procraſtinandum erit conſortium, ſi differenda viſio? Idem: *Scimus,* Phil. 1. 23. ait, *quoniam ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis. Nam in hoc ingemiſcimus, habitationem noſtram, quæ de cœlo eſt ſuperindui cupientes, ſi tamen veſtiti, non nudi inueniamur. Nam & qui ſumus in hoc tabernaculo, ingemiſcimus grauati, eo quod nouimus expoliari, ſed ſuperueſtiri, vt abſorbeatur, quod mortale eſt à vita.* 2. Cor. 1.

* * *

Digitized by Google

XVII. DE LITERARVM *ſtudiis.*

ERaſmus epiſt. ad fratres inferioris Germaniæ: *Nonne Lutherus ſcripſit, OMNEM diſciplinam, tam practicam quàm ſpeculatiuã eſſe damnatam? OMNES ſcientias ſpeculatiuas eſſe peccata, & errores? Nonne Melanchthon aliquando damnauit ſcholas publicas? Nunc hic dicit, maneant ſcholæ, quæ bonæ ſunt, vitia corrigantur. Nonne paſſim & publicè clamabat Pharellus, Omnes humanas diſciplinas eſſe inuenta Diaboli? Poſt vbi viderũt hoc fore incõmodum ſectæ verterunt orationẽ* (cõdemnantes ſuã Prodigalitatem) *cœperuntq́; conducere Profeſſores, quo fructu, quove animo, neſcio. De Argentinenſi Eccleſiaſta, qui diſciplinas omnes pro concione damnarât, excepta lingua Hebraica, & paucula portione linguæ Græcæ, iſte fatetur fuiſſe rumorem per orbem ſparſum, quam id verè hic excuſet, neſcio, apud me certè caret fide* (excuſans) *qui fucos probat in viro Euangelico.*

Idem epiſt. eadem fol. 1312. *Criminatur, quod ſcripſi, QVOTQVOT in locis regnat hoc Euangelium, ibi frigere ſtudia litterarum. Norembergæ ſunt decreta ſatis ampla ſolaria linguarum Profeſſoribus, ſcio, ſed qui illic viuunt, ſcribunt, auditores eſſe penè NVLLOS, & Profeſſores non eſſe minus pigros ad docendum, quam auditores ad diſcendum, vt non minus opus ſit ſolario diſcipulis, quàm Doctoribus. fol. 1329. Scripſi alicubi, VBICVNQVE regnat Lutheraniſmus, ibi frigere litterarũ ſtudia, quod plurib. ibi probat.*

Epiſt. 19. ad Bucerum: *Agunt iſthic* (Argentorati) *qui hic* (Baſileæ) *blaterabant omnes diſciplinas eſſe repertas à Cacodæmonib. Certè VBICVNQVE regnat hoc hominum genus, QVOCVNQVE nomine cenſendum, iacent frigentq́; ſtudia omnia.*

DISSERTATIO VI.

NVLLVS.

I. DE MINISTRO BAPTISMI.

CAluinus lib. 4. Inſtit. ſect. 20. & paſsim in epiſtolis vt epiſt. 326. NEMO *priuatus Baptiſmi legitimus eſt Miniſter, Adulterinum Baptiſmum cenſemus, qui adminiſtratus eſt à priuato homine.* At, quanti ſaltem faciendus Baptiſmus priuatim à priuato collatus, vel miniſterio verbi non fungentibus? (id eſt, ab iis qui non ſunt Caluiniani Prædicantes) Reſpondet Beza in Quæſtio. Et Reſp. de Baptiſmo: *Non pluris faciendum, quàm id quod Regis vel Reip. nomine priuatus quiſpiam pro libito gereret, aut quam ſigillum, ad publici imitationem, à priuato quopiam effictum, & cuipiam inſtrumento appenſum, aut quam fabula.* Iterum Caluinus epiſt. 334. *Vbi de vero Baptiſmi vſu admonita fuerit Eccleſia, quod pugnaret cum Chriſti inſtituto, pro* NIHILO *ducendum eſſet, ac de integro baptizandus, qui pollutus fuerit prof. na aſperſione.* Clariſsimè, Decretum Miniſtrorum Hugonotarum An. 1603. in Synodo Vapincenſi, præſidente Miniſtro Chamerio, quod ſic habet: *Circa quæſtionem, An Baptiſmus infantium, à Proponente veram vocationem non habente* (Proponentem vocant Caluiniani, qui Miniſterio proximus eſt, nondũ tamen omnino Miniſter pronunciatus) *baptizatorum ſufficiat? Conuentus iudicat ſtudioſè tollendum eſſe ſcandalum, quod inde populo obuenire poſſet, tamen quum eiuſmodi Baptiſmus* NVLLIVS *valoris ſit, infantem in Eccleſiam Dei introducendum eſſe per verum Baptiſmum.*

Iacob Gualterius in Tabula ad ann. 1600. pag 790.

Aliquam huius Anabaptiſmi occaſionem dedit Lutherus, qui in Colloquiis menſalib. poſtquam dixit: *Si mortis periculum infanti impendeat,*

neque tempus ſinat, vt teſtes aduocentur, infantem à matre baptizari debere, neque de veritate Baptiſmi, vel ſalute infantis, ſi moriatur, dubitandum. Addit: *ſi infans hoc modo clam baptizatus ſuperuiuat,* NVLLVM *verbum mater de huiuſmodi baptiſmate infanti collato facere, debet, ſed penitus ſilere, & poſtea infantem Chriſtiano more & ritu ad baptiſma publicum adferre, vt baptizetur.*

Magis vniuerſe damnat mulierum Baptiſma Caluinus, qui in ep.326.ad Menſonem Poppium, cuius initium: *Si meas. Quoniam,* inquit, *baptizandi licentia, quam ſibi fœmina arrogant,* NIHIL *aliud eſt, quàm craſſa ſuperſtitio, ſtulta illa, & temerè ſuſcepta actio pro* NIHILO *ducenda eſt. Paſtorum ergo officium eſt, eas compeſcere, interea legitimo Baptiſmo conſecrare infantes, qui ſtulta, & præpoſtera æmulatione, nihil aliud, quàm polluti fuerunt.* Similia ſunt in ep.278.& ep.51.ad Mompelgartenſes, & libel.de Reformatione Eccleſiæ. Ad quæ applaudit Beza, qui cum deteſtatione, *Apage,* ait, *craſſam & putidam hanc ſacri miniſterij* (hoc eſt Prædicatici officij) *profanationẽ.* Et ep.12.ad quoſdã Anglicarum Eccleſiarum fratres: *Baptiſmũ obſtetricum* ait, PRORSVS *intolerabilem videri.*

Hanc prodigalitatem ſacrilegam eſſe profiteantur oportet, quicunque hactenus ob Anabaptiſmum damnatos in Eccleſia fuiſſe Marcioniſtas, Nouatianos, Donatiſtas, Arianos, Eunomianos, Armenos, Schiſmaticos, Græcos, & recentiores etiam, quos Caluinus peculiari Opuſculo, & eius Symmyſtæ non pauci confutarunt, Anabaptiſtas.

Caluinus Opuſc pag. 579.

Eiuſdem exagitator, haud dubiè idoneus, eſt ipſe Caluinus. Nam epiſt.334.ad NN.cuius initium: *Literæ veſtræ. Ferendus,* inquit, *eſt qualiſcunque Baptiſmus.* Et paulò poſt: *Olim cum vitiata eſſet re-*

ſet religio, haud dubiè multis vitiis ac corruptelis implicita Circumciſio fuit, quàm tamen iteratam fuiſſe non legimus, cum reuocaretur populus ad purum cultum. Quid? quod epiſt. 87. ad Lælium Zozimum, validum cenſet baptiſmum, etiam quem Diabolus adminiſtrarit, verba ſunt: NIHIL *mea refert, ſitne homo Lucianus, qui baptizat, ſitne diabolus, tantum enim reſpicienda eſt inſtitutio, & continuus vſus, qui à Chriſti mandato, tanquam ex fonte fluxit.* Clarius id expreſsit Beza, vt auctor eſt Hunnius 1. Tract. de Sacram. ca. 13. Imò Lutherus lib. de Miſſa priua. & vnctione Sacerdotum, vbi expreſsè habet, Diabolum, ſi ſeruet verba & inſtitutionem Chriſti, poſſe Sacramenta conficere & adminiſtrare atq; adeo baptizare, cœnam parare, & diſtribuere, concionari, ligare, ſoluere, idq; etiam ſine vocatione.

Alibi Catabaptiſtas vocat, qui quod ipſe prodigus aſſerunt, & ſic illos exagitat. *Tales hodie ſunt Catabaptiſtæ noſtri, qui ritè nos baptizatos pernegant, quòd ab impiis & idololatris in regno Papali baptizati ſumus. Itaq; Anabaptiſmũ furioſe vrgent. Aduerſus quorũ ineptias ſatis valida ratione munimur; ſi cogitem⁹ nos baptiſmo initiatos nõ in nomẽ alicuius hominis, ſed in nomen P. & F. & SS. ideoq; Baptiſmũ nõ eſſe hominis, ſed Dei, à quocũq; tandẽ adminiſtratus fuerit.* Calui li. 4. Inſti. c. 15. §. 16.

Admirando etiã prodigio eandẽ profuſionẽ iugulatam in ipſa Hollandia reperio. Ann. 1579. Amſtelodami, mulier Catholica, Caluiniſtę mariti coniux, quum peperiſſet infantem aqua baptiſmali à perſona laica clam abluendum curauit, certò ſibi perſuadẽs, infantẽ Miniſtro à viro ſuo offerendũ. Quod vbi clam factũ eſt, defertur infans ad Caluiniſticum conuenticulũ verũ ecce Miniſtrum palam in omniũ oculis baptizare volentẽ, vox ita deficit, vt ne verbũ quidẽ Florimun. Remundus li. de orig. hæreſ. c. ... ex Bredenbachio.

proferre queat. Quo miraculo attonitus pater infantem in ſinum accipit, vxorem interrogat, quæ, quod erat confeſſa, reſpondet, infantem more Eccleſiæ Catholicæ baptizatum eſſe, ad quam idcirco ipſe, ac reliqua familiæ pars fuit aggregata.

II. DE SIGNO CRVCIS.

BEza contra Balduinum: *Quum eo res deuenerit, vt quum ab Artolatria diſceſſero, NVLLA ſit ſub cœlo talis Magiæ, & Idolomaniæ ſpecies, qualis eſt Crucis ſignatio, & ſpurciſſima adoratio: tunc à nobis, tam horrendæ ſacramenti profanationis, omnem memoriam & occaſionem ſublatam merito potes indignari?* Ibid. *Si quas ipſi habent huius ſigni in Eccleſiis ſuis retinendi cauſas, nos certè, qui illud NVLLO modo toleremus, & plurimas, & neceſſarias cauſas habemus.*

Idem arguens Chryſoſtomum prodigalitatis hyperbolicæ ita ſcribit epiſt. 8. ad Pſeudoepiſcopum Londinenſem: *Crucis conſignatio etſi vetuſtiſſima eſt, tamen quid vtilitatis adferat, ſanè non video, & quamuis mirificè, & prorſus ὑπερβολικῶς, à Chryſoſtomo præſertim, quaſi quædam religionis Chriſtianæ ſumma commendatur, tamen quum neque auctoritate VERBI DEI, neque VLLO Apoſtolorum exemplo (ἀπόκρυφα enim illa nihil moror) nitatur, id eſt, quum OMNI Dei verbo deſtituatur, nec ſanè etiam ad decorum VLLO MODO pertineat. deniq; cum maximè abominandæ ſuperſtitioni, & OMNI horribiliſſimæ illi hyperduliæ Crucis, primum aditum patefecerit, multo minus velim illam inter ἀδιάφορα numerare, quàm æneum illum ſerpentem Ezechias.*

Mendacem eſſe, ſacrilegio miſtam hanc prodigalitatem vocibus NVLLA, VLLO, OMN

con-

contentam, accurate demonſtrauit, quatuor integris Tomis Iacobus Gretzerus, quibus ſi addantur, quæ ſunt ab eodem in Panegyrico Miſſenico perſcripta, non Chryſoſtomum hyperbolicæ loquutionis, ſed ſe Sacrilegæ hyperboles merito incuſare poterit Sectarius. Sed iuuat his adiungere cenſuram Caluinianæ Synodus Londinenſis, qua notatur Bezana prodigalitas. Sic autem habet. *Nos priuati cuiuſq; tũ Miniſtri, tũ alterius perſonæ cuiuſcumq; ſtatuimus eſſe verũ crucis vſum publica autheritate præſcriptum reuereter amplecti, & recipere.* Item. *Propter ipſam crucis memoriam, quæ apud OMNES verè in Chriſtum credentes plurimi ſemper fuit, Eccleſia Anglicana* (Caluiniana) *eius ſignum in baptizando vſq; retinendum cenſuit: ſequuta nimirum ea in re primitiuas & Apoſtolicas Eccleſias: atque hunc charactere pro licita externa ceremonia reputans, et Symbolo honorifico, per quod infans illius obſequio, qui crucis mortem ſubiit in perpetuum votus eſſet, & mancipatus.* Iaco. Gretz. de Cruce. Celebrata An. 1603.

III. DE SACRAMENTO ALtaris.

Beza Quæſt & Reſponſis de Cœna Domini. *Vide mihi Sathranæ verſutiam. Nec enim dubium eſt, quin Altaris iſtius occaſione fretus ſacramentum in ſacrificium, & quidem ἱλαςικὸν transformarit. At in ſcriptis Apoſtolicis NVLLA eſt altaris, ſed duntaxat menſæ Domini mentio, tanti eſt momenti nihil temere, ne adiaphoron quidem in Eccleſiam inuehere.*

Hæc tam ſecurus futuri, euomit homo temerarius, *ac ſi NEMO vnquam legiſſet illud Pauli ad Hebr.* 13. 10. *Habemus ALTARE, de quo edere non habent poteſtatem, qui tabernaculo deſeruiunt,* quod *paraphraſticè ita reddit elegans Pauli Interpres Iuſti-*

 nianus.

nianus: *Nos non penitus ſacrificio deſtituimur, tametſi Leuitica ſacra non admittimus, ſed eiuſmodi aram habemus, & ſacrificium incruentum, ex quo edere nefas eſt eos, qui leuitica ſuperſtitione impliciti adhuc tabernaculo deſeruiunt.*

IV DE FORMA EVCHARISTIÆ.

Zvuinglianos NVLLAM agnoſcere formã, ne quidem verba inſtitutionis, à tribus Euangeliſtis, & Paulo 1. Cor. 11. recitata auctor eſt Lutherus, cuius verba do, ex ſerm. de Euchar. *Verborum Chriſti* NVLLAM *rationem habent, ſed illa ventorum turbini diſcerpenda, & auferenda permittunt.* Manducate, hoc eſt corpus meum. *Hæc,* inquam. *verba* NVLLIVS *apud illos habentur, aut pretij, aut ponderis, aut momenti, ſed illa oſcitanter tranſiliunt & prætereunt. Contendunt in hoc ſacramento* NIHIL *aliud eſſe, quàm mortis Chriſti annunciationem, & prædicationem.* Hoc ſi in ſuis monumentis inueniatur, de prodigalitate ſacrilega meritò ſe conueniri fatentur ipſi Zuingliani, & Zuinglius ſanè, operoſam pro ſe Apologiam inſtituit, ſed qua Lutheranis minimè ſatisfactũ.

To 7. Lati. Witt.

Et adhuc ſuperſunt illa Buceri obſtinatiſsimi Zuingliani ad cap. 26. Mat. *Chriſtus* NVSQVAM *iuſſit verba iſta ſua repetere.* Item: NVSQVAM *iuſſit Paulus vel Chriſtus verba illa.* Hoc eſt corpus meum, Ec. ſuper panem & vinum recitare. Quid? quod Kemnitius 2. p. examinis Conc. Trid. ſeſſ. 13. c. 1. & VVeſtphalus libro, cui titulus, *Recta in Deum fides,* ſcribunt inter ſuos eſſe qui verba inſtitutionis ſimpliciter à cœna reiiciant. Itaque NVLLAM certam agnoſcunt Euchariſtiæ formam, verborum Chriſti NVLLAM rationem habent.

Reſp. ad conf. Luth.

V. DE MINISTRO EVCHARISTIÆ.

LVtherus poſtquam vniuerſaliſsimè OMNES Chriſtianos Euchariſtiæ Miniſtros pronunciauit, carpit Papiſtas, quod hic nimis ſint religioſi, in vocis vniuerſalis NVLLVS vſurpatione, eamq; ipſe ampliat, animaduerte ſodes, annon prodigè? *Ego*, ſcribit, *non dicam, quod Papiſtæ dicunt, NVLLVM Angelorum, ne Mariam quidem ipſam conſecrare poſſe. Et è contra, dico. ſi Diabolus ipſe veniret (modo præ malitia poſſet rebus Dei tamdiu intereſſe) ego autem pono, vt poſtea reſciſcerem diabolum ſic irrepſiſſe in officium paſtoris Eccleſiæ, in ſpecie hominis vocatum eſſe ad prædicandum, & publicè in Eccleſia docuiſſe, baptizaſſe, celebraſſe miſſam, abſoluiſſe à peccatis, taliq; munere functum eſſe iuxta inſtitutionem Chriſti, tunc cogeremur fateri, ſacramenta, ideo non eſſe inefficacia, ſed verum baptiſmum, verum Euangelium, veram abſolutionem, verum ſacramentum Corporis & Sanguinis Chriſti nos accepiſſe.* Itaque Lutherus ita concipiendam exiſtimat propoſitionem, NVLLVM non Chriſtianum, imò nullum non Angelum, ſiue album, ſiue nigrum cõſecrationis obire poſſe munus, quam prodigalitatem, & execrantur Caluiniſtæ, & Lutherani reiiciunt. *To. 1. Lat. VVitt. Lib. de Miſ. priua. & vnct. Sacer.*

VI. DE COACTIONE AD NOVA SACRA.

LVther. Admon. ad Francofor. *NEMINEM cogimus ad Confeſſionem, quod omnia noſtra ſcripta teſtatur. Qui confeſſionẽ habere nõ cupit, relinquat, quemadmodũ non curamus, ſi quis noſtrũ Catechiſmũ & doctrinam reſpuat. Hic Nemo alterũ impedit.* Logi *To. 6. Ien. Ger.*

To. 4. & To. 7. Ien. Ger. ſunt Hyperbolici: nam exertè præcipit in Inſtructione viſitatorum, vt NEMO ad Sacramentum Euchariſtiæ admittatur, niſi prius à Parocho ſuo auditus & examinatus fuerit, num ad ſumptionem Euchariſtiæ ſit idoneus. An nō eſt cogere, ſi quis à cœna repellatur, niſi prius, aut Prædicantis examen & cenſuram ſubeat, aut confiteatur, falſiſsimum eſſe, quod in doctrinæ negotio nemo alterum impediat, conſtat ex acerbiſsimis in Sacramentarios ſcriptis & declamationibus.

VII. DE BIGAMIS.

QVum multi ex Lutheri ſectatoribus grauiter offenderentur, quod Prædicantes non pauci eſſent bigami, immò ad tertias, quartas, quintas nuptias tranſirent, poſt effuſum ſtomachum in Iuriſperitos, qui ab ordinationib. excludebant illos, qui ſucceſsiuè plures vxores habuiſſent. nam, *Bigamiam*, inquiebat, *à Paulo prohibitam, non in eo ſitam, ne quis ſucceſſiuè habeat duas pluresq. vxores, ſed ne ſimul. Iuriſtas quid ſit Bigamia, ne eminus quidem aſpexiſſe, diſputationem edidit* Theſib. 139. *comprehenſam, qua perſuadere conatur,* OMNES *ad eum vſque diem notionem Bigamiæ ignoraſſe, ſibi cœlitus reuelatam, tandemq. vniuerſe pronunciat.*

(In Colloq. Ger. tit. de Matrim.)

NVLLIVS gentis, aut linguæ vſu Bigamus dicitur, qui plures ſucceſſiuè vxores, ſeu viduam duxerit: ſed natura vocabuli Bigamus is tantum dicitur, qui ſimul plures vxores habuerit. Hoc figmentum eſt inſanientis Prodigi: ſiquidem, qui duas vel plures vxores ſucceſsiuè duxit, ille non eſt Monogamus, non vnius coniugij: Ergo bigamus, id eſt, duorum coniugiorum, vel trigamus, vel tetragamus: aut cōminiſcatur Nouator aliud,

quo

quo plurium ſucceſsiuè vxorum maritus nuncupetur, vocabulum.

VIII. DE EXAMINE ORDInandorum.

PErſuadet imperitis Beza, *Nullum* apud Pontificios morum, & doctrinæ examen ordinãdos ſubire. Prodigalitatem Bezanam, eiuſque confutationem, habet Hadrianus Sarauia Caluiniſta, gente Belga, ſed in Anglia diu verſatus, in Apologiâ contra Bezam, pro libro de diuerſis Eccleſiaſticorum Miniſtrorum gradibus, vbi ſic ſcribit: *Papiſticas Ordinationes, ſupra modum (videlicet* ὑπερβολικῶς, per ementiẽtem ſuperiectionem*) ne dicam ſupra verum, declamatorio more Bez̨a exagitat, & exaggerat, quâ in re vereor, ne bonam cauſam lædat, apud conſcios examinis, quod hodie plerìſque in locis apud Pontificios habetur, qui dicent, Bez̨am maleuolentia odioque in aduerſarios abripi, ad calumniandum. Ipſe, ni fallor, examini NVNQVAM interfuit, ſed ex iis quæ non rarò accidiſſe ab aliis audiuit, in VNIVERSVM de tota re iudicat. Ego quid viderim, narrabo, & quod verum eſt, aduerſariis concedam. Errare Bez̨am, falliq; fateor, qui Nullum morum & doctrinæ examen ordinandos ſubire putat. Ego noui de præcipuis doctrinæ capitibus graues quæſtiones proponi, præſertim futuris Presbyteris: & propter imperitiam, vitæq; turpitudinem pleroſque repelli, & fuiſſe repulſos in diuerſis diœceſibus, & à diuerſis, qui præerant examini. Fallitur Beza, quando in VNIVERSVM Pontificiorum examen damnat hoc nomine: quod SEMPER & VBIQVE apud OMNES vetuſti de examine ordinandorum violentur Canones, aut QVOSVIS promiſcuè admittant, qui præſunt examini, quorum neutrum SEMPER verum eſt.*

IX. DE IMPEDIMENTIS *Matrimonij.*

VNiuerſaliſsimè pronunciat Lutherus: *NVLLA eſt perſona, cum qua ob conſanguinitatem, nequeas matrimonium inire, præter illas, quæ Leuit. 18. numerantur.* Ad hanc prodigalitatem proſcribendam non alio opus, quàm IVRIS Canonici inſpectione, quæ iſtam etiam eiuſdem Lutheri condemnat. *Coniunctio viri & mulieris eſt Iuris Diuini, quæ tenet QVOCVNQVE modo contra leges hominum, & cætera contigerit, debentq́ leges hominum ei cedere ſine VLLO ſcrupulo.* & tamen idem docuerat. Quando Dux Mauritius ſuis ſubditis tertium gradum concedit, Elector autem prohibet: tunc tam illius conceſsionem, quàm huius prohibitionem validam eſſe, vt ſubditus prioris validè contrahat in tertio gradu, poſterioris minimè.

De cap. Bab.

X. DE VERA CHRISTI ECCLES.

QVinam ſint in Chriſti Eccleſia, declaratur à Caluino voce vniuerſali lib. 6. Inſt. c. 1. §. 7. *In eam Eccleſiam, quæ reuera eſt coram Deo, NVLLI recipiuntur, niſi qui & adoptionis gratia filij Dei ſunt, & Spiritus ſanctificatione vera Chriſti membra. Ac tunc quidem non tantum ſanctos, qui in terra habitãt, comprehendit, ſed electos OMNES qui ab origine mundi fuerunt.*

Mat. 3. 12. Pugnat iſthæc prodigalitas cum Scripturâ, quæ Eccleſiam comparat, vel *Areæ*, in qua ſunt triticum congregandum in horreum, & paleæ *Matth. 13. 47.* igni inextinguibili comburendæ, vel *ſagenæ* miſſæ in mare, & ex omni genere piſcium congreganti, ex quibus boni quidem piſces in vaſa, mali autem foras mittentur: vel *nuptiis* ad quas ve- *Mat. 22. 2.*

niunt

niunt boni & mali, caritatis veſte carentes, & in tenebras exteriores mittendi. Imo cum Caluino pugnat, qui ſui immemor, probat Auguſtini ſententiam Tract. 45. in Ioann. *Secundum præſcientiam Dei, & prædeſtinationem, quam multæ oues foris, quam multi lupi intus, & quam multæ oues intus, & quam multi lupi foris. Quid eſt, quod dixi, quàm multæ oues foris? Quam multi modo luxuriantur, caſti futuri? quam multi blaſphemant Chriſtum, credituri in Chriſtum?* falſum igitur eſt non niſi vera Dei membra, & præter hæc, NVLLOS in Eccleſia eſſe.

XI. DE MAGISTRATV.

NVLLAM hominum dominationem, etiam temporalem eſſe inter fideles Caluini dogma eſt, verba iſta: *Promiſſam in Euangelio libertatem, NVLLVM inter homines Regem, NVLLVMQVE Magiſtratum agnoſcere, ſed in Chriſtum vnum intueri.* Euertit hæc prodigalitas præclaras illas Pauli præceptiones Roman. 13. 1. *OMNIS anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui reſiſtunt ipſi ſibi damnationem acquirunt. Principes non ſunt timori boni operis, ſed mali. Dei Miniſter tibi eſt in bonũ* Euertitur autem ab ipſo Caluino, agnoſcite ſpiritũ in hæreſiarcha vertiginis, qui eodem capite affirmat, nos teneri generali Dei præcepto, quod Magiſtratuum auctoritatem nobis commendat. Alibi autem docet in quarto Decalogi præcepto, Patrum nomine, ſuperiores alios intelligi: *Dedit enim illis,* inquit, *Deus præeminentiam. NVLLA enim eſt, neque Patrum, neque Principum: neque vllorum aliorum ſuperiorum auctoritas, niſi prout eam Deus conſtituit.*

Lib. 4. inſt. ca. 20. §. 1.

In cathec. Do. ni. 28.

XII. DE CERTITVDINE gratiæ.

DEcantatum eſt apud Proteſtantes: *Fidelium quemlibet poſſe ac debere credere abſque dubitatione ſe eſſe iuſtum, & in gratia perſeueraturum*, quod ſubſignauit voce vniuerſali Caluinus lib. 3. Inſt. cap. 2. §. 38. vbi NVLLVM *ait eſſe ambigendi locum de gratia Dei erga nos.* Quocirca §. 38. dicit, *eos ſpiritum Dei contumelioſe inceſſere, qui temerariæ præſumptionis eſſe cauſantur, indubitatam voluntatis diuinæ notitiam ſibi arrogare.* Et mox ſubdit. *Quod ſi à ſpiritu Dei profectam reuelationem, vel mendacij, vel incertitudinis, vel ambiguitatis inſimulare horrendum eſt ſacrilegium, in aſſerenda certitudine, quid delinquimus?* Refellit Prodigum Salomon Prou. 29. *Quis poteſt dicere, mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato?* Eccl. 9. 1. *Sunt iuſti atque ſapientes, & opera eorum in manu Dei: & tamen neſcit homo, vtrũ amore, an odio dignus ſit.* & Paulus Apoſtolus 1. Corint. 4. 3. *Neque meipſum iudico. Nihil enim mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum, qui autem iudicat me, Dominus eſt. Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat:* quàm bellè hæc conueniunt cum vniuerſali: *Nullus eſt ambigendi locus de gratia Dei erga nos.*

XIII. DE SANCTORVM INuocatione.

Lib. 3. Inſti. c. 20. §. 24. QVam vt aboleat Caluinus, ita diſputat: *Mortuos à noſtro contubernio, dum ſubduxit Dominus, NVLLVM nobis cum illis reliquit commercium, ac ne illis quidem nobiſcum, quantum aſſequi licet conjecturis. Quis eouſque longas illis eſſe aures reuelauit, quæ ad voces noſtras porrigantur? oculos etiam tam perſpi-*

perſpicaces, qui neceſſitatib. noſtris aduigilent? Scomma à Manichæis, Euſtathianis, Vigilantianiſque mutuatum, quod obteritur facillimè, omnibus iis ſacræ Scripturæ locis quibus Sanctorum cõmunio, & demortuorum pro viuis preces referuntur. Nonne Petrus Apoſtolus ſuis pollicetur: *Dabo operam & frequenter habere vos poſt obitum meum, vt horum memoriã faciatis.* Nonne dum ad impugnandum Nicanoris exercitum accingeret ſe Iudas Machabæus, apparuerunt Summus Pontifex Onias, ac Propheta Ieremias, orantes pro Iudaico populo, libris autem Machabæorum eam auctoritatem tribuit Caluinus, vt teſtimoniis inde mutuatis ſua ſtabilire conetur. Nonne Apocal. 6.9. clamant Martyres voce magnâ: *Vſquequo Dominus ſanctus & verus, non iudicas & non vindicas ſanguinem noſtrum de iis, qui habitant in terra?* Ergo figmentum eſt Prodigi Nullum mortalibus cum beato æuo fruentibus, aut hinc profectis eſſe commercium.

2. Pet. 1. 15. *2. Mac. 15. 12.* *Caluin. ep. 260. ad pios Dei cultores cuius initium, Etſi patrio*

XIV. DE VSVRA.

VSuram non damnandam OMNINO, qua fuit poteſtate, ſuis Caluinus edixit Epiſt. 354. *Si omnino vſuras damnamus, induimus ſtrictiorem laqueum conſcientiis, quam Dominus ipſe voluerit.* Mox vniuerſaliter adiungit: *NVLLO teſtimonio Scripturæ mihi conſtat, vſuras omnino damnatas eſſe.* Itane? ergo deleta ſunt in Bibliis Geneuenſibus illa Dauidis?

Pſal. 16.1.5. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? Qui pecuniam ſuam non dedit ad vſuram:* non leguntur illa Ezechielis 18.13. *Ad vſuram dantem & amplius accipientem, nunquid viuet? Non viuet.* Non reperiuntur illa Chriſti Luc. 6. 35. *Mutuum date nihil inde ſperantes.*

XV. DE EFFICACIA SACRAmentorum.

Lib. 4. Inſt. c. 14. §. 14. SAcramentis nouæ legis tantum tribuitur à Caluino, vt generaliter aſſerat: *Eccleſiæ Chriſtianæ Sacramentis* N V L L A M *inſitam à Deo eſſe virtutem iuſtificandi, & gratiam conferendi.* Et, *in Sacramentis pares* (de Iudæis loquitur) *nobis facit: nec* V L L A M *prærogatiuæ particulam nobis relinquit, quæ animos ad ſpem impunitatis facere queat. Nec verò Baptiſmo noſtro plus tribuere fas eſt, quàm ipſe alibi circumciſioni tribuit, quum vocat ſigillum iuſtitiæ fidei:* Q V I C Q V I D *ergo nobis hodie in ſacramentis exhibetur, id in ſuis olim recipiebant Iudæi, Chriſtum ſcilicet cum ſpiritualibus ſuis diuitiis.* Hoc modo vniuerſalis vnius harpagatione, raptor impius, ſacramenta Euangelica gratiam conferendi virtute, & charactere ſpoliare nititur. At Caluino Paulum opponimus, maiori dignum fide Doctore.

Ad Tit. 3. 5 Is Chriſtum *ſanctificaſſe*, ait, *Eccleſiam mundantem eam lauacro aquæ in verbo vitæ.* Epheſ. 5. 26. &, *lauacrum regenerationis ac renouationis in nos abundè effudiſſe, Baptiſmum* videlicet, quem eundem Chriſtus teſtatur generale noſtræ natiuitatis ſpiritua-
Ioan. 3. 5. lis, ac iuſtificationis inſtrumentum. *Amen, amen dico tibi* (loquitur Nicodemo) *niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in re-*
2. Cor. 1. 22 *gnum Dei.* Characteris quoque ſat idoneus aſ-
Epheſ. 1. 13 ſertor eſt Paulus, dum nos à Deo *ſignatos* aſſerit: nota videlicet animæ impreſſa, cuius adſtipulatorem habemus Auguſtinum Tract. 8. in Ioann. & epiſt. 204. ad Donatum, ac libro 6. de Baptiſm. cap. 1. Vbi aſſerit veritatem Characteris in Concilio generali fuiſſe comprobatam.

tam. Quis credat ergo Caluino vniuerſaliter mentienti, ſacramentis NVLLAM inſitam à Deo eſſe virtutem iuſtificandi, & gratiam conferendi?

DISSERTATIO VII.

NIHIL.

I. DE SANCTORVM RELIQVIIS.

LVtherus. *Reliquiæ Nihil aliud ſunt, quàm fraudes & ſeductiones fidelium: quare omnino infra terram defodiantur.* Conſtat ſibi Lutherus? nunquam minus quam quando in vniuerſalib. fuit prodigus: audite eundem: *Quis repugnare poteſt, quod in hodiernum vſque diem viſibiliter ad ſanctorũ corpora, & monumenta Deus ſanctorum ſuorum gratia miracula operatur.*

In Poſtilla in die Exal S. Crucis.

In declaratione quorundã art.

II. DE PRÆCEPTIS DECAlogi.

LVtherus in epiſt. ad Galat. cap. 4. *Decalogus in conſcientiis, quas Chriſtus per ſuam gratiam gubernat,* NIHIL *iuris obtinet, quo eas accuſare aut terrere poßit: quoniam Chriſtus huius legis aduerſum nos* IVS *abrogauit, cuius gratia maledictum factus eſt. Vide, vt ſis prudens, & Moſen cum ſua lege, quàm longißimè amoliri, & in malam rem abire iubeas, neq; quicquam illius terrore ac minis mouearis, ſed ſuſpectũ eum habeto vt peßimum Hæreticum, anathematiZatum, & condemnatum hominem, multoq; deteriorem Papa ipſoq; diabolo.*

Idem cap. 20. Exod. *Conſtat Decalogum ſolis Iudæis traditum, non nobis, dicant quicquid velint* OMNES *ſectarij ſpiritus, cum veritate* NIHIL *aliud docebunt.*

fol. 39. Repudiato Moſe, ſimul repudiatus eſt Chriſtus

Cor-

Corrigit ſuam profuſionem in viſitatione Saxonica, vbi ſic: *Chriſtiana vita eſt bona opera facere, ideo decem præcepta D E I diligenter prædicari debent. In eis enim bona opera OMNIA continentur.* Et Tom. 2. Germ. Ien. lib. de abuſu Miſſæ.

In contrariũ prodigus fuit Carolſtadius, cuius erat enunciatum *O M N I S lex ab Ethnicis lata damnanda eſt: in foro ex lege Moſis ius dicendum*, ita illum ſenſiſſe auctor eſt Philip. epiſt. ad Mycon.

III. DE ADORATIONE.

Luth. epiſt. ad amic de adorat. Tom 2 Ien. Germ.

EXterior adoratio, quæ fit ore & genuflexione, NIHIL eſt. Fides eſt vera adoratio, cũ credo ibi eſſe Chriſti carnem, & ſanguinem pro me traditum & fuſum. Hoc ſufficit, reliqua omnia ſunt indifferentia. Bene habet, ergo non ſunt NIHIL. ita que exterior adoratio eſt aliquid.

Non ſemper tamẽ, vt ingenuè fatear, hyperbolicè vſurpat vniuerſale NIHIL Lutherus: aliquando veriſsime, & velut ex oraculo, vt in illis quæ ſcribit ad Philip. 3. ſui, in Pathmo exilij mẽſe. *Diſplicuerũt mihi literæ tuæ, q̃ me extollis nimis, & erras vehementer, dum tanta mihi tribuis, quaſi pro cauſa Dei adeò ſim ſollicitus: quum ego inſẽſatus & induratus ſedeam in otio, ſomnolentia, ac neſcio, an quia vos non oratis pro me, Deus à me auerſus ſit: octo iam dies ſunt, quod NIHIL ſcribo neq; oro, neq; ſtudeo, partim tentationibus carnis, partim alia moleſtia vexatus.*

Nec minus vere de Lutheranis vniuerſe Andreas Muſculus, qualis quantuſque? in libro de nouiſsimo die fol. 44. 6. *Cogor dicere, quia verũ eſt, contumaciores homines, in quorum animis OMNES, OMNIS virtutis & honeſtatis, ſcintillæ ſunt extinctæ, & apud quos NIHIL iam pro peccato habetur. N V S Q V AM nec apud Ethnicos, Iudæos, Turcas inueniri, quam inter Euangelicos, apud quos O M N I N O*

vincu-

vinculis ſolutus, ac liber viget Diabolus. Vtq; paucis rem omnem eloquar: illud nunc eſt, eoq; noſtra (Lutheranorum) res rediјt, vt ſi quis videre cupiat, magnam turbã nebulonum, atheorum, circumſcriptorum, vſurariorũ, deceptorum, ei adeunda ſit ciuitas aliqua, in qua Euangelium Lutheranum, Caluiniſticum prædicatur: ibi cateruatim id genus hominũ inuenerit. Credatur, nam rectè Tertullianus: *NEMO in dedecus ſuum mentitur, ſed potius in honorem.*

Luth. Tom. 4. Germ. VVitt. Comm. Ioann. 15. fol. 206. *Vbi ſola fides docetur, fiunt falſi Chriſtiani, qui de fide quidem gloriantur, & baptizati ſunt, inq; Chriſtianorum numero cenſentur. NVLLVM tamen, neq; ſuccum habent, neq; fructum edunt:* id eſt, vt interpretor ego, *NIHIL* habent hominis Chriſtiani, aut viri boni.

Ad Prodigalitatem iterum venio, Lutherus libro de arbitrio diſertè aſſerit: *Difficultatis NIHIL eſſe in ſacris literis, Nullumq; ſibi adferri poſſe locum, quem ipſe non facile interpretetur.* At nõne Pe- 2. Petr. 3.
trus Apoſtolus, ſcribit apertè, in epiſtolis Pauli 15. 16.
eſſe quædam *difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles deprauant, ſicut & cæteras ſcripturas ad ſuam i-* Lib. de doct.
pſorum perditionem. Nonne Auguſtinus docet, & Chriſt. c. 6.
verè, *in Scriptura eſſe multas & multiplices obſcuri-* Lib. 12. Con
tates & ambiguitates? ac, *miram eſſe profunditatem* feſſ. c. 14.
eloquiorum Dei? tum, *in ipſis ſanctis Scripturis, ſe mul-* Epiſt. 119.
to plura neſcire, quàm ſcire? Ergo falſum, & pluſ- cap. 21.
quam hyperbolicum mendacium eſt, *NIHIL eſſe in ſacris litteris difficultatis, NVLLVM locum nõ facilem interpretatu.* Sed ex ore ſuo iudicetur impius. Lutherus præfat. in Pſal. *Nolim ab vllo id de me præſumi, quod NVLLVS adhuc præſtare potuit doctiſſimorum, & ſanctiſſimorum, id eſt Pſalterium in omnibus ſuo legitimo ſenſu intelligere & docere ſat eſt aliquos, & eoſdem ex parte intellexiſſe. Multa ſibi re-*

ſeruauit ſpiritus, quo nos ſemper diſcipulos habeat: multa ſolum oſtendit, vt alliciat, multa tradit, vt afficiat.

Iterum: *Scio eſſe impudentiſſimæ temeritatis, eum, qui audeat profiteri vnum Scripturæ librum à ſe in omnibus partibus intellectum.* Impudentiſsimè ergo temerarius fuit Lutherus, dum per NIHIL, & NVLLVM ſacræ Scripturæ ſummam claritatem adfert, facilitatemq́ eſt mentitus.

Non cedit in ſacrilega Prodigalitate Luthero Caluinus, qui agens de Chriſto in cruce paſſo, ad quod horrent Chriſtianorum aures, deſperationem adfingit Domino & eius neceſsitatem per vniuerſalem vocem firmare conatur. *NIHIL*, inquit, *actum erat, ſi corporea tantum morte defunctus fuiſſet Chriſtus: ſed operæ ſimul pretium erat, vt diuinæ vltionis ſeueritatem ſentiret: quo & iræ ipſius intercederet, & ſatisfaceret iuſto iudicio: vnde etiam eum oport it, cum inferorum copiis, æternaque mortis horrore, quaſi conſertis manibus luctari.* Et poſt nonnulla: *Eam mortem pertulit, quæ ſceleratis ab irato Deo infligitur.* Quare? *Quia NIHIL actum erat, niſi hanc mortem perferret.* Si hæc admittenda, vbi erit plenitudo gratiæ & virtutum Chriſti Domini, vt vnigeniti à Patre? vbi gloria & beatitudo, à primo conceptûs momento illi propria? Conſiſtit ne gratiæ plenitudo, cum diris damnatorum, ac perditorum cruciatibus? beatitudo cum damnatione? vita cum morte? & morte ſceleratis inferri ſolita?

Lib. 2. inſt. c. 16. §. 10

Ad eundem catalogum refero Propoſitionem aliam, æquè vniuerſalem, *Chriſtum NIH[illegible] ſibi promeritum,* Caluin. lib. 2. Inſtitut. cap. 17. §. *Quærere, an ſibi ipſe meruerit* (quod faciunt Lombardus & ſcholaſtici) *non minus ſtulta eſt curioſitas,*

ta, quàm temeraria definitio, vbi hoc idem aſſerunt. Quid enim opus fuit deſcendere? vnicum Dei Filium, vt ſibi adquireret QVICQVAM noui? & conſilium ſuum exponens Deus, omnem dubitationem eximit. Non enim Filij vtilitati conſuluiſſe dicitur Pater in eius meritis, &c, ſeſibi NIHIL adquirere teſtatur, qui fructus ſanctitatis ſuæ in alios transfert. Nimirum in mentem non veniebat Caluino Chriſti oratio Ioannis decimoſeptimo, verſu 4. 7. *EGO TE, (ô Pater) clarificaui ſuper terram: opus conſummaui: quod dediſti mihi, vt faciam: & nunc clarifica me, Tu Pater, apud temetipſum, claritate, quam habui prius, quam mundus eſſet apud te.* non recordatur ſententiæ eiuſdem adhortatoriæ Apocalypſeos 3. 21. *Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in throno meo: ſicut & ego vici, & ſedi cum Patre meo in throno eius.* Non intelligebat grauiſſimam Pauli denunciationem. *Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem Crucis, propter quod & DEVS exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſupra omne nomen, vt in nomine IESV omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus IESVS CHRISTVS in gloria eſt Dei Patris.* Sunt, opinor, hæc ſatis clarè illi oppoſita, *SE SIBI NIHIL adquirere teſtatur.*

Pergo. Dum de Limbo Patrum, qui & ſinus Abrahæ dicitur, diſputat idem, quem nominabam, ſuum NIHIL iterum prodigè ir- gerit, attendite, quam ſacrilegè: *Neſcio, qui factum ſit* (inquit lib. 2. Inſtit. cap. 16. §. 9.) *vt poſteritas locum putaret eſſe ſubterraneum, cui adfinxit nomen limbi. Sed hæc fabula taetſi magnos auctores habet, & hodie quoq; à multis seriò pro veritate defenditur. Nihil*

tamen quam fabula eſt. Nam concludere in carcere mortuorum animas puerile eſt, Chriſti autem animam illuc deſcendere, vt eas manu mitteret, quid opus fuit? Certè aliquid amplius quàm fabulam eſſe exiſtimauit Limbum, Iacobus Patriarcha, dum optaret, *deſcendere ad filium in infernum.* Infernum dicit, an intellexit damnatorum? Ergo cum damnatis hærebant Deo cari, ad quod infernum dicit Patriarcha, nos Limbum vocamus, nam de nomine non laboratur. Imò prodigalitatem ſuam damnat in ſequentibus ipſe Caluinus: *Libenter equidem fateor,* ait, *Chriſtum ipſis illuxiſſe virtute ſui ſpiritus, vt gratiam, quam ſpe guſtauerat duntaxat, mundo fuiſſe tunc exhibitam agnoſcerent. Et probabili ratione huc aptari poteſt Petri locus, vbi dicitur, Chriſtum veniſſe ac prædicaſſe ſpiritibus, qui in ſpecula* (editio Gallica præfert, turrim ſpeculatoriam) *erant: carcerem* alij vertunt, nam & contextus nos eò ducit. Fideles qui ante id tempus defuncti fuerant, conſortes fuiſſe eiuſdem nobiſcum gratiæ. Specula enim illa, qualis qualis, quũ locus damnatorum non fuerit, inter quos, & Patres, magnum erat chaos, neque cœlum, in quo beati, alius fuit locus animabus Deo gratis deſtinatus, quem nos Limbum dicimus.

Gen. 37. 35.

Lib. 3 Inſti. c. 2 § 43. ed. Gall.

Vt confundat fidem cum ſpe confuſionis amator eximius, vniuerſalem enunciationem fabricat: *Spem NIHIL aliud eſſe, niſi firmitatem ac perſeuerantiam Fidei.* à quo Lutherus non diſſentit ſer. 2. Quadrageſ. ſed facilè à Caluinus à Caluino refellitur, qui clarè libr. 3. cap. 3. §. 5. *Fides,* inquit, *ac ſpes varia ſunt, & dicimus perpetuum eſſe fidelibus certamen, cum ſua ipſorum diffidentia,* lib. 3. cap. 2. §. 17. Quid iam attinet Paulum adducere ſcribentem ad Epheſ. 3. 12. *In quo habemus fiduciã & acceſſum in confidentia per fidem eius:* quod tam clarum

claꝛum eſt & dilucidum, vt hanc confeſsionem à Caluino extorſerit, vel inuito, Apoſtolus ex fide deducit fiduciam, & ex hac rurſum audaciam. Fictum igitur, *NIHIL aliud eſſe ſpem niſi firmitatem, ac perſeuerantiam Fidei.* Quod exemplo cõfirmat vniuerſalis illius architectus. Nam poſtquam dixit, *NVLLVM illuſtrius, vel magis memorabile exemplũ, fidei proponi à Scriptura, quam in Dauide, præſertim ſi continuum vitæ curſum ſpectemus*, diffidentiæ illi ſtatim ac deſperationis notam inurit. *Certè*, ait, *conſternatio illa apertum diffidentiæ ſignum fuit, ac ſi deſtitui ſe à Deo putaret.* Idem igitur fuit fidelis & diffidens, diſcreta ergo ſunt Fides, Spes, ſeu Fiducia, ſed hæc alibi integris diſputationibus confutantur.

De legis efficacitate idem pronunciat: *Lex* *Caluin in*
NIHIL aliud quam damnare poteſt, dicti rationẽ *Luc.10.26.*
reddit, *quia IMPOSSIBILE nobis eſt præſtare, quod iubet.* Vtrunque eſt prodigum & blaſphemum, & ſatis Chriſti Saluatoris contrariis pronunciatis refellitur. *Non veni ſoluere legem, ſed implere.* *Mat.11.30*
Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue.

DISSERTATIO VIII.

SEMPER.

1. INter Caluini errores grauiſsimos meritò numeratur ille de Fide: *Fidem SEMPER eſſe incredulitate permixtam.* Hæreſiarchæ verba ſunt lib.3.Inſt.c.2.§.4.17. In *CVNCTIS SEMPER mixta eſt fidei incredulitas.* Corroborat ſuum hũc ſenſum exemplo Dauidis: *Nullum illuſtrius, vel magis memorabile exemplum Fidei proponit Scriptura, quam in Dauide, præſertim ſi continuum vitæ curſum ſpectes. Ille tamen, quam non SEMPER pacato animo fuerit innumeris querimoniis declarat, ex quibus*

paucas eligere ſufficiet: Dum animæ ſuæ turbulentos motus exprobat, quid aliud, quam ſuæ incredulitati ſuccenſet?

De ſacrilega Prodigalitate non conuincam
Heb. 11.1. hominem verbis Apoſtoli, cui *fides, eſt ſperandarum ὑπόστασις, ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium.* qua definitione, vera fides ab incredulitate eximitur, ſed eiuſdem Prodigi teſtimonio, qui paulò poſt ſui oblitus, diſertè aſſerit: *Non intus in cordibus piorum regnat incredulitas, ſed foris oppugnat.* Et inferius eodem loco: *A terrore incredulitatis longè differre fidelium timorem.* Ergo non in cunctis SEMPER mixta eſt fidei incredulitas.

§.21.

Eadem vniuerſalitate enunciat, fidem erroribus eſſe inuolutam, lib.3. Inſt.c.2 §.31. *Errores ſæpe fidei ſunt permixti.* §.4. *Nos verò fidem quamdiu in mundo peregrinamur, implicitam eſſe concedimus: non ſolum, quia nos multa adhuc latent, ſed quia multis errorum nebulis circumdati non omnia aſſequimur* Sacrilegium occuli in hac prodigalitate ex ipſo Caluino habemus, qui eodem cap.§.39. ſubiungit: *Ab ipſo* (Dei ſpiritu) *profectam reuelationem, vel mendacij, vel incertitudinis, vel ambiguitatis inſimulare, horrendum eſt SACRILEGIVM.* quomodo ergo fides Chriſtiana ſæpe, & quamdiu in mundo peregrinamur, erroribus eſt permixta?

Caluinus lib.2. Inſt. cap.3. poſtquam incredibili arrogantia communi ſanctorum Patrum, ac veterum omnium Eccleſiæ Doctorum ſententiæ, quod ipſa fatetur, contrarium aſſertum poſuit de concupiſcentia, quam per ſe, id eſt, primum illius motum, qui conſenſum humanum anteuertit, peccatum eſſe cõtendit, infert: *Docemus itaque, in ſanctis donec mortali corpore exuantur, SEMPER eſſe peccatum, quia in illorum carne reſidet*

reſidet illa concupiſcendi prauitas, quæ cum rectitudine pugnat. Hic fatetur Caluinus ſe à tota antiquitate prodigum haberi in vſurpatione vniuerſalis SEMPER, ſed inſuper habet veterum iudicium, dummodo ſibi de nouitate applaudatur ab aſſentatoribus, qui non applauderent Caluino, ſi legerent Auguſtinum, qui, *vſque adeo* (inquit) *peccatum voluntarium eſt malum, vt nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium.* Et alibi: *Si illa concupiſcentialis obedientia, quæ adhuc in membris moribundis habitat, præter noſtræ voluntatis legem, quaſi lege ſua mouetur, quanto magis abſque culpa eſt in corpore non conſentientis, ſi abſque culpa eſt in corpore dormientis?* *Lib. de ver. relig. c. 14.* *Lib. 1. de Ciu. Dei c. 25.*

DISSERTATIO IX.

TOTVM.

LVtherus To. 1. Ger. Ien. contra Reſponſum Capri Lipſ. fol. 365. §. 4. & To. 7. Ger. VVitt. fol. 147. *Quod verum Dei verbum doceam, eius rei efficacius aliud argumentum, aut miraculum non habeo, quam quod tam cito in TOTVM Orbem peruaſit, tantaſque diſcordias & tumultus commouet. Hoc enim niſi faceret, iam diu deſperaſſem, & defeciſſem.* Totum Orbem appellat Europæ non maximũ angulum, quando enim, quæſo, viuo Luthero in Aſiam, Africam, Americam Lutheri Euangelium penetrauit?

Eraſmus epiſt. ad fratres inferioris Germaniæ: *Nonne Lutherus TOTAM Philoſophiam Ariſtotelicam, appellat Diabolicam?* Candide tamen & illud adiungo, ne laus ſua denegetur, aduerſariis, non rarò hanc ipſam vocem, abſque vlla Hyperbole, ab iis ipſis quum de rebus ſuis agunt, ſumi, aliquot ſententiis contentus ero. Lutherus Tom. 7. German. Ien. fol. 1626. §. 3. *Tam*

diabolica malitia, & odium, in nullis vel Ethnicorum hiſtoriis inuenitur quāta apud eos exoritur, quib. Chriſti verbum prædicatur. Neque verò non ipſi etiam nobiles, ciues, & agricolæ noſtri, tanta malitia adfecti ſunt, qui quum prius(in Papatu) *hominum multo modeſtiorum ſpeciem geſſiſſent, iam furore & veſania præcipites rapiuntur, non aliter quam ſi* T O T I *diabolis pleni forent.* Hæc Lutherus de ſuis. de iiſdem]

Andreas Muſculus. ille Brandeburgenſium Apoſtolus, cuius liber de nouiſsima die, editus Erfurtiæ fol. 78. hæc habet: *Quodſi, quemadmodum cogimur fateri veritatem velimus, tum hoc de nobis Euangelicis teſtari cogimur, magis, quàm nos guloſos, ſcortationibus, vſuris, circumuentionibus, fraudibusque deditos in* T O T O *iam mundo* N V S Q V A M *inueniri.*

Et fol. 81. *Res ipſa loquitur, & nobis licet inuitis confeſſionem veritas extorquet, quod iam peiores, irreligioſiores, ingratiores, infideliores, petulantiores homines, maioraq; ſcelera & peccata in* V N I V E R S O *Orbe, ne inter Turcas quidem, aut Iudæos, aut paganos inueniantur, quàm in iis locis vbi verbum Dei*(à Lutheranis & Caluiniſtis)*quam diligentiſſimè prædicatur.*

Iterum Lutherus in Colloquiis Islebienſibus de lege & Euangelio fol. 165. *Ea nunc ſunt tempora, eiq; hominum mores, vt neq; fulmine legis Moſaicæ terreri, humiliari aut frangi queant, propter magnā illam ſecuritatem, in qua* T O T V S *mundus eſt demerſus*(nempe perſuadetur hominibus, ſolam fidem ſufficere: & ex Luthero didicerunt, To. 1. Germ. VVitt. in Arg. epiſt. ad Gal. fol. 2.)*ſumma ars & ſapientia Chriſtiana eſt, neſcire legem, ignorare opera. Et* T O T A M *iuſtitiam actiuam.*

* * *

DISSERTATIO X.

NVNQVAM.

LVtherus eo in loco, vbi docet, diabolum *Luther. To.*
poſſe euangelizare, fungi officio Miniſtri & *2. Lat. VVit*
Paſtoris, porrigere Sacramentum, & ſimilia *teb. de Miſſ.*
facere, quia nimis adſtrictus ſibi viſus fuerat in *priua &*
vſurpatione vocis vniuerſalis *NVMQVAM*, *Vnct. Sacer.*
per correctionem ſui. *Neque*, inquit, *adſirmare
auſim, Diabolum Nunquam fuiſſe paſtorem, aut Concionatorem*, nimirum recordabatur, quo ipſe Paſtore & Catechiſta profecerat.

Caluinus & eius Aſſeclæ rigidiores, aſſerunt vniuerſe, *Fidem ſemel acceptam NVNQVAM poſſe amitti.* In Hermonia in Matth. 13. 20. *Cordibus fidelium ſemel infixa Dei veritas, NVNQVAM effluit, ſed vſque in finem viget.* Mox, *Porro vt NVNQVAM extinguitur ſpiritus ille, ita & fidem, quam ſemel inſculpſit piorum cordibus euaneſcere & perire IMPOSSIBILE eſt.* Similia ſunt lib. 3. Inſt. c. 2. §. 9. 11. 12.

Beza in confeſsione puncto 4. art. 20. *Neceſſe eſt profectò, vt fateamur, donum veræ illius fidei, qua iuſtificamur NVNQVAM à perſeuerantiæ dono diuelli poſſe.* Prodigè hæc dici, & cum ſacrilegio, conſtat ex Chriſti Domini teſtimonio, aſſerentis è diuini verbi Auditoribus quoſdam eſſe,
qui quum audierint, *cum gaudio ſuſcipiunt verbū,* Luc. 8. 13.
&c, *ii*, inquit, *radices non habent, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt*, patet ex
Pauli prædictione: *In nouiſſimis temporibus diſce-* 1. Tim. 4. 1
*dent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris, &
doctrinis Dæmoniorum.* Et poſtea: *Radix omnium* 1. Tim. 6.
malorum eſt cupiditas, quam quidam appetentes erra- 10.
uerunt à fide. De quibus agens Petrus, deterio- 2. Pet. 2. 2.

rem dicit eſſe illorum conditionem, quam Ethnicorum: *Melius erat illis non cognoſcere viam iuſtitiæ, quàm poſt cognitionem retrorſum conuerti ab eo, quod illis traditum eſt ſancto mandato.* Liquet ex ipſo Caluino, è quo veritas tandem expreſsit, quæ habentur epiſt. 68. *Aſſiduè in mentem veniat illud Pauli: Quoſdam à fide excidiſſe, quod alienati fuiſſent à bona conſcientia, ne ipſi quoque tam horrendi naufragij ſimus exempla aliis.* Et lib. 3. Inſt. c. 2. §. 24. *Neq; tamen inficior, quod nuper dixi, quaſdam interdum interruptiones Fidei contingere, prout eius imbecillitas inter violentos impetus huc vel illuc flectitur. Ita in denſa caligine tentationum offuſcatur eius lumen.* Ergo falſum eſt cordibus fidelium ſemel infixam Dei veritatem *NVNQVAM* effluere, Fidem *NVNQVAM* amitti.

Apud Tho. Valden. li. 2. doct. fide. art. 1. c. 7.

Paſsim ſpargitur à Proteſtantibus, & credi volunt, S. Petrum Apoſtolũ *NVNQVAM* Romæ fuiſſe, cuius enumerati primus auctor nominatur Guglielmus, Ioannis VViclefi præceptor. Hunc deinde ſequutus eſt Vdalricus Velenus Lutheranus, qui librum integrum ſcripſit, in quo 18. perſuaſionibus, ſic vocat, demonſtrare ſe gloriatur, *PETRVM Nunquam* fuiſſe Romæ, & tam Petrum, quam Paulum, non Romæ, ſed Hieroſolymæ fuiſſe occiſos. Illyricus quoq; in lib. cont. Primatum Papæ: *Demonſtratio*, inquit, *certa eſt, Petrum Romæ non fuiſſe.* Caluinus in 1. Petr. 5. 13. *Hoc commentum Papiſtæ libenter arripiunt, vt videatur Petrus Romanæ Eccleſiæ præfuiſſe.* Et paulò poſt: *Vetus illud commentum NIHIL habet coloris.* Paucis autem interpoſitis, errorem vocat, Petrum Romæ fuiſſe. Et 2. Pet. 1. 14. *Certè, niſi momento terram, & maria traiecit, vel potius volauit, haud dubiè longè ab Italia mortem oppetiit.* Obruitur hæc prodigalitas omni teſtimoniorũ genere, quibus conuictus tandẽ Caluinus ſtilũ in-

uertere potuit, & reſcribere: *Propter hunc ſcriptorum conſenſum, non pugno, quin illic mortuus fuerit.* Scriptores nominat longo ordine Bellar. l. 2. de Ro. Pon. c. 2. & 3. nec iuuat actũ agere, ſat ſit, falſiſsimum eſſe, quod inter Caluinianos eſt tritũ, S. Petrum Romæ nunquam fuiſſe.

DISSERTATIO XI.

VBIQVE.

IN nulla fortaſſe voce vniuerſali, ſunt magis ſacrilegè prodigi, Sectarij huius temporis, quã in illa loci, Vbique, vnde quibuſdam nomen Vbiquitarius, & Vbiquitas. Luthe. ſer. de ſacram. Cœnæ Dom. *Credimus, quod Ieſus Chriſtus iuxta humanitatem ſuper omnes creaturas collocatus, & omnia impleat, & habeat omnia in ſua manu, & ſit Vbiuis præſens.* Libro, quod verba Chriſti, *Hoc eſt corpus meum*, adhuc firma conſtent, fuſe docet, dexteram Dei Vbique eſſe, deinde aſſumit, *Corpus Chriſti eſſe in dextera Dei*, &, vt ipſe ait, *non in minimo digito aut vngue dexteræ*, ſed in tota, tandemq́; ex eo cõcludit, Corpus Chriſti neceſſario eſſe *Vbique.* *Vide Bellar. li. 3 de inca. cap. 1. To. 2. fo. 112 Legen. Scholaſtici in 3. d. 21. Claud. San. Repetitio 4 de Euchar. & Re. Valentia con. Vbiquit.*

Libro, cuius titulus, *Confeſsio Martini Lutheri, de Cœna Domini*, dicit, ſe probare euidẽter, Chriſti corpus eſſe realiter præſens in cœna, quia eſt *Vbique.* Eſſe autẽ *Vbique* probat, quia eſt in dextera Dei, quæ eſt *Vbique.* Addit: *Neceſſe habes Chriſti carnem, quæ eſt cum Deo vna perſona, longiſsimè extra creaturas collocare, adeoq́; tam longè, quam Deus ipſe extra creaturas eſt.*

Ioan. Brentius, *Vbiquitiſtarum* idolum Apologia pro Confeſsio ne VVirtenbergenſi, Tracta. de Cœn. Do. ex profeſſo probare conatur, Chriſti carnẽ eſſe vbiq; propter vnione Hypoſtaticã.

Lib. de duab. naturis Chriſti, & aſſenſione ac ſeſsione à dexteris idem aſſerit, adiungitq́; Chriſti corpus etiã ante paſsionẽ fuiſſe in cœlo inuiſibiliter, & nũc quoq; nõ eſſe in aliquo loco certo cœli, ſed VBIQVE.

Lib. de maieſtate Chriſti hominis, hoc adſignat diſcrimen, inter vnionem Dei, cum Chriſto, & cum Petro, quod Petrum non habet Deus ſibi vbique vnitum, & ideo ab eo diſtinguatur perſonaliter. Adnectit etiam iſta: *Cum omnipotentiam ſuam Filius Dei in Incarnatione contulerit in filium hominis, adeo vt eam communem habeat cum Filio hominis, OMNIPRAESENTIA verò ab omnipotentia pendeat, negari non poteſt, quin etiam contulerit OMNIPRAESENTIAM.* Declarant autem, quid ſit, *Verbum caro factum eſt. Hoc*, inquit, *tale eſt, quod Filius Dei, ſic impleat Filium Mariæ, vt communicet eum eo omnem ſuam potentiam, ſapientiam, & fœlicitatem & PRAESENTIAM.* Niſi enim hæc ſit ſententia, nō habebitur inter Chriſtum & alios homines, diſcrimen. Matthias Illyricus lib. de aſcenſione Domini, & loco Petri Actuum 3. *Quem oportet cœlum ſuſcipere.* contendit Chriſtum hominem non eſſe in cœlo, vt in loco, ſed potius cœlum eſſe in Chriſto, cum ipſe ſit vbique. Ibidem docet, Chriſtum in die aſcenſionis aſcendiſſe vſque ad nubes, deinde non vlterius porrexiſſe in illa corporis forma viſibili & circumſcripta, ſed quodammodo euanuiſſe, ita etiam nuſquam ſit in illa forma attrectabili, ſed vbique in inuiſibili Maieſtate.

Concordia Euangelica Anni M. D. Lxxx. in Epitome Articulorum controuerſorum artic. 7. §. 5. adfirmat, dexteram Dei eſſe *VBIQVE*, ad eam autem eſſe euectam Chriſti humanitatem. Artic. 7. §. 11. Ab ipſa conceptione Chriſti illum hominem aſſumptum fuiſſe in Deum, & exaltatum ad dexteram Dei, ita vt non ſolum Chriſtus, vt Deus, ſed etiam vt homo omnia poſsit, omnia ſciat, omnibus creaturis ſit præſens. pag. 781. ſic ſancit: *Reuera omnia implet, & vbi-*

*& vbique non tantum vt Deus, verumetiam vt homo
præſens dominatur à mari vſque ad mare.* Ex hac pro
digalitate quum ſequi videretur, & obiicerent
Luthero aduerſarii, Corpus & Sanguinē Chri-
ſti eſſe ſub pane & vino, ante cōſecrationis ver-
ba prolata, reſpondet ipſe Homil. de Euchariſt, *Ioann. 7.*
verba conſecrationis non eſſe nobis data, vt ibis Chriſtū *Lat. VVit.*
à cœlo detrahamus (nec hoc dicunt Catholici) *quā-
uis iis Chriſtus præſens fiat: ſed noſtræ fidei & ſecurita-
tis confirmandæ gratia nobis data ſunt, vt ſciamus il-
lum certò inuenire: nam quanquam NVSQVAM
non ſit Chriſtus, in omnibus etiam creaturis: & ego il-
lum in ſilice, in igne, in aquis, addo etiam in laqueo in-
uenire poſſim, ſicut certo etiam ineſt laqueo, citra ta-
men verbum illic quærendus non eſt. Eſt quidem paſſim
OMNIBVS locis, neque tamen vult, vt paſſim illum
captes, aut quæras, ſed vbi verbum eſſe audieris, ibi capta
te, & illum rectè, & certò capies.*

Idem in defenſione verborum Cœnæ: *Ca-
ptioſe mihi obijcient: Si Chriſti corpus VBIQVE lo-
corum eſt, ſane deuorabo & epotabo id in ſingulis ceno-
poliis & potinis, vitris & cantharis, nec differentia erit
vlla inter meam menſam & Domini cœnam. Nec fue-
rit eius deuorandi modus aut finis vllus. Nam nos Ger-
mani plerique adeo porcorum lutulentiſſimorum na-
turam induimus, vt quum honeſtati cum pietatis ſenſu
amiſſo, de Deo audiamus, tātidem æſtimemus, ac ſi præ-
ſtigiatorum ſomnia & nugæ recitentur. Auſculta ergo
tu porce, canis, ſacramentarie, aut quis es, aſine, brute;
eſto Chriſti corpus ſit VBIQVE locorum, attamen
non propediem illud concludes, quod VBIQVE &
ſingulis rebus CHRISTVM deuores; & bibas, aut
tangas.*

*Licet Chriſtus ſit VBIQVE, tamen non patitur
ſe palpari, aut comprehendi. Quamuis ſit vbique, haud-
quaquam poteris eum, vt olus deuorare; aut iuſculum
abſorbe-*

abſorbere in menſa tua, niſi Dei voluntas ſic ferat, Chriſtus iam inſenſibilis factus eſt, nec poteris eum contactu complecti, licet in tuo pane exiſtat, niſi tua cauſa ſeſe ad certam menſam annectat.

Li. de duab. natu. Lib de cōm. idioma. In Theſib. The. 20. & 21.

Non diſplicuit hæc ſententia Kemnitio, quic quid ſimulet. Non Ioanni VVigando, non Nicolao Selneccero lib. de pædagogia ſpirit. Non Andreæ Schmidelino Superintendenti VVirtenbergenſi.

Huius Prodigalitatis appendices ſunt, Humanitas Chriſti in primo conceptionis momẽto fuit in cœlo & in terra, extra & ſupra omnem localitatem & locum.

Corpus Chriſti eſt in omnibus piris, pomis, cantharis cereuiſiariis, doliis, ferculis non minus, quam in cœna Dominica.

Chriſtus pendens in cruce corpore ſuo ſimul fuit Romæ, in India, & *Vbique*.

Chriſtus iacens in ſepulchro corpore mortuus, fuit eodem corpore ſimul viuus extra ſepulchrum in Batauis & VBIQVE.

Cœlum quod Chriſtus aſcendit, eſt VBIQ.

Chriſtus in primo Incarnationis momento aſcendit in cœlum, & ſedit ad dexteram Dei inuiſibiliter, fuitq́ VBIQVE.

Chriſtus ſuo corpore nunc eſt in terra, & VBIQVE inuiſibiliter.

Hæc vt abſurditatis, falſitatis, hæterodoxiæ condemnentur, noſtro ſuffragio non indigent, id enim ab ipſiſmet vel auctoribus, vel primis eorum diſcipulis factũ, Philippus ſanè Melanchthon, illa olim Mens Lutheri in cap. 3. epiſt. ad Coloſſ. apertè damnat prodigam illam vſurpationem Vbiq́. & contendit Chriſtum eſſe in certo loco cœli, quoad carnem, licet Vbiq; ſit, quoad diuinitatẽ. Idẽ in ep. ad Frider. Comitẽ Palat.

quam ſcripſit Ann.M. DC. IX. Alij, inquit, Vbiquitatem excogitarunt, & addit: Hæc ſunt portentoſa Omnia, ignota, eruditæ vetuſtati.

Anno M.D.Lxxi. celebrata eſt Synod. Dreſdenſis conuenientibus & conſentientibus omnibus Superintendentibus Ducatus Saxonici, Doctoribuſq; Academiarũ Lipſiæ, & VVittenbergæ, & anathema dictum prodigalitati Vbiquitariæ, verba ſunt Synodi: *Commentitia iſta communicatio phyſica, quæ noſtro primùm tempore cũ Vbiquitate corporis Chriſti introduci cœpta eſt, vniuerſæ Orthodoxæ Eccleſiæ, & toti orbi Chriſtiano, inde vſque ab initio incognita fuit, atq; etiamnum à Pontificiis ipſis reijcitur, & taxatur acerrimè.* Infra: *Commentitia illa* Vbiquitas *horrendum in modum corripit omnes penè articulos fidei de Chriſto, ac diſcrimen diuinæ & humanæ naturæ in Chriſto inprimis delet atque euertit.* Cenſent eiuſmodi Conciliabuli authores ex iſthac prodigalitate ortum habere horribilem profanationem omnium articulorum ſymboli, & renouationem omnium hęreſeon Marcionitarum, Valentinianorum, Manichæorum, Samoſatenſium, Arianorum, Neſtorianorum, Eutychianorũ, Monothelitarũ.

Caluiniſtæ magis eandem execrantur, atque idcirco *Vbiquitarios* ad Confeſsionem Auguſtanam non pertinere, & à pace religionis eſſe alienos ſcribit Dauid Pareus. *David. Par. ad Motiua Con. Sax. II.*

Vrſinus pag. 340. *In horto Vbiquitario creſcunt tres herbæ peſtilentiſſimæ.* 1. *Neſtorianiſmus.* 2. *Eutychianiſmus.* 3. *Arianiſmus.* quibus addendæ Marcioniſmus ex Synodo Dreſdenſi. *Eandem excogitat Henric. Bullinger li. de duab. naturis Chriſti.*

Caluin. vt iuſtificationẽ fidei tribuat, *Vbicunq;* (inquit) *regnabit fides, irã Dei peccatis omnib. expulſis nõ ſecus auertet, ac ſi quis ignẽ extingueret ſubducto ligno.* Ex quo ſequitur, qui fide Caluiniſt. imbutꝰ ſit, non *Petr. Martyr. dialog. de locis corporis Chriſti.*

ſit non poſſe eſſe furem, adulterum, homicidã, magum, peccatorem, ita eſt, ſunt enim omnes Caluiniſtæ ex vtero materno ſancti, & etiamſi cotidie enormiter peccent, ac flagitioſe viuant, nequaquam tamen in iis peccatorum naui hærent. nam *VBICVNQVE* regnat fides, vt apud Caluiniſtas eſt pura pura mundities. Quur itaque cantillat Miniſter ante concionem ſolenni formula? *Domine Deus, Pater æterne & omnipotens, confitemur, & ſine fictione, coram ſancta Maieſtate tua agnoſcimus, nos eſſe miſeros peccatores, in iniquitate & corruptione conceptos, ac natos, ad malè operandum propenſos, ad* OMNE *bonum inutiles, noſque vitio noſtro* CONTINENTER AC PERPETVO *mandata tua ſancta tranſgredi.* nimirum diſplicet ipſis Patris ſui prodigalitas.

Beza libr. de omnipræſentia Carnis Christi, contra Brẽtium lib. de Vnio. hypo. contra Schmidlin. Antid Tri. ſeſſ 6. cano. 27.

LIBER

LIBER TERTIVS.

HYPERBOLE IESVITICA

Seu,

SOBRIE VSOS VOCIBVS VNIVERSALIBVS DOCTORES SOCIETATIS IESV.

NEXVS.

PLura dicere parabat Oecumenius, neque vna actione materiam omnem complexurus videbatur; tanta naſcebatur dicenti ſub lingua copia, & quando vnquam orationi noua deeſſe poſſet ſeges in profuſione Sectariorum, quæ planè infinita? quum Iudex, quoniam non placebat diem extrahi, finem imponi iuſsit, ſilentium imperans, &, ad Pſeudolum, trementem, quaſi iamiam ducendum, conuerſus. Quia ſat multa è tuis produxit Oecumenius, quibus ſacrilegam Lutheri, Caluini, & aſſeclarum Prodigalitatem ſtabiliuit, te

tacente, vt in cauſa deſperata ſoles, ſi quid habes, quo *IESVITARVM* prodigam liberalitatem, vt profeſſus es, conuincas, & tibi benignas aures dabo non denegata Oecumenio reſpondendi, ſi ſic videbitur, ad ſingula reſpondendi facultate. Hic *Pſeudolus* gratiis Iudici prolixè actis, plaudere ac penè triumphum canere, productaque è ſinu charta, in qua longo ordine è *IESVITIS* vocum vniuerſalium abuſum notauerat, producere cœpit, tandemque mora interpoſita, ad barbam tractim demulcendam, & emungendum nares, ſic orſus eſt.

ARTICVLVS I.

DE PVRGATORIO.

OMNES veteres Græci Patres, & agnouerunt Purgatorium, & ſcriptis ſuis luculentiſsimè prodiderunt. Alphonſus Salmeron Comment. in 1. Corint. 15. diſp. 25. in fine. Contrarium candidè atque apertis verbis teſtatur Ioann. *FISCERVS ROFFENSIS* Epiſcopus in confutatione Articulorum Lutheri Art. 18. vbi ſic inter cætera ſcribit: *Multa ſunt, de quibus in primitiua Eccleſia NVLLA quæſtio facta fuerat, quæ tamen poſteriorum diligentia, ſubortis dubitationibus iam euaſerunt perſpicua. NEMO certè iam dubitat Orthodoxus, an PVRGATORIVM ſit, de quo tamen apud priſcos illos NVLLA vel quam rariſſima fiebat mentio. Sed & Græcis in hunc vſque diem non eſt creditum Purgatorium eſſe.*

Legat qui velit Græcorum veterum Commentarios, & NVLLVM, quantum opinor, aut QVAM RARISSIMVM de Purgatorio ſermonem inueniet. Sed neque Latini ſunt ſimul OMNES, & ſenſim veritatem huius rei conceperunt. Ergo prodigè liberalis

eſt

eſt *IESVITA* in vſu vocis *OMNES*, imò impudens & *IMPOSTOR*. Adde ex Alphonſo Caſtrenſi lib. 12. aduerſ. hæreſ. Tit. Purgatorium, initio: *Vnum ex notiſsimis erroribus Græcorum, & Armenorum eſſe, quo docent NVLLVM eſſe Purgatorium.* Ergo *OMNES* veteres Patres Græci nõ agnouerunt, atque ſcriptis ſuis luculentiſsimè prodiderunt Purgatorium: quod enim Caſtro dicit, vnus ex notiſsimis Græcorum erroribus eſt, idem valet, ac ſi dixiſſet: Vnus *FVIT*, in omne nimirum retro æuum.

Oecumen. Incredibiles profectò progreſſus te in Dialecticis feciſſe demonſtras Pſeudole, quum tam acutùm incluſionem infers, quam non niſi Hypſæa cæcior videt, vnde proſileat. Scribit Salmeron: *Omnes Græci Patres ac Doctores, & agnouerunt purgatorium locum, & ſcriptis ſuis & Liturgiis, quæ in ea Eccleſia frequentantur, luculentiſſimè prodiderunt?* NON ait, *NOMINARVNT*, ſed prodiderunt. quomodo? Dum docent, Animas quorundam fidelium, egere refrigerio, & iuuari orationibus viuentium: Vbi? in inferno, nec impudentia id affirmarit: in cœlo? nec inſcitia, quamuis Prædicantica. Sic autem docuiſſe veteres Græcos conſtat. Ex

Dionyſio Areopagita de Eccleſiaſt. Hierar. cap. 7. par. 3.

Athanaſio quæſt. 34. ad Antiochum.

Baſilio in Liturgia, vbi inſtituit orationem pro mortuis.

Gregorio Nazianzeno Oratione in Cæſarium, propè finem, & Oratione pro anima eiuſdem.

Cyrillo Catecheſi 5. Myſtagog.

Epiphanio hæreſi 75. & in fine operis contra Hæreſes.

Chryſoſtomo homil.41.in priorem ad Cor. Hom.32.in Matth. Lom.84.in Ioann. Hom.3.in epiſt.ad Philip.& 21.in Acta.

Theodoreto lib.5.hiſt.c.26.

Theophylact.in cap.12.Luc.

Damaſceno, libro de iis, qui in fide migrarunt, vbi eandem veritatem probat teſtimoniis variis Dionyſij.

Athanaſij, Nazianzeni, Nyſſeni, & aliorum plerorumque verba exſcripſit Cardinalis Bellarminus lib.1.de Purgatorio, cap.10. quid opus iis recitandis auditorum patientiam laceſſere?

An igitur prodigè liberalis Salmeron, qui tot tamque claris nixus nominibus, à quibus Nemo ex probatis antiquitatis Græcæ diſſentit, pronunciauit *OMNES* Purgatorium agnouiſſe & prædicaſſe, quum Philoſophus, ad voculam *OMNES*,, non plures tribus poſtulat?

Ariſt.1.Cal

Sed contrarium apertis verbis teſtatur Roffenſis. Nimirum idem tibi eſt hominum inſulſiſsimo Græcos veteres *NVLLAM*, vel rariſſimam facere Purgatorij mentionem, & eoſdē Purgatorium non agnoſcere, nec ſcriptis prodere. quum non nominando Purgatorium, prius poſsit eſſe verū ſenſu Fiſceri; poſterius, dum animas alicubi ponunt, vbi orationibus fideliū leuamen ſentiunt, ſit falſiſsimum. Alioquin dicendum eſſet, earum rerum fidem, quarum nomina poſterius inuecta ſunt, primis Eccleſiæ temporibus, non fuiſſe in Eccleſia, quo quid dici poteſt ineptius?

Guido Carmel ſumm. de hæret. Caſtro 12. Tit. Purgatorium.

RECENTIVM eſt error Græcorum, vt plerique autumant, quod conſultò adiungo: nam Græci ipſi in Concilio Ferrarienſi Seſſ.1. teſtati ſunt, ſe non negare Purgatorium, ſed ignem tātum, & exiſtimare, Purgatorium eſſe locum tenebro-

nebroſum, laborumque plenum. Ex quo efficere, non omnes veteres Patres Græcos agnouiſſe, & ſcriptis ſuis luculentiſsimè prodidiſſe Purgatorium, argumĕtatoris eſt, imperitia delirantis; quod pace tua dictum volo Pſeudole. Accipe illationem geminam, vnus ex notiſsimis Batauorum erroribus eſt, *NVLLAM eſſe* Romani Pontificis in alias Eccleſias auctoritatem. Ergo omnes Batauorum primi Doctores non agnouerunt, neque ſcriptis luculentiſsimè prodiderunt Pontificiam Auctoritatem. Sed verum prius, ergo & poſterius. Apage ludio, vel perge porro, nam plura eiuſmodi acumina, ex qua palæſtra prodieris, prodent.

ARTICVLVS II.

DE PROBITATE VITÆ PROteſtantium.

Pſeud. BEllarmini verba ſunt libro de Notis Eccleſ. cap. 13. *Sunt quidĕ in Eccleſia Catholica*, hoc eſt, Romana-Papiſtica, *plurimi mali, ſed ex hæreticis NVLLVS eſt bonus.*

IESVITA Reihingh, in Muris ciuitatis ſanctæ, Fundamento 8. pag. 204. *Eccleſia Catholica multos malos, ſed & innumerabiles bonos, & multos illuſtres Sanctos habet: Veſtra Eccleſia, malos ſine numero, NVLLVM Sanctum habet.* pag. 194. *Noſtra per ſexdecim ſecula, vita ſanctitate illuſtres plurimos numerat: Veſtra primo hoc ſuo ſeculo, nondum numeri inſtium habet.*

Coſterus in Enchirid. capite 2. pagine 105. *Hæretici Sanctum NEMINEM vel habent, vel habuerunt, neque QVEMQVAM ad cœlos præmiſerunt.*

Per Hæreticos intelligit loco citato vterque Ieſuita more ſuo, ac ſuorum, in genere omnes Proteſtantes: nam vt docet Stapletonus: *Hæretici & Proteſtantes Synonyma ſunt.* Huius autem Articuli falſitas inde probatur, quod ipſis IESVITIS teſtibus, quidam Proteſtantium nonnunquam bona edunt moralia, largiuntur eleemoſynas, xenodochia erigunt, moderatè, & temperanter viuunt, mutuam ſeruant fidem, & charitatem, à iuramentis & conuitiis abſtinent, ſuos alunt & veſtiunt. Ergo falſum eſt, quod inter hæreticos, hoc eſt, inter Proteſtantes NVLLVS eſt bonus.

Staplet. de doct princi. fidei dogm. contro 3. li. 7 c. 15, init.

OECVMENIVS. Quæ Bellarminus aliique eiuſdem Ordinis de Hæreticorum, id eſt, vt tu interpretaris, Proteſtantium improbitate vniuerſalibus vocibus exprimunt, ab ipſis Proteſtantium capitibus, vel eorum familiaribus hauſerunt, quibus credendum putarunt in cauſa propria, nam nemo in ſui contumeliam mentitur, itaque non Bellarmino & IESVITIS ſed Luthero & aſſeclis Proteſtantibus adſcribenda eſſet hoc titulo, PRODIGA LIBERALITAS. Patieris autem, quoniam ad rem præſentem maximè ſpectat, paulò copioſius tuorum teſtimoniis, aut cum ipſis familiarium, certè non Ieſuitarum, quibus ea in re parum fidei haberetur, hunc Articulum pertractari.

Proteſtantium probitas.

Lutherus in Poſtilla domeſtica Ienæ impreſſa, concione ſecunda primæ Dominicæ Aduentus: *Mundus ex hac doctrina* (Proteſtantica) *quotidie redditur deterior. Iam homines ſinguli ſeptenis diabolis obſidentur, quum antea* (quando Papiſtæ erant) *vnico tantum diabolo obſeſſi fuerint. Diabolus iam cateruatim in homines ingreditur, vt nunc in tam*

ſplen-

ſplendida Euangelij luce ſint auariores, callidiores, iniuſtiores, crudeliores, proteruiores. M V L T O *denique deteriores, quàm prius in Papatu fuerant.*

Idem in explanatione Pſalmi 101. *Apud nos in Germania ſtatum rerum maximè Euangelicum videre licet, exeunte enim vno diabolo, ſeptem peiores in loco eius ſuccedunt, fiuntque nouiſſima peiora prioribus.*

To. 6. Ger. Ien. fol. 162.

Comment. in Ioann. 15. *Tam* D I A B O L I C A *malitia & odium in nullis vel Ethnicorum hiſtoriis inuenitur, quanta apud eos exoritur, quibus Chriſti verbum prædicatur. Neque verò non ipſi etiam nobiles, ciues, & agricolæ noſtri, tanta malitia affecti ſunt: qui, quum prius* (in Papatu) *hominum multo modeſtiorem ſpeciem geſſiſſent, iam furore, & veſania præcipites rapiuntur, non aliter quàm ſi* T O T I *diabolis pleni forent.*

To. 4. Ger. VVit f. 220. Ger. Ien. fol 162.

In Poſtilla Norimbergæ edita in Cōcione octauæ Dominicæ Sanctiſſ. Trinitatis fol. 79. *Vellet nos Deus veros & germanos Chriſtianos fieri, qui non verbo tantum de fide & Euangelio gloriarentur, ſicut homines iam faciunt, qui Euangelici eſſe poſtulant, multaque de* C H R I S T O *iactare ſciunt. Si tamen intus excutias,* N I H I L *in re inueneris. Itaque maiorem partem ipſi ſe fruſtrantur, ac decipiunt, etiam illi, qui Euangelium habent, & audiunt, & cum* F A L S A *illa ſua Fide vadunt ad Diabolum.*

Diabolica Proteſtantium veſania.

Caluinus Comment. in Daniel. 11. ver. 34. *In exiguo illo numero, qui ſe ab Idololatriis Papatus ſubduxerunt,* M A I O R P A R S *plena eſt perfidia, & dolo. Præclarum quidem zelum ſimulant, ſi tamen intus excutias, reperies, plenos eſſe fraudibus.*

Proteſtantes pleni dolo.

Idem Comment. 2. Petri 1. 2. *Vix eorum de-*

Laſciui, *cimus quiſque eſt, qui alio fine Euangelio nomen dederit, quam vt ſolutius in* O M N E M *laſciuiam diffluerct.*

Iacobus Andreas Smidelinus Concione 4. ſuper cap. 21. Lucæ. *Vt totus mundus agnoſcat eos,* Proteſtantes, *nõ eſſe Papiſtas, nec bonis operib. QVICQVAM fidere, illorum etiam operum* N V L L V M *exercent penitus. Ieiunij loco comeſſationibus, & perpotationibus nocte dieq́; vacant. Vbi pauperibus benignè facere oportebat, eos deglubunt, & excoriant. Precationes vertunt in iuramenta, blaſphemias, & Diuini nominis execrationes, idq́; tam perditè, vt Chriſtus ne ab ipſis quidem* T V R C I S *hodie tantopere blaſphemetur. Demum pro Humilitate regnat paſſim ſuperbia, faſtus, elatio, atq; hoc* V N I V E R S V M *vitæ genus ab illis* E V A N G E L I C V M *dicitur* I N S T I T V T V M.

Opinor ſanè hos noui Euangelij Triumuiros non ignoraſſe, mores, vitam inſtitutumque Proteſtantium, ſicut neque Andream Muſculum, qui ait, ſe C O G I fateri, N E M I N E M *in toto orbe Proteſtantes ſceleribus ſuperare. Proteſtantes* N I H I L O *meliores eſſe, Turcis, Iudæis, Ethnicis*, quod de Remonſtrantibus palam in Hollandia Contra-Remonſtrantes aſſerunt. *Qui* N E B V L O N E S *quærit, Proteſtantium adire debere congregationes.* Verba Muſculi recitaui ſuperius.

E R A S M I popularis tui, libenter vtar teſtimonio, qui fideliſsimè de probitate vitæ Proteſtantium diſputat non vno loco, fuſe autem

To.9. edit. Baſi. 1540 ſcripta eſt epiſt. 1529 epiſtola ad Vulturium Neocomum, vbi hæc etiam: *Circumſpice populum iſtum Euangelicum, & obſerua, num minus illic indulgeatur luxui, libidini, & pecuniæ quam faciunt ij, quos deteſtamini. Profer mihi, quem iſtud Euangelium ex comeſſatore, ſobrium; ex feroci manſuetum, ex rapaci liberalem, ex maledico benedicum, ex impudico reddiderit verecundum.* E G O

tibi

tibi multos oſtendam, qui facti ſunt ſeipſis deteriores. Excuſſæ ſunt è templis ſtatuæ, ſed quid refert, ſi N I H I L O *ſecius in animo colantur idola vitiorum? Excuſſæ ſunt preces ſolemnes, ſed iam plurimi ſunt, qui* N I H I L *prorſus orant. Abrogata eſt confeſſio, ſed interim ne Deo quidem confitentur plurimi. Abiectus eſt cum ieiuniis ciborum delectus: ſed interim gnauiter indulgetur crapulæ, & ita quidam effugerunt Iudaiſmum, vt ceperint eſſe* E P I C V R E I. *Protrita ſunt ceremoniæ, ſed* NIHIL *acceſſit ſpiritus: imò multum diſceſſit, meo quidem iudicio. Circumſpice mihi ſodalitatem illam Euangelicam, quot habet adulteros, quot temulentos, quot aleatores, quot decoctores, quot aliis vitiis infames? & hos quidam habent etiam in delitiis, tantum abeſt, vt vitent.* *Proteſtantes idola colunt. Nihil erat. Nec Deo cōfitentur. Epicurei. Sancti Proteſtantiū.*

Dum Neminem amant præter ſeſe, dum nec Deo, nec Epiſcopis, nec Principibus, nec Magiſtratibus obtemperant, dum Mammonæ, gulæ, ventri, & inguini ſeruiunt, poſtulant haberi pro Euangelicis. At qui ſunt fructus ſpiritus? Caritas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas. At nos in plerisque videmus opera carnis, ſpiritus nullū veſtigium. Mihi adhuc N E M I N E M (ex Proteſtantibus) *contigit noſſe, qui non videatur ſeipſo factus deterior.* Ergo O M N E S mali, N V L L V S bonus. O prodigè liberalem in Proteſtantium contumeliam Batauum! *Virtutes Proteſtantium.*

Idem epiſt. ad fratres Germaniæ inferioris: *Quid Argentorati fiat, neſcio, alicubi ſcio.* *NVSQVAM fuiſſe maiorem luxum, plus adulteriorum, quam inter Euangelicos, ſic enim appellari gaudent. Hoc nec ipſi negant Euangelici. Vtinam omnes ad bonam frugem ſeſe recipiant, vt hic habear vanus.* Epiſt. lib. 20. ad Monachum transfugium ad Proteſtantes meditantem. *Vereor, ne imponant tibi quorundam præſtigiæ, qui iactant hodie ſplendidis verbis libertatem Eu-* *To. 9. fol. 1308.* *Fructus Proteſtantium.*

angelicam. Crede mihi, ſi rem propius noſces, minus tæderet te iſtius vitæ. Video genus hominum exoriri, à quo meus animus vehementer abhorret. NEMINEM video fieri meliorem, deteriores OMNES. VBICVNQVE ſunt, ibi iacent OMNES bonæ diſciplinæ cum pietate.

Hæc, & quæ paſsim ſimilia in Proteſtantium ipſorummet, vel domeſticorum, & familiarium ſcriptis occurrunt, ſatis idonea videntur, vt formetur vniuerſale enunciatum. Ex Hæreticis, id eſt, tua explicatione, Proteſtantibus *NVLLVS* eſt bonus: Nemo enim ex iis factus eſt melior, quàm fuerit in Papatu, deteriores *OMNES*, Eraſmi iudicio. Quamuis alia etiam nitatur ratiocinatione generalis illa propoſitio, nulli non fidem apta facere, cui aliquid cerebri ſit reliquum. Attende Pſeudole:

Ce *NVLLVS hæreticus eſt bonus.*
la *Omnis Proteſtans eſt hæreticus.* Ergo
rent *NVLLVS Proteſtans eſt bonus.*

Primam enunciationem dedit Hæreticorum malleus, vobis tamen Orthodoxus, Auguſtinus, cuius ſunt iſta: *Securus iudicat Orbis terrarum BONOS non eſſe, qui ſe diuidunt ab orbe terrarum, id eſt, non ſunt Catholici, in quacunq; parte terrarũ.* (*Lib 3. epiſt. Parme. c. 3.*)

Altera propoſitio deſumitur ab ipſis Proteſtantibus, quorum caput Lutherus in Theſibus contra Doctores Louanienſes Theſi 32. dicit: *Hæreticos cenſeri à ſe OMNES Sacramentarios* (id eſt, Caluiniſtas, Zvvinglianos, Hugenotas) & in poſtrema ſua confeſsione de cœna Domini diſertis verbis ſcribit: *Sacramentarios, eorumque diſcipulos hæreticos eſſe, ſacramentorum hoſtes æternumq; damnatos.* Ex quibus Magiſtri dictis, adeo certum eſt Lutheranis, Caluiniſtas eſſe hæreticos, ac Pontificiis, hos ipſos Lutheranos, idem oſten- (*Cap. 5. pag. 81.*)

oſtendunt Elogia Lutheranorum de Caluinianis, quæ leges in *Demonſtratione, quod in fide Proteſtantium Hollandorum non ſit ſalus.* Sed non minus aut acriter, aut verè de Lutheranis id affirmant Caluiniſtæ: & in Hollandia de Remonſtrantibus, Caluiniſtis mollibus, Contra-Remonſtrãtes eiuſdem ſectæ Rigidi, vt ibid. eſt demonſtratum. Quid quod Lutherus ipſe ſe hæreticum aperte profitetur? Poſtquam n. ab Argula Stauffenſi monitus fuiſſet de ducenda vxore, hæc ad Spalatinum ſcripſit epiſtola, quæ eſt To. 2. ep. Lat. Hoc corde, quo hactenus fui, & modo ſum, non fiet vxorē vt ducam, non quod carnem meam, aut ſexum non ſentiam, quum neq; lignum, neq; lapis ſim: ſed animus alienus à coniugio eſt, quum expectem quotidie mortem, & meritum *HAERETICI* ſupplicium. Nō eſt igitur Prodigæ-liberalitatis, ſed ſimplicis veritatis, ſi quid ſapitis, Concluſio, *Nullus ex Proteſtantibus eſt bonus.*

Pſeud. Quod *NVLLVS* dicatur, nec capio, nec admitto, fateor multos apud nos corruptè & contaminatè viuere, ſed vnde probabunt nobis Pontificij, & *IESVITAE* malos iſtos mores, quos in hominib. noſtris reprehendunt, ex doctrina Proteſtantium proficiſci.

Oecum. Imò hoc ipſum eſt, Pſeudole, vnde præcipuum robur vniuerſali illi accedit, quod Hæretici, ſeu Proteſtantes, ex ipſo profeſsionis & inſtituti genio, ſint *MALI*, ad omnia flagitiorum genera propendeant, & pleno impetu ferantur, ſi quidē profeſsioni vitam conſentaneā velint inſtituere, atq; de his intelligēda eſt propoſitio; nam multi ſunt Proteſtãtium nomine, qui vel ſimplicitate, vel ignoratione veri, vel naſcendi ſorte, vel educationis iniuria, vel quadam

quadam animi perturbatione abrepti, vel præiudicata de Papatu opinione, vel ſimulatione, & blanditiis Miniſtrorum, aut aliis rationibus attracti, inter quos Magnates & Principes, de quibus ſanctè teſtor, nullum à me ferri iudiciũ, qui ſi probitatis non nihil habent, ſi quandoque ciuis boni officia exequantur, ſi moralia quædam opera, non mala, quod à paganis quoque, & Ethnicis poteſt fieri, exerceant, id non ſectæ, ſed naturæ bonitati, inſitæꝙ ingenuitati, & potiſsimum diuinis gratiæ præſidiis, quibus nec hi deſtituuntur omnino, eſt adſcribendum.

To. 1. epiſt. Ien. edit. fol. 345. Nam fundamentum Fidei Proteſtantium nõ patitur QVEMQVAM eſſe bonum Chriſtianum, quum omnia viri boni officia perimat. *Proteſtantes quã tales fortiter peccare debent.* Dubitas? Audi Magiſtrum epiſt. ad Philippum: *Si vera eſt gratia* (per quam à Deo iuſtificari cupis) *verum, non fictum peccatum ferto. Deus non facit ſaluos fictos peccatores. Eſto peccator, & pecca fortiter. Sed fortius fide, & gaude in Chriſto. Sufficit, quod agnouimus Agnum, qui tollit peccata mundi, ab hoc non auellet nos peccatum, etiamſi millies millies, vno die fornicemur, aut occidamus.*

Hanc doctrinam nouus Propheta explanat, & confeſſarij Doctoriſque ſui Staupitij verbis *Islebiæ edi. tit. de peccatis.* confirmat in colloquiis conuiuialibus: *Chriſtus,* ait, *eſt remiſſio verorum & legitimorum peccatorum,* cuiuſmodi ſunt parricidium, blaſphemia aperta, Dei *Qualia peccata com- mittere Proteſtantes debent.* contemptus, adulterium, &c. *Hæc & huiuſmodi vera ſunt peccata, quibus plenum catalogum te oportet adferre, ſi modo à Chriſto iuuari, ſeu ſaluari cupias, neque debes QVICQVAM de nugis & puerilibus peccatis curare, neque ex vnoquoque crepitu ventris peccatum *Tit. de tentationibus fol. 217.* facere.* Et in Colloquiis Francofurti editis: *Oportet, vt adſint vera peccata, non ficta, (quæ, quis nempe ipſe ſibi multum meditando cõfingit) ſi modo velimus,*

vt Deus

vt Deus remittat peccata. Talia autem peccata Lu-
therus confiteri ſolebat, ſic enim loquitur in Tit. de ten.
Colloquiis Isleblenſibus: *Doctori Stumpitio ſæpe* fol. 291.
*confeſſus ſum, non de mulieribus, ſed verè atrocia, & ſo-
lida facinora.*

Pſeudol. At Proteſtantium non pauci bona
opera faciunt.

Oecum. N V L L I ex ſectæ veſtræ præſcri-
pto: nam præcipuus eius Articulus O M N I A
bona opera proſcribit.

Lutherus de votis Monaſticis: *O P V S bonum
non poteſt doceri, niſi lædas fidem: quum fides & opera
in re iuſtificationis, extremè aduerſentur. Ita ſit, vt do-
ctrina operum neceſſariò ſit doctrina dæmoniorum, &
diſceſſio à fide.*

Idem Diſputatione vtrum bona opera faci- To. 1. Lat.
ant ad iuſtificationem: *Fides niſi ſit ſine V L L I S,* VVitt. fol.
etiam minimis operibus, non iuſtificat, imò non eſt fi- 361.
des. Et in epiſt. ad Galat. 2. *Sola fides iuſtificat, &* To. 1. Ien.
non fides, quæ dilectionem includit; ſiue coniunctam fol. 488.
habet. Rurſum: *Sola fides neceſſaria eſt, vt iuſti ſi-* To. 1. Ger.
mus, cætera omnia libera; neq; præcepta amplius neque VVit. fol.
prohibita. 47.

De capt. Babylon. *Vides, quàm diues ſit homo* fol. 92. §. 3
Chriſtianus, ſiue baptizatus, qui etiam volens non po- Cap. de
teſt perdere ſalutem ſuam, quantiſcunque peccatis, niſi Baptiſ.
nolit credere. N V L L A *enim peccata poſſunt eum da-
mnare, niſi ſola incredulitas, cætera* O M N I A, *ſi rede-
at, vel ſtet fides, in promiſſionem diuinam in momento
abſorbentur, per eandem fidem.*

Nec diſſentit Caluinus, qui clariſsime libr. 3.
Inſtit. cap. 11. §. 13. ſcribit, cum *iuſtitia fidei Nullo
modo ſociari poſſe operum iuſtitiam,* nec ſolum ope-
ra quæ fiunt ſolis naturæ viribus, ſed O M N I A
alia, quouis ornentur titulo, excludi per iuſti-
tiam fidei, idemq; multis aliis locis inculcat. Si

operi-

operibus bonis nihil apud Deum promeremur,
Lib. 3. c. 15. §. 2. ſi non reddunt nos illa gratiores Numini, ſi ob illa nihil præmij conſequemur, quur nos illis
Cap. 19. §. 2. 4. 7. exercendis fatigemur? quur orationi inſtemus? ieiunio corpus adfligamus? meritò dicunt, ſi dogmata ſectæ ſuæ præ oculis habeant Proteſtantes.

Quos etiam magis ab operibus bonis retrahit, quod toties audiant, illis non ſolum meritum nullum adquiri, ſed in ſeſe mortifera eſſe?

Lutherus in Aſſert. Art. 32. *Opus bonum optimè factum, veniale peccatum eſt, ſecundum miſericordiam Dei, ſed mortale peccatum ſecundum iudicium.*

In reſol. con Eck. & aſſer. ar. 31. Alibi *Iuſtus in OMNI bono opere peccat.* Et, *Optimum opus noſtrum, quo à Deo gratiam, auxilium, & conſolationem obtinere nitimur, vobis in peccatum reputatum eſt, ſicut ait Propheta Pſ. 108. Et oratio mea fiat in peccatum.*

Aſſer. 19. Idem tradit Caluinus libr. 3. Inſtitutionum c. 12. §. 4. vbi ſcribit: *OMNIA opera hominum, ſi ſua dignitate cenſeantur, NIHIL niſi inquinamenta & ſordes ſunt. NEC VLLVM à Sanctis exire poteſt opus, quod non mereatur iuſtam opprobrij mercedem.* Si cuncta fidelium opera ſunt inquinamẽta, ſordes, opprobrij merces, qua iram Dei mereantur, facile inferunt Proteſtantes, ſatius eſſe iis abſtinere, quàm vacare. Itaque mali mores, ex doctrina quam tradunt Proteſtantes, proficiſcuntur, nec ſinit ſecta Proteſtantica hominem eſſe bonum.

Quod magis confirmo: quia Dogma proteſtantium eſt ad Chriſtianos non ſpectare decalogum.

Lutherus ſermo. de Moyſe: *Ex textu clarè patet, quod*

tet, quod etiam decem præcepta ad nos non pertineant, non enim nos, ſed ſolum Iudæos Dominus ex Aegypto eduxit. In nouo Teſtamento Moſes non tenetur. Si eum in vno Articulo obſeruarem, debitor fierem VNIVERSÆ legis obſeruandæ. Idem fuſius inculcat in caput 4. epiſt. ad Galat. & cap. 20. Exodi.

Itaque fas eſt Proteſtantibus, idola colere, parentes & Magiſtratus contemnere, homicidia committere, adulteria, furta, falſa teſtimonia, quæque alia decalogo prohibentur, quia non magis, quàm ceremonialis obligat.

Dogma eſt Proteſtanticum, legem Dei etiam Sanctis eſſe impoſsibilem, Caluinus libro 2. Inſtitutionum 7. §. 5. Itaque non obligat. nam nemo obligatur ad impoſsibile. *OMNIA* opera bona ſunt inquinamenta, ſordes, peccata, ad peccata quis obligatur? Vel, ſi ad opera obligantur Proteſtantes, ergo & ad peccandum ſinguli, ergo *NEMO* ex iis bonus.

Dogma Proteſtanticum eſt per ſolam fidem ſpecialem hominem reddi iuſtum coram Deo, abſque vllis bonis operibus, illi qui fidem habet, nullum peccatum imputari. Ex quo infert.

Lutherus lib. de libertate Chriſtiana, & captiu. Babylon. ſolam incredulitatem verè eſſe peccatum. Solos incredulos damnandos. Eum, qui fidem retineat, damnari non poſſe. Caluinus autem: Omnia peccata eſſe mortalia infidelibus; fidelibus venialia, id eſt, condonatione non imputari. Angli verò Caluiniſtæ hæc corollaria. 1. *OMNES illi errant, qui putant, ſe ſaluandos, quum multa bona opera fecerint.* 2. *Non eſſe neceſſe laborare, qui bonis operibus vitam conſequamur æternam, iam nunc enim eam tenemus.* 3. *Pec-*

Lib. 2. Inſt. c. 8. & lib. 3. c. 4. §. 28.

Refert ſ. de-liter Guill. Reginal. li. 4. pa. 1020. *ex Foxo.*

3. *Peccata noſtra* NIHIL *imminuunt de gloria Dei:* 4. TOTVM *damnum peccati poſitum eſt in ſcandalo proximi.* 5. *Chriſtus ſuo ſanguine redemit, & liberauit nos ab* OMNIBVS *peccatis, & legibus, vt deinceps* NVLLA *lex nos obliget in conſcientia.* 6. NIHIL *debes Deo, niſi fidem, vt confitearis Chriſtum Ieſum, & credas eum ſurrexiſſe à mortuis: ſic enim ſaluus eris. In reliquis Omnibus Deus liberum tibi facit, vt ſequaris voluntatem tuam:* OMNIA *enim facere potes abſque ſcrupulo conſcientiæ. Neque enim perire vel damnari potes Quicquam externe vel feceris, vel infectum reliqueris.* Poſſetne Turciſmus maiorem dare ad omne flagitiorum genus perpetrandum licentiam? I iam Pſeudole, & dic malos mores ex ipſa doctrina Proteſtantium non proficiſci.

In mentem hic venit, quod habet Eraſmus, epiſt. ad Bucer. fol. 1328. *Sacerdotem Baſileæ virgis cæſum mox vrbe eiectũ non nomino. Quid refert, quam doceſierat concionari? Iſtius erat profeſſionis* (Proteſtanticæ.) *Is, vt publicus ferebat rumor, & in carcere, & extra portam, cum à carnifice dimitteretur, publicè teſtatus eſt, ſe poſteaquam ſe illi Sectæ addixerat in* OMNE *flagitiorum genus proruiſſe, quid de tota ſecta dixerit, non referam.*

Iam verò ſic argumentari pronum eſt pro IESVITARVM vniuerſali, & te moleſtiſsimo dilemmate irretiri. Aut mores vitamque ſuam doctrinæ fidei accommodant Proteſtantes, aut id non faciunt.

Si accommodant, BONI eſſe nequeunt. Qui enim credunt, ſe ſaluari non poſſe, niſi OMNI bono opere careant, & atrociſsima quæque peccata perpetrent, vt ex Luthero dictum, ij, ſine dubio, cauebunt omnia boni Chriſtiani officia, & ſceleratiſsimi eſſe volent, quum omnes ſe ſaluos eſſe velint.

Si non

Si non ſe accommodant, boni eſſe non poſ-ſunt, quippe qui profiteantur ſe, cum Luthero, Caluino, & horum ſimilibus ſentire, & tamen in capite & præcipuis fidei articulis ab iis diſſen-tiant, vel fidei ſuæ principiis ſe non accommo-dent.

Verùm, iuuat me credere, Proteſtantes con-ſentaneè dogmatibus ſuis viuere: & nolle mo-res, à præſcripto Sectæ diſſentire, ita exemplo doctos à maioribus, de quibus

Georgius VVicelius olim Lutheranus Præ-dicans, in libello, cuius titulus, *Retectio Lutheriſ-mi*, excuſo Lipſiæ Anno M.D.XXXVIII. *Hic cum plurimos raræ pietatis viros, tum ipſos etiam ſectarios habeo ſuffragatores, qui ingenuè confitentur, vberiorē vitiorum copiam* NVNQVAM *extitiſſe, quam ab iis annis, quibus excreuit Lutheriſmus. Vidimus eheu, vi-dimus Euangelij ad prodigij vſque iactari fructus. Faxit Optimus Maximus, ne plures id genus nobis iſtud pa-riat.* QVICQVID *ſuperérat laudatæ diſciplinæ, pu-doris, reuerentiæ, conuerſationis inculpatæ, religionis, id penè* OMNE *profligauit iſtud Euangelion, ſtudium meliorum operum funditus exſtirpauit. Veterum ſcri-pta obliterauit, diſſidia ſeminauit, Principes in mutu-um odium incendit, litteraria Gymnaſia euertit per Germaniam.*

Hoc autem veriſſimũ multo eſt. NVLLAM *vnquam hæreſin minus de vita bona ſenſiſſe, atque Lu-theriſmus ſentit: nec* VNQVAM *in maiori contem-ptu, ne dicam odio, fuiſſe bona opera. Nam tametſi hæ-reſes antiquæ malè viuerent, attamen ſecus docebant, Phariſæorum more. Noſtra verò factio, viuit, vt docet, docet, vt viuit. Docent bona opera, bonam conuerſa-tionem, laborioſam vitam coram Deo* NIHIL *eſſe, ideo ab huiuſmodi abſtinent. Docent, peccata* NEMINEM *fidelium damnare, ideo liberè, ac prælicenter peccant.*

Ex fidei ergo veſtræ communibus principiis, Pſeudole, NEMO Proteſtantium eſt bonus; quare non eſt, quod alteram vniuerſalem, illam calumnieris.

Sancti Proteſtantici. *Haeretici Sanctum NEMINEM vel habent, vel habuerunt*, neque enim ſanctus eſſe poteſt, qui non bonus. Fateor tamen, vt ingenuitatem meam, candoremque ames, Sanctos non paucos apud vos reperiri, Proteſtanticos, quales illi? quales depingit Lutherus Comment. in Ioan. 17. *Nos ita dicimus, quod veri, & germani Sancti, debeant eſſe fortibus, ac atrocibus peccatis obnoxij* (nempe blaſphemiæ, parricidij, adulterij) *ac tales etiam manere, quos non pudeat, orare, Dimitte nobis debita noſtra.* Horum ſanctitatem deſcribit, vbi Caluiniſtarum, Amandus Polanus Caluiniſta, in cap. 9. Danielis, vbi ait: *Omnia acerbiſſimis paroxyſmis corripi, in Eccleſia Caluiniana ſiue miniſtros quis ſpectet, ſiue gregem. Miniſtros ſeſe mutuo infeſtare, inteſtinas moliri diſſenſiones, vel ira, liuore, odio accenſos, vel auaritia, & ambitione impulſos. Semper noua dogmata parturire, quaſi pertæſos veteris doctrinæ. tanta eruditionis opinione turgere, vt ſoli ſapere videantur, reliqui, velut vmbræ vagentur.*

To. 4. Ger. Witt. f. 305.

Hinc tot ſchiſmata, tot hæreſes Eccleſiam Caluiniſticam inuaſiſſe, vt pondere ferè opprimatur. Gregem verò, quaſi vetus doctrina ſatietatem peperiſſet, noui aliquid requirere. Diſciplinæ Eccleſiaſticæ eſſe impatientem: in OMNE luxuriæ, vitiorumque genus effuſum. Paſtorum monita ferre amplius, nec velle, nec poſſe. Tales Sancti Proteſtantici, de quibus

Georgius VVicelius Prædicans olim Lutheranus: *Solati eſtis* (ô Proteſtantes,) *& erexiſtis conſcientias, in tantũ, vt ferè NVLLAE VSPIAM ſint.*

In confuta reſpon. Iuſti Ionæ excuſa Lip. 1533.

Amiſerunt eheu gregales veſtri cum conſcientiis, & metum Dei, & omnem pietatem. Indignè ferebatis primum anguſtas conſcientias: at vos eas ſat ſpacioſas, ſat amplas reddidiſtis, vt nunc camelus per eas incedat, per quas antea vix penetrabat ſciurus. Huc profecerunt veſtræ conſolationes, & erectiones, vt indolentiam, in multis peperiſſe videantur, & expunxiſſe conſcientiam. Comperio eſſe de grege veſtro, qui, quoties admonentur conſcientiæ ſuæ, NIHIL niſi cachinnantur.

HVIVSMODI igitur SANCTOS venerantur veſtri, Pſeudole, à quibus Lutherus ſectæ caput appellatur, nonnunquam SANCTVS Pater, vti à Friderico Balduino, Ioanne Fraxineo, aliis Lutheranis Prædicantibus. Quin verò à Caluiniſta Sibrando lib. 4. cap. 1. Sanctiſsimus Chriſti ſeruus, ſicuti ab eodem alibi Caluinus, ab hoc Oecolampadius epiſt. 52. à Luthero Huſſus, dum in ſuis propheteiis de Papatu apud Georgium VValterum, ait, *Sanctus Ioannes Huß de me prophetauit.*

Vide Nicol. Serar. li 2. de Lutheri Magiſtro. Sibr li 2 de prim. fidei c. 6 p. 159.

TALES Sancti ſi regnum cœlorum rapiunt, malè profectò, & nimis prodigè dictum à Coſtero. NEC *Proteſtantes* QVEMQVAM *ad cœlos præmiſiſſe.* Sed quum recenſitos, & iis geminos, in hæreſi obſtinatè mortuos, à cacodæmone ad inferorum regnum æternis excruciandos ſuppliciis, raptos, non ſit ambiguum. Simplicem in ea propoſitione veritatem, vt agnoſcam, cogit ſinceriſsimi Doctoris Auguſtini auctoritas, qui libro quarto contra Donatiſtas, capite octauo, nihil dubitans ita pronunciat: *Conſtituamus aliquem caſtum, continentem, non cuiuſquam inimicum, non contentioſum, patientem, quietum, nullum æmulantem, nulli inuidentem, ſobrium, frugalem,*

ſed HAERETICVM, NVLLI *vtique dubium eſt. Hoc ſolum, quod* Hæreticus *eſt, Regnum Dei non poſſeſſurum,* &c.

B. Fulgentius, ſeu vt alij opinantur, idem Auguſtinus: *Firmiſſimè tene, &c, &* NVLLATENVS *dubites, non ſolum omnes Paganos, ſed etiam* OMNES *Iudæos, atq; ſchiſmaticos, qui extra Eccleſiam Catholicam præſentem finiunt vitam in ignem æternum ituros, qui paratus eſt diabolo, & Angelis eius.*

Nec aliud vniuerſaliter aſſertum à IESVITIS, vt ſi hos de prodiga-liberalitate incuſare, Auguſtinum quoque, & canam OMNEM veteris Eccleſiæ antiquitatem arceſſere ſit neceſſe. Itaque aliò te conuerte Pſeudole.

ARTICVLVS III.

VNIO, SEV CONIVNCTIO CVM Romano Pontifice SEMPER *apud veteres fuit habita pro* NOTA *veræ Eccleſiæ.*

Bellar li. de Not Eccl. c.1. §.1. Pſeud. EX hoc fundamento probat *IESVITA* Bellarminus, Eccleſiam hodiernam Romanam eſſe ſolam ac veram in terris, Chriſti Eccleſiam: nam hæc ipſi ſeptima veræ Eccleſiæ vera ac propriiſſima eſt Nota, *Vnio cum capite qui eſt Romanus Pontifex.* Contrarium autem patet 1. quia eiuſmodi vnio non eſt habita Nota ab Eccleſia Aſiatica à Pontifice Romano Victore excommunicata Anno Dom. CC. 2. nec ab Athanaſio, excommunicato à Felice, & Liberio Anno CCC. Lxxv. 3. nec à Cypriano, vnà cum multis aliis, tum Aſiæ, tum Africæ Theologis, & Epiſcopis Stephano Pontifici Romano definien-

definienti pertinaciter reſiſtenti, Anno Domini circiter C C L. 4. nec ab Epiſcopis Carthaginenſibus, qui annis C. perſtiterunt in ſchiſmate vſque ad Concilium Carthaginenſe VI. quod fuit Anno Domini C D. I X. 5. nec ab Eccleſia Græca, quæ ſæpius ab Eccleſia Romana excommunicata, per annos amplius trecentos ad ſanitatem reduci non potuit. Ergo falſum eſt, quod V N I O cum Romano Pontifice SEMPER fuit habita apud veteres pro Nota veræ Eccleſiæ.

Oecum. Subtilius ratiocinaris, Pſeudole, quam vt Dialectici capiant. Nam quum probãdum tibi eſſet, Aduerbium temporis *SEMPER* prodigè à Ieſuitis ſumi, nominas quoſdam, qui tuo ſenſu aliud opinati ſunt, quam in enunciato dicitur, atque hac exceptione: non *SEMPER* verum fuiſſe, quod aſſeritur, colligis. Ac ſi idẽ ſit, *SEMPER* aliquid, & ab *OMNIBVS* fieri, quæ ſummis generibus differunt. *SEMPER* enim id fieri apud aliquos dicitur, quod ſiue à pluribus, ſiue paucioribus, nunquam tamen nõ ab aliquo proficiſcitur. Semper in aliqua prouincia conſuetudo perſeuerat, quæ nunquam, licet apud paucifsimos, interit: Itaque etiamſi darem, quæ imperitè effutiuiſti, nihil tamen minus, quàm quod propoſitum, efficeres, niſi hoc modo, quod non ſine illuſtri mendacio, à te factum, Bellarminianam enunciationem efferas, apud O M N E S veteres *SEMPER* fuit nota veræ Eccleſiæ, vnio cum Pontifice. *Pag. 23.*

Quocirca conuenientius multo Maiores tui, vt de Prodigalitate arguerent SS. Patres, tam Græcos, quæ B. Virginem Mariam ἀειπαρθένον, quam Latinos, qui ſemper Virginem paſsim appellarunt, non produxerunt Cerinthianos, E-

bionitas, Florinum, Heluidianos, Iouinianiſtas, & Lolhardos, qui ſecus opinati ſunt, ſed tempora quædam confinxerunt, quibus Virgo non fuerit, aut fas ſit exiſtimare non fuiſſe, ſicque vniuerſalitatem temporis conſtrinxerunt.

Extat oper Bezæ To. 3. Partus tempus deſignauit Beza in Theſi. 9. ex viginti quinque, quas illi exprobrat Iacobus Andreas Lutheranus: in ea enim mordicus tuetur Ieſum Chriſtum, ex Maria communi hominum more, ac modo cruento natum eſſe,

Ad Rom. 4. ipſaque virginitatis Mariæ clauſtra minimè integra permanſiſſe. Tempus ſubſequens notauit Petrus Martyr, qui ſcribit, neceſſe non eſſe credere, Mariam SEMPER virginem manſiſſe: quam improbè, vel ex Caluino diſces, qui in Harmonia Matth. 1. 25. de perpetua Mariæ virginitate, dicit, neminem quæſtionem moturum, niſi curioſum: NEMINEM inſtiturum, niſi contentioſum rixatorem. Meliores tamen hi in conſtringenda vocula SEMPER, quam tu, fuêre Dialectici.

Cuius etiam ſtupor, ea exempla accumulat, quib. cauſæ tuæ nihil magis poteſt efficere. Nã 1. NVNQVAM aliàs magis perſpicuo exemplo patuit, quanta auctoritate polleret Ro-

An. 198. Victoris an. 5. manus Epiſcopus, & quàm neceſſarium cenſerent Orthodoxi, tanquam membra, illi ceu ca-

Euſ. in Chr. & li. 5. hiſt. 22. 24. 25. Baron. an. 198. piti, in definitis ſententiis copulari, ac Victoris tempore. Orta n. quæſtione de die celebrandi Paſchatis: poſtquam tum Romæ à Victore, tum in Palæſtina, à Theophilo Cæſarienſi Metropolitano, & Narciſſo Hieroſolymorum Epiſcopo, tum in Ponto à Palma, in Galliis ab Irenæo Lugdunenſi, in Græcia à Bachyllo Corinthio, tum deniq; in vniuerſo pene orbe ab Epiſcopis ad Synodos auctoritate Papæ conuocatis, conſenſu ex

ſu ex antiqua Apoſtolorum traditione ſtatutũ eſſet, Paſcha celebrari debere die Dominico: Victor totius Aſiæ Eccleſias & finitimas alias tanquam alterius fidei & opinionis, literis grauiter obiurgatas à communione Eccleſiæ ſeclusit. Factum non probarunt omnes, de poteſtate dubitatum à nemine, qui non obtemperarunt, vt hæretici habiti ſunt, dicti Quartadecimani, ſeu Paſchatitæ, quia ab vnione cum R. Pontifice ſeiuncti ſeueritatis nimiæ ab Irenæo aliiſq; Catholicis quibuſdam Epiſcopis redargutum Victorem ſcribit Euſeb. ex quo colligere Irenæum Pontifici non manſiſſe vnitum, vel exiſtimaſſe vnionem illam non eſſe notam Catholicis, hominis eſt omnis bonæ collectionis ignari, quur non eodem modo infers à Petri vnione auulſum Paulum, quum illi in faciem reſiſteret, quia reprehenſibilis erat. Aliud eſt factum moreſque Pontificis non probare, aliud opinari vnionem cum illo non eſſe ad Catholici nomen tuendum neceſſarium, prius illud detur feciſſe Irenæum: à poſteriore tam fuit alienus, vt nemo ex illius temporis ſcriptoribus NOTAM illam luculentius tradiderit. Ille enim eſt qui libr. 3. cap. 3. apertiſsimè ſcribit: *Ad Romanam Eccleſiam, potentiorem propter principalitatem neceſſe eſſe* OMNEM *conuenire Eccleſiam*, id eſt, *eos, qui vndique ſunt fideles.*

2. Par iudicium eſt de Cypr. cuius ſunt illa li. 1. ep. 3. *Poſt iſta, adhuc inſuper Pſeudo Epiſcopo ſibi ab hæreticis conſtituto nauigare audent, & ad Petri Cathedrã, atq; Eccleſiã principalẽ, vnde Vnitas ſacerdotalis exorta eſt, à ſchiſmaticis, & profanis literis ferre, nec cogitare eos eſſe Romanos, ad quos perfidia nõ poſſit habere acceſsũ.* Et libr. 4. ep. 4. loquens de Cathedra Romani Pontificis: *Scimus hortatos nos eſſe, vt Eccleſiæ* *Baron. ad an. 258. Bellar. li. 4. de Ro. Pon. cap. 7.*

Q 4 *Catho-*

Catholicæ matricem, & radicem agnoſcerent, & tenerent. Scimus, Cyprianum circa Baptiſmi ab hæreticis collati condemnationem, iterationemq́ diuerſa à Stephano ſenſiſſe, eumque in Pontificem acerbius inuectum, ita tamen erraſſe, vt nunquam eos qui aliter ſentiebant, condemnarit, vt conſtat ex Synodicis, & ad Iubaianum litteris, in quibus conteſtatur, ſe haud cuiquam vim facere, aut legem dare, ſed ſaluo inter collegas pacis, ac concordiæ vinculo liberum cuiq́ relinquere, ſequi quam vellet ſententiam: nunquam ſeſe ab Eccleſiæ Romanæ vnitate alienarit: & quoniam certum illi erat vnionem cum capite, *NOTAM* eſſe orthodoxiæ, tãdem quod ſcribit S. Auguſtinus epiſt. 48. ad Vincentium, mutata ſententia ſeſe ad Eccleſiæ Romanæ, Pontificisque iudicium accommodarit, nunquam à Stephano excommunicatum: quod accuratè à Bellarmino aliiſque probatum, non eſt quod hic puti dè ingeram.

Epiſt. 73. & 72.

3. De Athanaſio, neſcio equidem, quid imperitè muſsites, nam ſi non omnino in Eccleſiaſtica hiſtoria peregrinus eſſes, non te lateret, neminem fortaſſe è Græcis laudari potuiſſe, cui magis cordi fuerit vnio cum Rom. Pont. quiq́ magis metuerit diuulſionem ab illo capite, quã Athanaſium. Is enim, & accuſatus apud Iulium Papam ab Euſebianis, & citatus à Iulio, Romam libens venit, & abſolutus à Iulio, Alexandriam rediit, ſed Romanæ Sedi addictiſsimus. Quod autem de Liberio & Felice blateras, nihil planè cauſam tuam promouet. Nam etiam concedatur Liberium tædio exilij miniſque mortis inflexum tandem ad ſubſcriptionem damnationis in Athanaſium, imò hæreſeos, quod negant plurimi Sulpit. lib. 2. hiſt. Socrat. lib. 2. c. 29. Sozomen

Ann. 339. Athan. Apol. 2. epiſt. ad Solita.

zomen.lib.4, c.10. Niceph.lib. 9.c. 35.36.37. nihil tamen hinc aliud efficies, quam peccaſſe actu externo contra fidei conſtantiam, hæreſin autem docuiſſe, aut fuiſſe hæreticum, minimè. teſtatur autem Liberius in epiſtolis, ſe communicaſſe cum Epiſcopis orientalibus, quod inuenerit eorum fidem congruere cum Catholica, & alienam eſſe ab Ariana perfidia: fingebant enim dextrè ſe eſſe Catholicos. itaque licet conſenſerit in condemnationem Athanaſij, ob crimina illi obiecta, fidem tamen illius non reprobauit, ſenſit igitur Athanaſius, etiam condemnatus cum Pontifice, niſi exiſtimes, neminem à Pontifice poſſe ab Epiſcopatu deiici, niſi illum ab vnione remoueat. Fælicis Secundi clarior cauſa eſt, is enim quamdiu Pontifex fuit, Arianos publicè deteſtatus fuit, ideoque Athanaſio ſemper fidei nexu coniunctiſsimus. Hiſtoriæ facem tibi præferet Baronius, Bellarminus, Genebrardus, alij, ſi tamen talpæ lumen, vel à Sole infundi poteſt.

Baro. To.3. Bellar. li.4. de Pontif. c. 9. Azor. To. 2. lib 5. c. 5. Genebr. in Chro.

4. Quæ adducis, de ſeparatione Eccleſiæ Africanæ à Romana per centum ferme annos, mendacia tua ſunt, ex Illyrico, qui epiſtolas illas Bonifacij II. & Eulabij, nullius fidei recitat, vt Bellarminus conuincit, & Baronius, cuius ſolidiſsimæ rationes tibi confutandæ fuiſſent. Sed habeantur veræ, quid efficis? Aurelium contra Romanam Eccleſiã cœpiſſe inſurgere, eius autem exemplo Eulabium, & fortaſſe nonnullos alios: Eulabium verò cognita veritate, iterum ſe Romanæ Eccleſiæ ſubieciſſe, hic enim epiſtolarum ſenſus. Nam non fuiſſe centenarium in Africa ſchiſma ex Africanorum epiſtolis cõſtat, ad Bonifacium & Cœleſtinum, Auguſtino epiſt. 157. & 161. Fulgentio in vita cap. 12. & Annalibus

Lib. 2. de Pont. c. 22. Nota ad Martyro. 16. Octob.

nalibus Eccleſiaſticis, ex quibus diſces, ſi tamen diſciplinæ capax es, nec vnius quidem horæ
Baro. Ann. C.D.XIX. momento, enunciatum eſt Cæſaris hiſtorici, ne dum centum & amplius annorum, qui interceſſerunt à Synodo Carthaginenſi, vulgo VI. ad Bonifacium II. interciſſam fuiſſe Africanæ, cum Romana Eccleſia communionem.

5. At Græcis, omnibusne? non probabis, Cōſtantinopolitanis certè Patriarchis, & horum aſſeclis non fuit perſuaſum cōiunctionem cum Romano Pontifice, eſſe NOTAM verè Eccleſiæ. Poſteriorib. eius vrbis Epiſcopis hanc fuiſſe arrogantiam poſtquam Oecumenici titulum ſibi arrogare ſunt auſi, ſatis notum eſt, at idcirco fuiſſe legitimè excommunicatos, & conſen-
S. Brigit. li. 7. c. 9. Nicol. PP. V ad Gennad. Ipro conci. Floren. c. 5. § 14. ſu orbis vt ſchiſmaticos habitos minimè ſileri debet, ſed nec pœna Deo iudice illis inflicta, ob quam enim aliam cauſam crudeliſsimo Chriſtiani nominis hoſti, & tyranno in poteſtatem ſunt traditi, niſi quod ſpreta legitimi capitis vnione ac fide, adulterini & infidelis iugum ſint meriti? Idem ne vobis contingat Romani deſertores Pontificis metuite. Itaq; minimè prodigè pronunciauit Bellarminus, VNIONEM *cum Romano Pontifice* SEMPER *apud veteres fuiſſe* NOTAM *veræ Eccleſiæ.*

ARTICVLVS IV.

HÆRETICI NVNQVAM LEguntur conuertiſſe vllos Ethnicos, aut Iudæos ad fidem, ſed ſolum peruertiſſe. Contra verò, hoc noſtro ſæculo in nouo orbe multa millia Gentilium Catholici conuerterunt.

Pſeud. ETiam ex hoc fundamento probat Bellarmin. lib. de Notis Eccleſiæ c. 12. & Armandius in ep. ad Chamier. pag. 6. Eccleſiam Romanam eſſe veram Eccleſiam. Nam hæc ipſi nona, Vera eſt Nota veræ Eccleſiæ, videlicet, *Efficacia doctrinæ. Sola*, inquit, *vera Eccleſia habet doctrinam non ſolum immaculatam, ſed etiam conuertentem animas*. Falſitas autem articuli propoſiti demonſtratur euidentiſsimè. Hæretici ſiquidem, hoc eſt, Proteſtantes, Iudæos non paucos in Germania, & alibi ad Chriſtianiſmum conuertunt. Quid? quod ipſe Emanuel Tremellius D. Franciſci Iunij Proteſtantis eximij in tranſlatione Bibliorum ſocius ac coadiutor ex Iudæo naturali, factus eſt Chriſtianus Proteſtans, non ſine Proteſtantium opera. Idem æquè verum eſt de Ethnicis. Nam hoc noſtro ſeculo in nouo orbe, ſeu India Orientali *MVLTA MILLIA* Gentilium à Proteſtantibus ſunt cõuerſa, atque indies conuertuntur, vt teſtantur ipſorum, qui eò ad Euangelium prædicandum miſsi, literæ, aliorumq́ inde veniuntium teſtimonia. Ita vt hoc ipſum negare ſummæ ſit aut inſcitiæ, aut impudentiæ.

Oecum. Tantamne Aeſopi corniculæ ad mẽtiendum eſſe libidinem, & licentiam? eadem opera, dic Pſeudole, in Batauia culicem montem eſſe, laterem turrim, ſaxa roſas, gemas glaream,

ſtillicidia oceanum. Hæc enim æquè, ac quæ confinxiſti,ſunt credibilia. Litteræ enim & teſtimonia, quæ nominas,delirantis ſunt cerebri phaſmata. Cum tot ex nouo orbe venientibus eſt actum, tot lectæ litteræ, excuſi libri, exanimati hoſpites,nunquam de Proteſtantium meſſe inauditum, niſi fortaſſe iis in terris conuerſioni ethnicorum dent operam, quæ nondum inuentæ ab omnium ſunt ſubductæ conſpectibus,aut in illis noui orbis regionibus,quas in lunari orbe perſpicilli aſtronomici opera ſe conſpicere teſtantur moderni Mathematici. Non me fugit Miniſtros Caluinianos ſeſe Catholicis in itinere Americano Nicolai Villagagnoni immiſcuiſſe: Sed nec hoc, nihil inde, niſi confuſionem & ignominiam reportaſſe. Mihi credi non poſtulo,nec aliis, ex noſtro Ordine Iac. Aug. Thuanum aduoco, Proteſtantium delitiũ qui quandocunque in hiſtoria datur occaſio, Lutheranis,& Caluiniſtis, ſe quam accuratiſſimè probare nititur. Sic autem ille ortum, progreſſum, occaſum Indicæ expeditionis, fidei cauſa à Proteſtantibus ſuſceptæ enarrat.

Ann. 1555. Genebr. in Marcell. II.

Lib. 16. Anno 1555.

Vbi appulit Villagagno, ſtatim ad Colinium ſcribit, eumq́ de nauigatione, aduentu in Braſilianam regionem, loci natura, populorum moribus, breuiter inſtruit, & quo ipſum in poſterum æquiorem haberet, ſpem de puriore Religione, ita vocabant, iis locis inſtaurandæ factam confirmat, petitq́, vt ſibi cũ bona eius venia Theologos Geneua accerſere liceat. Ea de cauſa ad Ioan. Caluinum, dedit litteras anno ſequenti, quibus acceptis, ille Symmiſtis rem communicat, habitaq́ ſuper ea re deliberatione, duo ex ipſorum numero deliguntur, qui ad Villagagnonis, & Colonij preces profectionem ſuſcipiãt, Petrus Richerius iam quinquagenarius, & Gulielmus Quadrigarius, quibus ſe comites addidere complures, & in iis

in iis Io. Lerius Heduus. Omnibus ducem ſe præbuit Philippus Corquilerius Pontius, qui ſe ob religionis cauſam Geneuam contulerat: homo Colinio notus: ob idque à Colinio ipſo, vt hanc prouinciam, quæ ad Dei gloriam, vt ipſe aiebat, pertineret, ſuſcipere non grauaretur per litteras ſollicitatus.

Cum ij Caſtellionem ad Loniam, Colinium in Gallia conuenissent, acceptis ab eo litteris, Honflorium profecti ſunt, vbi à Boſio Villagagnonis ſororis F. in eam rem ab auunculo miſſo, humaniter accepti, cum tribus nauigiis egregiè inſtructi XIII. *Kal. Decembr. ſoluerunt, & eadem qua Villagagno via* IV. *Non. promontorium venerunt: ac triduo poſt Sinum Ianuarium ingreſſi Colinium munimentum incolumes petiere.* Hæc itineris ratio. Percipite reliqua, & inauditum ab his Indiæ Apoſtolis fructum:

Vbi appulêre, mox Villagagnone præeunte Eccleſiæ forma conſtituta, ritu, Geneuæ recepto: etiam celebrata cœna, cui Villagagno ipſe interfuit XII. *Kalen. April. ſed cum poſtea controuerſia ſuper ea re inter eos incidiſſet, remiſſus in Galliam Quadrigarius, qui Caluini ſententiam exquireret. Interea ex controuerſia illa* ORTIS SIMVLTATIBVS *Villagagno, à Cardinali Lotharingo, vti creditur, per litteras monitus, Geneuenſeis Miniſtros malè à ſe habitos dimiſit. Et Pontius cum Richerio à ſociis, & Io. Lerio imprimis, quibus ſe comites poſtea adiunxêre Capella, & Boſius in continentem, relicto Colinio munimento migrauit ſub exitum Octobris, octauo poſtquam in Braſiliam appulerat menſe. demum prid. Non. Ian. anni ſequentis nauigio Martini Balduini ſuos imponit, qui varia fortuna iactati ac famem extremam in itinere paſſi, tandem extremo Maio in Britanniam noſtram exſcenderunt.*

Hæc ille, qui diligentiſſimè ex Proteſtãtium Kalendariis tranſcribere ſolet, quicquid ab iis ad perfidiam propagandam eſt deſudatum, & ſutores

ſutores etiam, lanarios, ac cerdones nominare, qui ad ſectam in Anglia, Gallia, Germania acceſſerunt, egregiamq́ nauarunt, ad peruertendum alios operam: & tamen nullius Braſili ad Chriſtum adducti mentionem facit: nihil de laboribus à Proteſtantib. ad conuerſionem gentilium ſuſceptis, ſcribit. Controuerſiæ tantum illius meminit, ad quam ſedandam vt ſupra ex Beza retuli, Caluinus, fratribus indulſit, vt in cœna Dominica in locum panis liceret aliud cibi. & in locum vini aliud potionis genus ſubſtituere, tum ſimultatum, quibus tota eſt diſsipata octimeſtris illa miſsio: cui ſimiles Proteſtanticas fuiſſe, ſi quæ fuere, aliæ, nullus dubito. Et auctores ſunt, qui ex Iapone aliiſque Noui orbis partibus ad nos commeant, nihil magis obeſſe, ad felicem Euangelij curſum, quam Proteſtantium Batauorũ in inſulas illas excurſus: horum n. fraudulentis illecebris auerſi Reguli, Ieſuitis, quibus præter Euangelij proſeminationem nihil aliud in votis, palam aduerſari incipiunt antidhac addicti. Audes ad hæc rictum deducere Pſeudole.

Pſeud. Sint hæc, vt dicis, nam non occurrit, quod opponam; Bellarmini tamen *PRODIGALITATEM* ex Bellarmino ipſo retũdo: nam eodem cap. ad finem ſic ſcribit: *Hoc noſtro ſeculo in nouo orbe multa millia Gentilium Catholici conuerterunt: Iudæorum quoque ſingulis annis conuertuntur, & baptizantur Romæ aliqui à Catholicis Pontifici Romano addictis, nec deſunt etiam Turcæ, qui tum Romæ, tum alibi à Catholicis conuertantur. Lutherani verò,* hoc eſt, Hæretici, *vix VNVM aut ALTERVM conuerterunt. Cum tamen comparent ſe cum Apoſtolis & Euangeliſtis, & habeant in Germania plurimos Iudæos, & in Polonia & Hungaria viciniſſimos Turcas.*

Certè

Certè ſi Hæretici *VNVM* aut *ALTERVM*, hoc eſt, valde paucos, tum Iudæos, tum Gentiles ad fidem conuerterunt. Ergo ſaltem conuerterunt aliquos. Ergo falſum, illos *NVNQVAM* conuertiſſe *VLLOS*, vt habet Articulus Bellarminianus, hoc eſt, *NVLLOS*. nam hęc duo ſunt *ἀντίφατικά*.

Oecum. Non ſemper, nam ſi de diuerſis dicantur, non pugnant, quod contingit in Bellarmini diſputatione, qui primũ de hæreticis quorum vſque ad noſtrum ſeculũ in hiſtoriis mentio pronunciat, *NVNQVAM* leguntur conuertiſſe *VLLOS*, quod probat per annorum centurias: deinde de Lutheranis, aſſerit, tam paucos ab iis conuerti, vt vnum alterumve vix excedant, quod dum fit, *NVLLI* etiam, vulgari, & in ſacris vſitata phraſi dicuntur, vt ex ſuperius traditis, potuiſſet niſi plane fungus, agnoſcere.

Pſeud. Cur non iure, meritoque Bellarmino opponam idem, quod in ſimili cauſa Luthero oppoſuit Ieſuita Gretſerus, qui ſic, *de libris iuris Canonici pronunciat Lutherus. In iis nihil boni ineſt: & tamen* (inquit Ieſuita) *homo inconſtantiſſimus Lutherus, ſtatim verbis proximè ſubiectis confitetur, aliquid boni in decretis ineſſe.* Multa quoque habeo quæ Ieſuitis Indicis refundam, quos nego primos eſſe Indorum Apoſtolos, vt falsò iactant: nego copioſam eſſe gentilium ab iis factam cõuerſionem: nego modum ab iis ad conuertendum vſurpari ſolitum, ſanctum eſſe, aut diuinũ. *Gretſ. de prohib. lib. 1. cap. 24.*

Oecumen. Bellarmino non conuenit, quod Luthero, quia non id iſte, eodem ex ore calidum fundit & frigidum. non dicit pugnantia, conſtat ſibi, quàm qui maximè. Tibi verò, quod ſcurræ diobolari, cuius niſi rapereris

genio nunquam ita pararga tuis intexuiſſet, verè ſcurrilis animi Emblemata. Quid ad prodigalitatem Ieſuitarum in vocibus vniuerſalibus, quod nō ſint primi in India Doctores? id fatentur Ieſuitæ, nec ab iis aliud iactari, vel audiui, niſi à te, vel legi, niſi in tuis vnquā. Quid ad idē caput facit, quod non ſit copioſa in Indico mari Ieſuitarum piſcatio, modo ſit Pontificiorum? De re non diſputo. nam nominare poſſum vnicum Franciſcum Xauier, qui Anno M. D. XLI. Oliſiponæ ſoluit in Indiam, in qua, aliiſque pro animarum ſalute peragratis locis trecenta infidelium millia ad Chriſtum adduxit, quod non Ieſuitæ, aut Ieſuitarum aſſentatoris, ſed hominis docti pijque, qui nihil vel ab iis ſperabat, vel metuebat, eſt teſtimonium. Quid ad noſtrum inſtitutum confert, quem Ieſuitæ modū in conuertendis Indis teneant? licet tu eum ſanctum, diuinumque, id eſt, cœlitus inſpiratum diceres, ſi quæ Antonius Poſſeuinus, alijque viri præclari de eo perſcripſerunt, perpurgatis oculis, & animo perlegiſſes. Quare non committam, vt tuis refellendis nugis immorer. Satius erit vniuerſalem Bellarminianam, alia eiuſdem familiæ Doctoris eximii ſtabilire, vt conſpirare ſcias hos homines.

Boſius li. 6. de ſign Ecc. cap. 3.

Poſſeuin. in Biblioth.

Ea eſt Leonardi Leſſij in conſultatione, *Quæ fides & religio ſit capeſſenda*, vbi hunc in modum ſcribit: *Illa cenſenda eſt vera Chriſti religio, ac proinde amplectenda, ad quam ſemper facta eſt gentium conuerſio. Dominus enim paſſim in Scripturis hanc gentium ad fidem, & verum Dei cultum cōuerſionem promiſit, quæ promiſſio debet impleri. Atqui religio, ad quā gentes OMNIBVS ſeculis ſunt conuerſæ, & etiamnum hoc ſeculo conuertuntur, eſt Religio Catholica & Romana: quod conſtat tum ex huius ſeculi, tum ſuperiorum*

Conſider. 5. pag. 34.

riorum conuerſionibus. Hoc ſeculo I N N V M E R A-B I L E S *conuerſi ſunt,& aſſiduè conuertuntur. In India Orientali, in Iaponia, in maximo Sinarum regno, & in Inſulis plurimis Indici maris. Similiter in nouo Orbe, vbi plurima & ampliſſima Regna. Hi omnes ad Catholicam Religionem tranſeunt, & Eccleſiæ Romanæ adiunguntur: idq́ per Religioſos Viros, authoritate Romani Pontificis ad hoc miſſos.* quibus conſentanea ſunt illa Ignatij Armandi in epiſt. ad Chiamerum, *OMNES nationes QVAECVNQVE de Chriſto aliquid audiuerunt, vel illum receperunt, ab Romanæ Eccleſiæ filiis edoctæ, atque inſtitutæ fuerunt.* Et Gregorij de Valentia in Analyſi fidei lib. 6. c. 10. *Sicut à N V L L A V N Q V A M Hæreticorum ſecta legitur Chriſti fides apud vllas gentes plantata: ita N V L L A V N Q V A M gens Chriſtianam complexa eſt fidē, niſi eorum opera, qui cum Eccleſia Romana cōmunionem habuerunt, eiuſque membra fuerunt.* aliorum deinde ſeculorum texit Catalogum Leſſius, tandemque ad Proteſtantes delapſus: *Ad Lutheranam,* inquit, *Caluiniſticam, & Anabaptiſticam N V L L A eſt V N Q V A M facta gentium conuerſio, N V L L A Paganorum Regnorum auerſio: ſed eorum duntaxat, qui Chriſtianum nomen præferentes, priſtinæ religionis & diſciplinæ pertæſi, libertatem carnis, & nouitatem ſectabantur, defectio. quod eſt perſpicuum hæreſeos argumentum; Hæreſis enim N I H I L eſt aliud, quàm Catholicæ doctrinæ corruptio, & Chriſtianorum à priſtina Religione, retento nomine Chriſtiano, defectio. Et hæreticorum Doctorum ſtudium eſt; non conuertere Ethnicos, ſed peruertere Chriſtianos: Hoc eſt negotium illis,* inquit Tertullianus, *non Ethnicos conuertendi, ſed noſtros peruertendi: hanc magis gloriam captant, ſi ſtantibus ruinam, non, ſi iacentibus eleuationem operentur. quoniam & ipſum opus eorū, non de ſuo proprio ædificio venit, ſed de veritatis deſtru-* *Tertull lib. de præſcrip.*

ctione. Noſtra *ſuffodiunt, vt ſua ædificent. Ita fit, vt ruinas facilius operentur ſtantium ædificiorum, quàm extructiones iacentium ruinarum.* Nec lubet de hoc articulo plura, ſi quid præterea à te obſeruatum in Ieſuitis, profer Pſeudole.

ARTICVLVS V.

PARTICVLA, PROPTER, *CAVſam rei, ſeu meritum* VBIQVE, *ſignificare ſolet, non autem conſequentiam ſeu finem, aut euentum rei.*

Pſeud. PRobat atque concludit ex hoc fundamento Ieſuita Bellarminus libr. 5. de Chriſto. cap. 9. Chriſtum non ſolum *NOBIS*, verumetiam ſibi quoq; meruiſſe æternam gloriam, ſeu vt ipſe loquitur, omnia illa quæ accepit poſt paſsionem: idq; ideo, quia Philipp. 2. 9. ſcriptum eſt: *Humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis: PROPTER quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen.* Et Hebr. 2. 9. *Videmus IESVM PROPTER paſſionẽ mortis, gloria & honore coronatum.* Particula autem PROPTER, *VBIQVE*, inquit, cauſam ſignificare ſolet.

Contrarium habetur ex Thoma Aquina, qui *S. Tho. lect. 4.* Annotatione in ad Heb. 1. ad illa verba: *Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem, PROPTEREA vnxit te Deus, oleo exultationis. Hac verba*, ſcripſit, *exponuntur melius, ita, quod Ly propterea non dicat cauſam meritoriam, ſed finalem, quaſi dicat, ad hoc, quod illa haberes.* quam expoſitionem ſatis pro- *Rib. Heb. 1.* babilem vocat Ribera: nec refutat Salmeron. *Salm diſp. 1* Melchior vero Canus l. 12. de locis c. 13. expreſsè ſcribit:

ſcribit: *Nec opus eſt, vt vox illa PROPTEREA, cauſam efficientem, aut meritoriam denotet.* Franciſcus etiam Suarez Tom. 1. in 3. p. d. 10. ſect. 4. S. Thomæ ſenſum non improbat, quod etiam colligitur ex Dionyſio Vaſquez lib. 2. de Adorat. diſp. 8. cap. 10.

Oecuen. Etiamſi particula, *Propter*, aliquando finem, conſequentiam, euentumq; ſignificet quod non negat Bellarminus. Nam tua ſunt mendacia, non Bellarmini verba, quæ in articuli præſcriptione adiungis, *non autem conſequentiam, ſeu finem, aut euentum rei*, tamen verum eſt Bellarmini effatum vniuerſale. *Particula, PROPTER, cauſam vbique ſignificare ſolet*, non adſtringit autem Bellarminus ad cauſam meritoriã, nec finalem, ſed cauſam vniuerſim nominat. Non enim dabis locum, vbi non cauſam vel efficientem, vel meritoriam, vel finalem denotare ſoleat, iuxta probatorum expoſitionem. itaq; cum propter cauſam *VBIQVE* deſignare ſoleat, quur locis, ad Philipp. & Hebræos adductis non alio modo accipi debeat, optimè deducit Bellarminus Lxx. Interpretũ antiquiſſimorum conſenſu. Itaq; S. Tho. illa ipſa lectione quam nominas, explicans illud: *Propterea vnxit te Deus, oſtendit*, ait, *Chriſti idoneitatem, ad exequendum & gubernandum, vbi dubitatio eſt de hoc, quod dicit, PROPTEREA, in verbis iſtis agitur de ſpirituali vnctione, qua Chriſtus eſt repletus Spiritu S. Nunquid n. ideo repletus eſt, quia dilexit iuſtitiã? Ergo meruit gratiã.* Quo confutato pergit: *in Scriptura dicitur aliquid fieri, quando innoteſcit, ſicut cũ dicitur Phil. 2. Factus obediens, &, Propter q; & Deus exaltauit illũ, & dedit illi nomẽ. Nũquid Chriſtus merito paſſionis meruit eſſe Deus? abſit. Hic n. eſt error Photini. Dicendũ eſt ergo, q; Chriſtum eſſe Deum, excedit omne meritũ.*

ſed per paſſionem meruit, quod manifeſtetur VBIQVE eſſe Deum, & quod Deus dederat illi tale nomen. ita hoc quod dicit, Propterea vnxit te Deus, ſenſum habeat, & hoc quod tu dilexiſti iuſtitiam, meruiſti quod innoteſcat. Illo ipſo igitur Pſalmi loco oſtendit S. Doctor. *Propterea* cauſam ſignificare, & de cauſa meritoria apertè exponit Hilarius lib. 9. de Trinit. Et ſi de Salomone ſit ſermo, is pietate ſanctiſque operibus mereri potuit apud Deum, vt quæ cæteris fratribus Regalem vnctionem, atque regnum obtineret. Si de Chriſto non meruit ille quidem primam incarnationis vnctionem, ſed alias quaſi poſteriores vnctiones, quũ Rex declaratus eſt deſcenſu columbæ, Ioannis præconio, nominis exaltatione, corporis reſurrectione, deniq; gentium ad fidem & obſequiũ conuerſione. Sic Hilarius intelligit de merito, quod Chriſtus iam exiſtens habuit, & ſecundũ ea, quæ cadere potuerunt ſub meritum ipſius: *Conſequens enim*, inquit, *& poſterior cauſa nunquam refertur, vt prior ſit, quia meruiſſe aliquid poſterius eſt, quam eſſe qui poſſit mereri, mereri enim eius eſt, qui ſibi ipſi meriti acquirendi auctor reſtat.* ita illud Apoc. 5. 12. *Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere diuinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.* Si cauſam denotat, occiſionem, ob quam diuinitatem accipere meruerit, exponunt paſsim, quantum ad manifeſtationem Diuinitatis, per eximia venerationis ſigna, quam per paſsionem Chriſtus meruit. quod ſi caperes, non te torqueret rudem in omni parte Theologiæ, qui fieri poſsit, vt Chriſtus meruerit ſua paſsione adorationem latriæ? Hoccine tam tibi videtur incredibile?

Hilar li. 9. de Trin.

Mihi verò, quamuis omnino certũ ſit, Chriſtum non meruiſſe vnionem hypoſtaticam per

ſe vllo modo. Nam Scripturæ hoc donum ſimpliciter adſcribũt amori, pietati, gratiæ, benignitati, viſceribus miſericordiæ Dei, eſt tamen probabile, Deum potuiſſe conferre Humanitati, gratiam vnionis hypoſtaticæ non abſolutè, ſed tanquam ſub conditione, atq; cum quadam dependentia, à futuris operibus, & ſic vt in præmium eorum. Et tunc dicta vnio, quamuis præcederet tempore, aut natura, non fieret per modũ gratiæ gratis, aut abſque meritis datæ: ſed per modum ſolutionis anticipatæ: quo pacto merita vt futura, & præmia, exequutionem Incarnationis præcederent: Chriſtus autem reuelatam ſibi talem ordinationem acceptare potuiſſet, ac referre opera ſua ad illam implendam, & ad Incarnationem non obtinendam, ſed ſoluendam. Quo pacto Princeps militi tribuere poteſt equum & arma, velut ſtipendium futuri laboris, præmiumq; meritorum, quæ ſunt futura, ablati equi, & armorum adminiculo. Sed quo ego dilabor ad ruditatem tuam his minimè aſſuetam ſpeculationibus erudiẽdam? Hoc propoſitum erat demonſtrare *propter*, ſeu, *propterea*, iis ipſius à te allatis locis cauſam deſignare ſolere, & illo quidem Pſal. 44. 8. quibuſdam meritoriã, aliis finalem, vt vel denotatur, quur vnxerit eum Deus, nempe, *quoniam dilexit iuſtitiam*, & oderit *iniquitatem*, vel, vt reddatur ratio, quare dilexerit iuſtitiam, & oderit iniquitatem, quia ſcilicet, *vnxit eum Deus*, vno modo, iniquitatis odium, & dilectio iuſtitiæ eſt cauſa vnctionis: altero, vnctio eſt cauſa priorum effectuum, vel vt ſit idem, *propterea* ac *propter*, quod, tanquam propter finem, vt exponit Auguſtin. *Propterea*, inquit, *vt diligeres iuſtitiam, & odio perſequereris impietatem, vnctus es.* Quo facit locus

Ioan. 3. 10.
Epheſ. 2. 4
Tit. 3. 4.
Luc. 1. 78.

 Luc. 4.

Luc. 4. 18. *Propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus*, id eſt, ad eum finem, veritatis & ſanctitatis docendæ. Vnctus ſum: Vnctio me tanti muneris obeundi, non ſolum idoneum, ſed etiam potentiſsimum efficit, quemadmodũ Tertull. 4. cont. Marcio. Hilar. Com. in Pſ. 52. Theophyl. & Beda in Luc. exponunt: ſed alij planè cauſaliter: *Spiritus Domini ſuper me, propter quod vnxit me*, vt ſenſus ſit, propterea Chriſtum vnctũ fuiſſe poſt Baptiſmum, Spiritu S. viſibiliter deſcendente: quia ante Baptiſmum Spiritus Sanctus in eo erat. Vel, Chriſtum ad euangelizandum vnctum, id eſt, deſtinatũ, ac miſſum, quia Spiritus Sanctus in ipſo erat, eoque agebatur, ne errare poſſet. Spiritus Sanctus fuerat in eo inuiſibiliter, ſed deinde viſibiliter apparuit. Ad idem ſpectat Pſalm. 44. 2. *Propter veritatem, & manſuetudinem, & iuſtitiam, & deducet te mirabiliter dextera tua.* quaſi dicat: Regnabis propter virtutes verè regias, qui enim illis inſtructus, Regno eſt digniſsimus. Didymus: *Cauſa quur ipſe regnes virtutis perfectio eſt, quæ non in actione tantum, verumetiam in cognitione conſiſtit.* Nec aliter Theodoretus Ioan. 6. 57. *Ego viuo propter Patrem, & qui manducat me, & ipſe viuet propter me.* quo loco quæritur à doctis, quid ſit, *viuo propter Patrem?* Διὰ τὸν πατέρα, Auguſtinus & Beda, cauſam finalem notari volunt, Propter Patrem, id eſt, ad gloriam Patris: alij cauſam efficientem, quod robur accipit ex altero membro, quum enim ſubdit: *Ipſe viuet propter me*, non ſignificat propter gloriam ſuam victurum eſſe, ſed propter ſe, id eſt, illis vitam impertiente, victurum: par de cæteris eiuſmodi ſcripturæ locis eſt ratio. Sobriè igitur Bellarminus, non prodigè aſſerit, ſolere particulam PROPTER cauſam V-

BIQVE ſignificare,non ait,debere Vbique,ſed illo ad Philippenſes loco, vbi eſt διό,quod veram continere cauſam,non ſimplicem rei euentum & conſequutionem omnes ferè explanatores aduertunt,& quidem Ambroſius, Theodoretus, Anſelmus,ad humilitatis meritum referunt, Ambroſius: *quid, & quantum humilitas mereatur,hic oſtenditur.* Auguſtinus Tract. 104.in Ioann.*Humilitas charitatis eſt meritum,charitas humilitatis eſt præmium, ſed hoc factũ eſt in forma ſerui.*

Atque ita illud etiam accipiunt in ep.ad Heb. Hebr.2.9. *Vidimus Ieſum propter paſſionem mortis, gloria atque honore coronatum.* Vbi Chryſoſtomus & alij: idemq; ſenſit Baſilius lib. 4.in Eunomiũ, Cyrillus libr.3.Theſauri cap. 2. Auguſt. libr.2. contra Maximinum cap. 5.& omnes Catholici, quicquid Nouatores Hæretici contra ogganniant. Igitur ſi quid ſolidius inuenire potuiſti,in medium adfer Pſeudole.

ARTICVLVS VI.

NVSQVAM INVENIVNTVR *Catholici laudaſſe doctrinam, aut vitam illorum Hæreticorum.*

Pſeup. EX hoc fundamento probat Ieſuita, Eccleſiam Romanam hodiernam eſſe veram,ac ſolam Chriſti Eccleſiam,nam XIII. Nota veræ Eccleſiæ, eſt *Confeſſio aduerſariorum. Tanta,*inquit,*eſt vis veritatis,vt etiam aduerſarios cogat interdum ſibi teſtimonium dare.* Iamverò addit: *Nunquam inueniuntur Catholici laudaſſe doctrinam, aut vitam illorum Hæreticorum.* Contrariũ planiſſimè videre eſt paſsim apud multos; tũ veteres Patres,tum ipſos quoq; Pontificios,qui vel ſoli, **Bellar.li.de Not. Eccle. cap.16.**

vel ſaltem præcipuo nomine Catholici, in Articulo, à Ieſuita intelliguntur.

Oecume. Loquitur Bellarminus de doctrina fidei, & vita huic doctrinæ conſentanea, quâ, ſumma veritatis ſimplicitate, adfirmat *NVSQVAM laudatam, adprobatamque*, ſiue vt veram doctrinam, ſiue vt bonam, piamq; vitam à Catholicis; nam non magis probari poteſt, quàm Hæreſis, vel fucata virtus, aut Hypocriſis. Tu quia Bellarmini enunciatum non intelligis, adfingis illi ſenſum alieniſſimum, quaſi nemo naturales in hæreticis dotes ingenium, linguæ alicuius peritiam, dicendi facultatem, aſsiduitatem lucubrandi, & ſimiles commendauerit, id enim faciunt paſsim Catholici commiſerationis adfectu, qui em ſępe verbis teſtantur, dolentque abuſos, tam præclaris à Deo communicatis munerib. Illam autem eſſe Bellarmini mentem, elucet ex ratione, quam adiungit: *Scimus enim*, inquit, *vnam tantum eſſe veram fidem, & ſine illa nullam eſſe veram iuſtitiam*. Itaque nos conſtanter aſſerimus, *errare omnes, qui doctrinam noſtram*, (quam ? an Grammaticæ, Dialecticæ, Philoſophiæ? Superbiæ hoc eſſet intolerabilis,) ſed fidei, quæ vnica & ſola, *non ſequuntur*. Imò eodem loci in vniuerſali ſua Bellarminus includit Ethnicos, quos Hæreticis copulat, quorum doctrinam, quæ fidei negotium non attingit, non laudant ſolum Catholici, ſed & admirantur, de cœcitate dolent: vitam quoq; exteriorem ad Philoſophiæ præſcriptum in nonnullis commendant, iuſtos tamen, pioſque, verâ, quam fides docet & operatur, iuſtitia, nunquam nominant, quomodo Bernardum, palam Papiſtam vocat Caluinus cap. 10. §. 17. nec Sanctos, quo titulo ęxornat Bernardum, Dominicum, Franciſcũ,

tum Philippus, tum Lutherus. Itaq; Catholici ſic laudant doctrinam, vitamq; ſiue Ethnicorũ, ſiue Hæreticorum, vt ex ipſis Elogiis facile cognoſcatur, à non ſtupidiſsimo, nihil in iis, omnibus abſolutum numeris reperiri, nihil quod extra reprehenſionis ſit aleam, cuius contrariũ videre eſt in Encomiis Catholicorum hominum, fidei, ſanæ doctrinæ, morumque diſciplinâ illuſtrium. Hic ſenſus Bellarmini, quem in ipſis hæreticorum laudationibus poteris animaduertere. *ENCOMIA* pellege.

Philip. Apolog. conf Auguſt. ar. 5 & 27 Luth li. de abrogan. Miſſa.

1. Origenis. S. Hieronymus ep. 65. ad Pammachium & Oceanum: *Obijciunt mihi, quare O*RIGENEM *aliquando laudauerim, ſimplex interpretatio, atq; doctrina ſimplici voce laudanda eſt.* LAVDAVI *interpretem non* DOGMATISTEN, *Ingenium non* FIDEM, *Philoſophum, non Apoſtolum. Quod ſi volunt ſuper Origene meum ſcire iudicium, legant in Eccleſiaſten Commentarios, replicent in epiſtolam ad Epheſios, tria volumina, & intelligent, me ſemper eius dogmatibus contraijſſe, quæ enim ſtultitia eſt, ſic alicuius laudare* DOCTRINAM, *vt ſequaris blaſphemiam?*

Encomium Origenis.

B. Cyprianus Tertulliano Magiſtro vtitur, vt eius ſcripta probant, quumque eruditi & ardentis viri delectetur ingenio, Montanum cum eo Maximillamq; non ſequitur.

FORTISSIMOS *libros contra Porphyrium ſcripſit Apollinaris, Eccleſiaſticam pulchrè Euſebius hiſtoriam texuit, alter eorum dimidiatam Chriſti introduxit Oeconomiam, alter impietatis Arij apertiſſimus propugnator eſt. Nec bonis aduerſariorum, ſi honeſtum quid habuerunt, detrahendum eſt, nec amicorum laudanda ſunt vitia, & vnumquodque non perſonarum, ſed rerum pondere iudicandum eſt.*

Trithemius in Catal. ſcrip. Eccl. *Origenes vir*

magni & excellentis ingenij fuit, ita vt ſtudio & ERV-DITIONE *ſimilem non habuerit. Quum in virum creuiſſet, agere vitam Apoſtolicam inſtituit: ob eius doctrinam, eloquentiam & Apoſtolicam vitam Mammea Alexandri Imperatoris Chriſtianiſſima mater ex Alexandria, Antiochiam acceſſit, & eius mellifluam doctri-*
c *nam cum ingenti admiratione audiuit. Et cùm haberetur, & eſſet inter omnes Eccleſiaſticos* DOCTOR *inſignis, magnis tamen notatur* ERRORIBVS. *Noſtrũ eſt de Origene, cum S. Eccleſia Romana ſentire.*

Vincentius Lirinenſis: ORIGENES *tantus ac talis dum gratia Dei inſolentius abutitur, dum ingenio ſuo nimium indulget, labitur.*

Franc. Ribera Procem. in Malac. ORIGENES *vbi à Regula Fidei non diſcedit, nemo præſtantior, nemo acutior, aut elegantior. Feliciter excogitat, acriter comprobat, aptiſſimè eloquitur, & paucis verbis, theſauros aperit Scripturarum.*

Bellarmin. de Scriptor. Eccleſ. ORIGENES *quamuis doctiſſimus fuerit, deceptus tamen ex Platonis Philoſophia in multos errores incidit.*

2. Tertulliani, Trithemius: *Homo acris & vehementis ingenij, tam in diuinis quàm ſecularibus ſcripturis* DOCTISSIMVS. *Tandem in errorem Montani lapſus dicitur, propter quod eius opuſcula inter apocrypha computantur.* 15. diſt. *Sancta Romana. Et licet in aliquibus errauerit, in multis tamen bene ſcripſit.*

3. Auctoris Operis Imperfecti in Matthæum, Maldonatus Matth. 8. 9. *Auctor* Operis Imperfecti: *Homo vt ex multis locis Commentariorum ipſius manifeſtum eſt Arianus, quo conſilio non ſolemus eum, vt multi faciunt, Chryſoſtomi nomine citare, ne ſanctiſſimi & eruditiſſimi viri auctoritatem, ſpurij & hæretici operis attributione polluamus, nec omnino citaremus, niſi hanc illi, & antiquitas, &* ERVDITIO, *& ſubtilitas interpretandi auctoritatem tribuiſſet, vt*

etiam

etiam hæreticus à Catholicis citari poſſit: ſicut Tertu-lianum & alios nonnullos, quos hæreticos fuiſſe ſci-mus, ſæpè citamus. Similia ſunt reliquorum E-LOGIA.

ARTICVLVS VII.

TOTA ANTIQVITAS PROBAT, principale officium Diaconorum fuiſſe conſumptum circa altare.

Ieſuitæ Anglo-Remenſes in Annotatione Actuum 6.3.

Pſeud. CONtrarium manifeſtè liquet, ex v-nico teſtimonio Caietani, qui in Cō-mentariis ſuis ſuper eundem Act. Apoſtolor. lo cum id negat his verbis: *Diaconi non fuerunt mi-niſtri altaris.* Atq; in hanc quidem Caietani ſen-tentiam, ferè Patres Græcos deſcendere, ac pe-dibus ire, diſertis verbis teſtatur Senenſis in Bi-blioth. lib. 6. Annot. 225. vbi ſic ſcribit: *Thomæ Caietano grauiter indignatur Ambroſius Compſa Epi-ſcopus, quod contra OMNIVM Sanctorum traditionē in Commentariis Actuum ſcripſerit, Septemviros, quos Apoſtoli menſis præfecerunt, non fuiſſe verè Diaconos & Miniſtros ſacri Altaris. Ego hanc rem diligentius per-quirens, inueni apud Eccleſiaſticos ſcriptores, ab VTRA QVE parte, graues auctores ac teſtes. Pro Thoma ſunt o-mnes ferè Græci Patres, in quibus Chryſoſtomus.*

Oecum. Addere oportet Pſeudole, quos Se-nenſis pro altera parte nominat, & tu vafre ſup primis. Recita puer, quod eſt in Senenſi reliquū: *In ſententia Ambroſii, Compſæ Epiſcopi, CVNCTOS penè Latinos inuenio, de quorum numero Arator Dia-conus* lib. 1. hiſtoriæ Apoſtolicæ, horum Diaco-norum munus his verbis expreſsit:

Iura

Iura miniſterij ſacris altaribus aptis,
In ſeptem ſtatuere viris, quos vndique lectos
Leuitas vocitare placet: quam ſplendida cœpit
Eccleſiæ fulgere manus, quæ Pocula vitæ
Miſceat, & latius cum ſanguine porrigat Agni,
Hoc numero delatus honos, ſublimia ſecum
Sacramenta gerit, per quæ me longius ire
Non patitur menſura viæ.

Aratori Diacono, presbyter Beda ſubſcribens: *Hinc iam*, inquit, *decreuerunt Apoſtoli, vel ſucceſſores Apoſtolorum per OMNES Eccleſias ſeptem Diaconos, qui ſublimiori gradu eſſent cæteris, & proximi circa aram quaſi columnæ altaris aſſiſterent, & non ſine aliquo ſeptenarij numeri myſterio.* Hæc Senenſis, quæ ſi probas, vt priora, nihil prodigum reperies in *IESVITIS* Anglo-Reomenſibus, nam quod dicunt *TOTA ANTIQVITAS* intelligere potuerunt de Latina, quur enim Latinos tantum nominare non poſsint Latini? ſed vt Græcos reſpexerint, ita opinor, & bene, ſed te Eccleſiaſticarum rerum, & *TOTIVS ANTIQVITATIS* imperitum fefellit ſubtilior *IESVITARVM* enunciatio, quæ veriſsima; ædes, quæſo, aurium tuarum vacuas tantiſper mihi loca, faxo intelliges.

Aliud eſt quærere, an Septemviri conſtituti ab Apoſtolis ἐπὶ τῆς χρείας, vt dicitur Actuum 6. 3. illo ipſo loco Ordinationem ſacram Diaconorum acceperint, qua deſtinantur ad Altaris myſteriū? Et duplex eſt opinio, altera D. Chryſoſtomi, & Oecumenij, quos nominat Senenſis, exiſtimant enim eo loci non eſſe conſtitutos Diaconos, iuxtà gradum qui nunc eſt in Eccleſia, ſed ad miniſterium duntaxat Eleemoſynæ quotidianum. Addere potuiſſet, quod tibi liberaliter ſuggero, Pſeudole, Origenem, qui e-
iuſdem

iiſdem videtur ſententiæ tractatu 15. in Matth. nam nummularios, de quibus Euangeliū, Diaconos interpretatur, menſis præpoſitos Eccleſiaſticarum pecuniarum, has non bene tractantes, ac diſpenſantes, ſed fraudantes ac inde diteſcentes. Imò ex Latinis, innuit quid ſimile Cyprianus conquerens de Nicoſtrato Diacono li. 2. epiſt. 8. Tandem ſextum Conſtantinopolitanum Concilium Chryſoſtomi probat ſententiam. At, ne neſcias, Canon ille vbi de hac re VI. Synodi vnus eſt ex ſpuriis & confictis. Præter nominatos pro hac parte ſtant Durandus, Caietanus, Michael Medina, & defendi poſſe ait Franciſ. Victoria, & Dominicus Soto. Contraria tamen ſententia eſt communior, & antiquorum omnium penè Latinorum, vt ex Senenſi ipſe proferebas. Sed de hoc non diſputant *IESVITAE* Anglo-Rhemenſes in Pronunciato. *Durand 4. d. 24. q. 2. Caiet Aſſ. & To. 1. O-puſc in 2. Medina de Continent. Sacer. Victor in ſum. de ſac. n. 116. Sot. 4. d. 24. q. 1 ar. 4.*

Aliud eſt diſputare, An Diaconatus ſit Ordo ſacer, quo Diaconi non tantum ad miniſtrandū menſis deputantur, ſed ad ordinem hierarchicum, & multò maximè ad altaris miniſterium, & pro hoc eſt *TOTA* Antiquitas Græca æquè ac Latina, quod caſtè adfirmāt Anglo-Rhemēſes. Primum itaque ſeptem Diaconi ab Apoſtolis fuerunt renumerati, qui exordio ſuæ electionis Menſis præerant: poſtmodum verò ad ſacras functiones ſunt adhibiti. Nam & altari miniſtrabant, baptizabant, verbum Dei prædicabant, præcipuumque illorum erat circa altare miniſteriū, cuius locuples teſtis inter alios eſt *IGNATIVS* epiſt. ad Hermog. Diaconum: *Lectioni*, inquit, *intende, vt non ſolum ipſe ſcias leges, ſed etiam aliis eas exponere, vt Dei athleta. Nemo militans Chriſto implicat ſe negotiis ſæcularibus.*

Idem ad Trallianos Epiſt. 2. *Oportet & Diaco-*

nos

nos Myſteriorum Chriſti miniſtros per omnia placere; nec enim ciborum & potuum miniſtri ſunt (tantū & præcipuè) *ſed miniſterij Eccleſiæ Dei*, ſeu Eccleſiæ Dei adminiſtratores. Poſt nonnulla; *Quid etiam Diaconi niſi imitatores Chriſti miniſtrantes Epiſcopo, ſicut Chriſtus Patri, & operantes illi operationem mūdam, & immaculatam, quomodo S. Stephanus beatiſſimo Iacobo, & Timotheus, & Linus Paulo, & Anacletus, ac Clemens Petro.* quibus ſatis ſignificat Stephanum non ſolis menſis miniſtraſſe.

De Eccleſ. Hierar. c. 2. 3. 5 7. Adfirmant idem Dionyſius Areopagita, qui crebrò meminit in ſua hierarchia Eccleſiaſtica, de Diaconorum ordine ſacro, qui inter alia panem ſanctum, & benedictionis calicem imponant altari, & de iiſdem ſcribit ad Demophilum: nec menſarum temporalium meminit. Origenes Homilia 2. in Cantic. Epiphanius epiſt. ad Ioan. Ieroſol. Ambroſ. l. 1 offi. c. 41. Auguſt. ſer. 13. de S. Laurentio. Leo Pontifex ſer. de S. Laurentio. Iuſtinus Apolog. 2. Concil. Carthagin. IV. Can. 38. Ipſe D. Chryſoſtomus epiſt. ad Innocen. Papam apud Nicephorum lib. 17. hiſtor. c. 19.

Diſertè Cyprianus epiſt. 4. vbi, quum docuiſſet, Epiſcopi ordinationem ritè fieri, teſtante populo vſus exemplo Matthiæ & Diaconorum, de his huiuſmodi cauſam reddit: *Quod vterque idcirco tam cautè & diligenter conuocata plebe tota geratur actio: ne quis ad Altaris Miniſterium, vel ad Sacerdotalem locum indignus obreperet.*

Apud S. Ambroſ. 1. Offic. c. 41. Alan. 2. de Euch. c. 39. Clemens Roman. VIII. conſtitut. cap. 22. refert miniſtratum à Diacono ſanguinem, vt de Beato Laurentio conſtat, aliiſque: quos Gulielmus Alanus idcirco vocatos putat conſummatores, & confirmatores Sacramenti, non conſecratores, vt in quibuſdam Ambroſij eſt codici-

bus,

bus, niſi per conſecratorem intelligas Diſpenſatorem.

Nec verebor hoc loco Pauli auctoritatem vſurpare, qui, vbi Diaconorum meminit, officia eorum, tam ſacra quàm temporalia complectitur: *Diaconos pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum ſectantes.* Nimirum facile erat in hæc incurrere tractantem æs, & cum quibuslibet agentem liberius: *Habentem Myſterium fidei in conſcientia pura.* Obſcurè dictum interpretationum multitudo, & varietas magis implicat & inuoluit. Mihi illud probatur, quod magnis explanatoribus Myſterium abditum, arcanumque ſignificari, quod ad proprium & ſingulare munus Diaconorum ſpectet: Quoniam autem auguſtiſsimum Euchariſtiæ Sacramentum Fidei myſterium nuncupatur, de eo Paulum loqui omnino perſuadeor. Nam olim Diaconus adminiſtrationem calicis, ſeu Sanguinis Chriſti commiſſam, ex Cypriano, Ambroſio, totque aliis nominatis, &, vt ſobriè Benedictus Iuſtinianus, in 1. ad Timotheum, ex TOTA ANTIQVITATE conſtat. Præcipit igitur Apoſtolus, vt Diaconi ſacroſanctum Fidei & Altaris Myſterium, pura caſtaque conſcientia tractent.

1. Tim. 3. 8. 9.

Dionyſ de Eccleſ hier. cap. 3. Chryſoſt & Baſil. in Liturg. Bellar. To. 2. lib. 1. de Sacr. ordi. c. 6. Baron. To. 1. Lorin Act. 6. 3. Valentia To. 4. d. 9 q. 3 p. 2. Anton. Scaynus Annot. 1. Tim. 3. Salmero. 1. Timot. 3 diſp. 12. Et art. 6. 3.

Et, vt intelligas, Chryſoſtomo nunquam veniſſe in mentē Diaconorū munus principale fuiſſe, ſeruire menſis temporalib. eius verba excipe, quæ ad Diac. Sacramenti miniſtros habuit.

Oportet etiam eadem ad vos dicere, vt magno ſtudio, ac diligenti cura dona hæc diſtribuatis. Non parua vobis imminet pœna, ſi quem aliqua improbitate teneri: *Scientes,* *Homil. 81 in Matth.*

ei huius menſæ participationem permittatis, ſanguis eius ex manibus requiretur veſtris. Si Dux igitur quiſpiam, ſi Conſul ipſe, ſi qua diademate ornatur, indignè adeat, cohibe, ac coerce, maiorem tu illo habes poteſtatem. Ita, ſi limpidiſſimus aquæ fons, vt intactum gregi ſeruares, tibi commiſſus eſſet, quum petulcos ſues ac ſordidiſſimos venire aſpiceres, non patereris in fluenta illos deſcendere, nec fontem ab his perturbari. Nunc verò, quum non aquæ, ſed ſanguinis & ſpiritus fons ſacratiſſimus commiſſus tibi ſit, ſi peccatis inquinatiſſimos videbis accedere homines, non indignaberis, neque prohibebis? Et quam veniam huius contemptus conſequeris? Idcirco vos Deus tanto honore voluit decorare, vt hæc diligentiſſimè decernatis. Hæc eſt dignitas veſtra & ſtabilitas, hæc corona præcipua, non vt tunicam induti candidiſſimam, per Eccleſiam ambuletis. Hæc ſat multa opinabar, ad frontem tibi purpura obducendam, ſed non ignoro meretriculæ tibi eſſe, neſciam colorari. Perge igitur grauiter; iacta eſt alea.

ARTICVLVS VIII.

ECCLESIA NOSTRA NVLLVM *errorem*, NVLLAM *turpitudinem*, NIHIL *contra rationem docet, & ſi multa ſupra rationem.*

Bellarm. lib. de Not. Eccl. cap. 11.

Pſeud. ETiam ex hoc fundamento probat *IESVITA* Eccleſiam hodiernam Romanam eſſe ſolam veram Eccleſiam. Nam octaua illi Nota veræ Eccleſiæ eſt, *SANCTITAS* Doctrinæ

Oecumen. Sumit hanc propoſitionem Bellarminus

larminus ex Auguſtino, vt prodigus eſſe nequeat, niſi magno hoc auctore & ſocio. Sic enim ille lib. 2. de Ciuit. 28. *NIHL in Chriſtianis Eccleſiis turpe & flagitioſum ſpectandum, imitandumq́; proponitur, vbi veri Dei, aut præcepta inſinuantur, aut miracula narrantur, aut dona laudantur, aut beneficia poſtulantur* & lib. 22. c. 7. *Perſuadebatur veritas noua conſuetudini, ſed non contraria rationi.*

Pſeudol. Contrarium multis patet modis. 1. Eccleſia hodierna Romana multos errores docet, de ſacra Scriptura, de Eccleſia, de Iuſtificatione, de libero arbitrio, de Sacramentis, de peccato & cæteris: quorum ſingulorum, aut recitatio, aut refutatio, non eſt huius loci, neque inſtituti.

Oecumen. Nondum tam malè cum genere humano agitur, vt ſimplex calumniatoris adfirmatio, ſit falſitatis robur, itaque niſi aliis nitaris præſidiis, fidem nulli facies, quia nullam habes.

Pſeudol. 2. Magnam turpitudinem docet, præter alios, magnus Eccleſiæ ac fidei Romanæ Catholicæ aſſertor Franciſcus Toletus Ieſuita in lib. de inſtitutione Sacerdotum lib. 5. c. 13. vbi ſic ſcribit: *Si quis deſideret deliberatò habere pollutionem ob finem bonum; ſcilicet ſanitatem, vel ad leuandas carnis tentationes, quibus interdiu affligitur, non facit peccatum.* Pollutionem igitur deliberatam & voluntariam, pronunciat non eſſe peccatum, ô turpitudinem turpiſsimam, & turpiſſimæ turpitudinis Doctorem longè turpiſsimum!

Oecum. Exclamationibus & hyperbolicis offuciis non obruitur veritas, ſed vanitas magis elucescit. Quod docet Toletus eo titulo, non eſt doctrina Catholica, quam omnes amplectu-

tur,contrarium enim aſſeruerunt Paludan. in 4.d.8.q.3. Adrian.in 4.q.4.de Euchar. fol. 4. & 12.q.4.art.4.Medina 1.2.q.74.art.6. Ex Ieſuitis, Ioan. Azor.Tom.3.Inſtitut.moral.libr. 3.c. 24. q.3.Eſt tamen probabilis ſententia,quæ Catholicæ doctrinæ non eſt contraria, eamque multis probet Nauarrus in Enchirid.cap.16.n.7.ſequitur Sylueſt.verbo Pollutio. Angelus eodem verbo n.2.Tabienſis 5.Communio. §. 28.S. Antonius par.2.tit.6.cap.5. Cur fraudi ſit Toleto, talium tantorumque Virorum rationi nixam ſententiam adprobare? Neque enim hi mollitiem à Paulo damnatam accerſunt, vel prædicant:nam deliberatam omnem deteſtantur;nō vt tu illis mendaciter imponis,deſiderari poſſe affirmant,ſed de illa loquuntur, cuius non datur cauſa, & quæ in ſe non eſt peccatum. quid, quæſo te,in hac doctrina eſt ſordidum, quænā tot ſuperlatiuis extollenda turpitudo?

Pſeudol. 3. Magnam turpitudinem docet Eccleſia hodierna Romana, quum docet, minus peccare Sacerdotem, ſi fornicetur,aut quā plurimas domi alat &foueat concubinas,quam ſi vnam legitimam vxorem ducat. ita IESVITA Coſterus in Enchirid. Artic. de cœlibatu: *Sacerdos,inquit,ſi fornicetur, aut domi concubinam foueat,etſi peccat,grauius tamen peccat, Eccleſiam grauius vulnerat,& inuerecundius ſcortatur,ſi contrahat matrimonium.*

Oecum. Legiſſes ſequentia,& fideliter ſuperiora recitaſſes,nec opus eſſet noſtro reſponſo. Profer codicem, puer,& fideliter verba adnumera: *Sacerdos ſi fornicetur, aut domi concubinam foueat,tametſi graui ſacrilegio ſeſe obſtringat, grauius tamen peccat,ſi contrahat matrimonium. Sicut eſt leuius peccatum,ſi maritus neglecta vxore, vel vaga libidine*

dine ſe polluat, vel cum ſtabili ſcorto adulterium committat, quam ſi dimiſſa vxore aliam ſibi publico matrimonio iungat [: grauitas enim huius peccati in eo cernitur. Primo quod iniuria fiat priori matrimonio. Secundo, quod vxor per inſuper inductam aliam, grauius lædatur. Tertio, quia per publicum contractũ cum adultera inuerecundius, maiorique cum aliorum offenſione & ſcandalo peccatur. Quarto, quia publica illa fides, & promiſſio indicat animum in peccato obſtinatè confirmatum, qui non per imbecillitatem, ſed deliberatè, immane ſcelus committit. Pari modo Sacerdotes, qui nuptias ineunt, Primò, voto ſolenni caſtitatis iniuriam faciunt, ſecundò, Eccleſiam grauius vulnerant, cum qua tanquam ſponſi ſunt copulati. Tertiò inuerecundius ſcortantur cum ea, quam pro ſua haberi volunt. Quartò, obſtinata perfectaque voluntate in peccato perſeuerant. Quintò, hæreſi vitiatum habent intellectum, quod arbitrentur eſſe nuptias, quæ non ſunt nuptiæ, ſed peiora omnibus adulteriis ſacrilegia.

Hæc prius diluenda eſſent Pſeudole, & tunc de turpitudinis doctrina incuſandus *IESVITA*. Sed quoniã rationibus pugnare nõ potes, pergis côuitiis, & inſulſiſsimo argumentandi genere, ex vna altera ve ſiue Catholicis, ſiue ſuſpectæ fidei Doctoris ſententia qui acerbius in vitã Cleri inuecti ſunt, ſed omnes deteſtãtur, de doctrinã cõmuni colligis. E clero quidã turpiter ac libidinoſe viuũt, ergo Eccleſia Ro. docet turpitudinẽ, ô pinguem te, & ad Ramæã amuſsim dedo latum Dialecticũ! Vis aliquid reponã pro egregiis tuis Nuptiatoribus? ſexcenta poſſem, vnum alterum accipe, ex populari noſtro.

Eraſmus Roterodam. lib. 20. epiſt. ad Epiſcopum Leodienſem: *Oecolampadius hic publicè vxorẽ duxit, puellam ſanè lepidã. Idẽ fecit Concionator Auguſtinenſiũ, & nuper Cõcionator Frãciſcan.* Hac ſanè via

S 2 damnant

damnant illorum hæreſim, qui deteſtantur coniugium. Vnus inter hos erat cœlebs, qui pridem à Magiſtratu damnatus publicitus in foro virgis cæſus eſt, ferreum cingulum collo geſtans, atque ita per carnificem deductus extra portam in exilium perpetuum. Eiecti ſunt ſimul Piſtor illius hoſpes, & huius vxor, quam arte mira perſuaſam, vt à marito ſecubaret, conſtuprare ſolitus eſt non omnino inſcio, vt videtur mar:to. Erat autem iſte noui Euangelij præco.

Idem epiſt. ad fratres inferioris Germaniæ: *Ego noui Monachum, qui pro vna duxerit tres. Noui Sacrificum, alioqui probum, qui duxit vxorem, quam poſt comperit alteri nupſiſſe. Similia permulta de Monachorum, Monacharumq; coniugiis referuntur, qui ductas repudiarint eodem iure, quo duxerunt. Iam, an inter Euangelicos minus indulgeatur libidini, an minus ſit adulteriorum: quid Argentorati fiat, neſcio, quid alibi compertum ſit, mecum nouit populus. Iam vt donemus iſtis Euangelij Præconibus eſſe fas vxores ducere, quis nõ iure admiretur, ouiculas mactationi deſtinatas, nihil in hoc mundo quærentes, præter Chriſti gloriam, tot curis diſtrictos, tot afflictionibus obnoxios, quibus accedit, & paupertas, onus tum miſerum, tum graue, non poſſe viuere ſine vxoribus, quas tam multi ob leuiores cauſas, aut non ducunt, aut ductas nollent. At iſtis omnis tragœdia exit in cataſtrophen comicam. Vbi cõtigit vxor, occinitur: Valete & plaudite. Quæ malum, eſt iſta tanta ſalacitas, quam tot mala non poſſunt excutere, vnde tanta carnis rebellio in his, qui ſe iactant agi ſpiritu Chriſti?*

Idem epiſt. ad Hedionem: *Olim amore Euangelij, qui trahebant vxores, relinquebant vltro. Nunc floret Euangelium, ſi pauci ducant vxores benè dotatas. Vereor, ne multi ducant vxorem, non ob aliud, niſi quia non liceat maiorum legibus. Verum an vxore ducta pro timus conſultũ eſt Caſtitati? Quid ſi ſacerdos, qui prius*

habeba-

habebat concubinam, nunc habeat vxorem cum pellice? Sunt quidam eo nati ingenio, vt decem cucullis coercendi ſint potius, quam ſuo tradendi arbitrio. Certè multos alebat cuculla, qui nunc veniunt in periculum, ne Magiſtra egeſtate, diſcant tollere vnde non oportet.

Hic fructus conceſsi à Quinto Euangelio ſuis præconibus genialis thori.

Pſeudol. At non minor, aut leuior eſt turpitudo, quam docet Romana Eccleſia, dum αἰσχροκερδίας gratia, damnata ab Apoſtolo 1. Timoth. 3. 3. Tit. 1. 7. publicè tolerat, ac impunè permittit meretrices & ſcorta.

Oecum. Quum tacet impudentia, loquitur in te inſcitia Pſeudole, qua incredibiliter laboras. NEC vnquam niſi hiſce eruditis, tam inſulſum exiſtimaſſem Prædicantici ordinis cucullum, vt ignoret, quod nemo, vel inter politicos vel Theologos, aliquis neſcit, Ciuitatum Principes, ac legislatores neceſsitate adductos, meretricum genus, quæſtumq; meretricium poſſe permittere, non αἰσχροκερδίας gratiâ, quod Romæ fieri nunquam vllis infamibus ſcurrarum narratiunculis probabis, ſed vt hoc minori malo, multo maiora mala & ſcelera caueantur. Nam ſi meretrices ab hominum cœtibus alicubi ablegarentur, eodem tempore in illas ciuitates ſtupra, inceſtus, adulteria, ſacrilegia, aliaque innumera flagitia infunderentur, quæ ſapientis Principis eſt, nulla ratione in hominum vita tolerare. Quæ autem de meretricib. dicta ſunt, de iis quæ viros non habent, volo intelligi: nam quæ viros habent ſuperſtites, ab Eccleſia nullibi tolerantur, & in Italia non rarò vinculis, verberibus, exilio puniuntur.

Pſeud. Denique Turpitudinis Eccleſiæ Romanæ, quaſi index & magna copia eſt Taxa ca-

meræ,ſeu Cancellariæ Apoſtolicæ,liber palam impreſſus: Nihil enim tam turpe, tam flagitioſum,tam horrendum,tam fœdum,quod in Curia Romana,per illam taxam Apoſtolicam non liceat,aut abſoluatur pro pecunia.

In Indice Romano. Oecum. Duo mendacia nimis craſsè connectis calumniæ popularis nodo. *NVSQVAM* in Eſpenſæo,quamuis multa ex Zelo,non ſemper ſecundum ſcientiam, ideoque legi paſsim vetito,ne hoc lateat, referente, nec in Agrippa ſæpius exorbitante,reperies,ex præſcripto Eccleſiæ Romanæ in Curia per Taxam,luere omnia,vel, abſolui pro pecunia criminoſos. Nullibi minus quàm Romæ,ſi alicubi per abuſum & fœdam ſimoniæ labem ſint,venalia ſacra reperies. Inibi ſimonia grauius,quam vllibi,& ſacrorum mercatus proſcribitur, ac punitur. Sed ignorantib. facile eſt perſuadere,quæ mulctæ ac ſatisfactionis nomine imponuntur facinoroſis preciũ eſſe facinorũ,aut quæ delinquunt miniſtri,dominis adſcribere:quaſi vitium legis ſit,quod cõtra legẽ cõmittitur. Errata paucorũ, Religionis dogmata. In initio ſeceſsionis, indulgentias vt aboleret indulgentiarũ abuſum taxauit Lutherus: Turpis earũ,quorundam vitio,promulgantiũ nundinatio ſpecioſe proponebatur populo,vt res ludicra videretur, & nullius fidei, quaſi non omnibus quę inſunt in natura noſtra, bonis cœlitus datis,ad ſalutem ſtulti ingratique ad confectãdam prauitatẽ,contẽptumq; Numinis,& aliorũ ſuorũq; perniciem, abuti poſſint.

Pſ. Hoc fateor. At Eccleſiam Rom. multa docere non tantum ſupra rationem, verumetiam *CONTRA* aperte fatetur in Decretis Gratian. d.1.c.5. conſuetudo, his verbis: *MVLTA ſunt CONTRA rationem, tamen congruunt Religioni*, addo, Eccleſiæ Romanæ. Oecum.

Oecum. Rectè dicis, *addo*, nam quod ſubnectis,tua eſt appendix,non Gratiani dictum: Nec præcedentia meus codex habet,in quo ſic legitur: *Porro,ſi ratione lex cõſtat,lex erit omne iam, quod ratione conſtiterit,duntaxat quod religioni conueniat, quod diſciplinæ congruat,quod ſaluti proficiat.* Vbi illud, *Multa ſunt contra rationem?* ne veſtigiũ quidem. At alicubi legitur, ſed & correctio, *propriè non ſunt* Contra *rationẽ,ſed* Supra: nõ admittis emendationẽ, ſit itaq; quod profert abſq; probatione,& auctoritate Gratian.aut potius *PALEA.*

Pſeud. Relinquamus Gratianũ cum ſuo ſenſu: Argumento probemus Eccleſiam Ro. quædam docere,non tantum ſupra, ſed etiã *Contra* rationem,idq; vnico ſaltem exẽplo in dogmate Tranſubſtãtiationis,quod in præſenti ſufficiet.

Docet Eccleſia Romana in almo S. Euchariſtiæ Sacramento, poſt panis & vini conſecrationem, Dom. noſtrũ Ieſum Chriſtũ, verũ Deũ atq; hominẽ, verè realiter ac ſubſtantialiter ſub ſpecie illarũ rerũ ſenſibiliũ cõtineri. Sic n. expreſſis verbis Conc. Trid. *cuius vox*, inquit Bellar. *Eccleſiæ Cathol. vox eſt, quam omnes Catholici vt Magiſtrã ſequẽtur.* Hęc aũt cõſecratio, de quo in Decr. Conciliũ fit illis voculis: *Hoc eſt n. corpus meum. Hic eſt enim Sanguis meus.* His prolatis fit realis atque ſubſtantialis conuerſio, ac mutatio panis in corpus, vini in ſanguinẽ Chriſti, ita vt panis viniq; ſubſtantia neutiquã maneat, ſed in ſubſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti conuertatur. *Hunc* autem conuerſionis ſeu mutationis modũ Nouo *ſpeciali* atque in primitiua Eccleſiã vocabulo planè ignoto, proh ſcelus! Eccleſia Rom. vocat *Tranſubſtantiationem.* Iam veræ horrendũ hoc *Tranſubſtantiationis* portentum, non tantum eſſe ſupra rationem, verumetiam contra, ſufficienter, ſic probo:

Conc. Trid. Seſſ. 13. c. 1.

QVICVNQVE docet dogma, quod repugnat humanis ſenſibus, ille docet dogma aliquod, quod non modo ſupra, ſed etiam contra rationem eſt, ſed Eccleſia hodierna Romana docet tale dogma, vt patet in TRANSVBSTANTIATIONE panis & vini in Euchariſtia. Ergo.

Oecumen. Quoties ad has ineptias ſymmyſtis tuis eſt reſponſum? Vis vt breuiter, & tibi? Maior tunc admitti poteſt in propriis ſenſuum obiectis, omnibuſque ad ſenſationem requiſitis. Quid ſi erret ſenſus, RATIO, vel FIDES, Deique verbum ſenſuum iudicium poteſt corrigere. In tranſubſtantiatione autem vt corrigat, haud eſt opus, nam ſubſtantia ſenſibus per ſe ac immediatè non percipitur. Sed accidentia, quæ non mutantur. Vt autem ante conſecrationem ſubſtantia panis in accidentum inuolucro ſenſibus obiiciebatur, ita & corpus Domini poſt conſecrationem, non in propria ſpecie, ſed aliena immediatè attingitur oculis, manibus, lingua ipſoque pectore. TRANSVBSTANTIATIONEM autem ex verbo Dei haberi integris libris à Romanenſibus demonſtratum eſt.

Bellar. de Not. Eccleſ. c. 11. ar. 14. Pſeudol. At Bellarminus, vt probet Lutheranos multa docere, nõ modo ſupra, ſed etiam contra rationem, hoc modo alicubi diſputat: *Lutherani habent quaſi proprium errorem illum maniſeſtiſſimum, quòd infantes dum baptizantur, vtantur ratione, audiant verbũ Dei, credant, diligant, quod in Synodo VVittenbergenſi Anno M. D. xxxvi. publicè definiuerunt, quod tamen apertè repugnat veritati. Quomodo enim credibile eſt, infantem, qui plorat, & reluctatur, quantum poteſt, dum abluitur, intelligere quid agatur.*

Oecum. At hoc eſt argumentum Auguſtini, qui

qui epiſt. 57. ad Dardanum ita ratiocinatur, cō-ſtat infantes & vocis eiulatu, & motibus corporis reluctari, ac obſtrepere Baptiſmo. Itaque fidem actualem non habent. Cur ita? Nam ad fidem actualem opus eſt notitia eorum quæ fiunt, quam ſi haberent paruuli, & obluctarentur, rei fierent ſacrilegij, nec abluerentur, ſed magis contaminarentur.

Pſeudol. Verùm enimerò Bellarmini iſthæc eſt infirma probatio. Quicunque docet dogma, quod repugnat humanis ſenſibus, ille docet aliquod, quod non eſt modo ſupra, ſed etiam *CONTRA* rationem. Atqui tale dogma docent Lutherani, qui requirunt fidem actualem in Baptiſmo paruulorum: Verto ego. Atqui tale docent Pontificij in Tranſubſtantiationis titulo. Ergo.

Oecum. Fruſtra es Pſeudole. Sophiſtam agis, ſed omnino plumbeum, non iſta eſt forma Bellarminianæ ratiocinationis, & ſi eſſet, errares manifeſtè, in collectione. Nihil enim eſt in Euchariſtia, quod repugnat ſenſibus, patent enim illa, ac ſunt eadem, quæ ad ſenſus ſpectant: in puerorum Baptiſmo illa ſenſibus obiiciuntur, ex quibus ratio neceſſariò colligat pueros minimè, quod agitur, intelligere: quum nihil ſit quod contrarium ſuadeat. Vide quàm Thraſonicè à te iactatum ſit, *PRODIGOS* eſſe *IESVITAS*, dum aſſerunt, Eccleſiam Romanam
Nullum errorem, Nullam turpitudinem,
NIHIL contra rationem docere. Habes aliud?

ARTICVLVS IX.

OMNES THEOLOGI, ET ETiam Omnes Patres docent, Chriſti animam ab ipſa ſua creatione fuiſſe repletam ſcientia & gratia, ita vt Nihil poſtea didicerit quod antea neſciret.

Bellar. lib. 4. de Chriſto cap. 1. Art. vlt.

Pſeud. COntrarium ex Theologis ſenſit Thom. Aquinas, ſummus apud Pontificios Theologus, cuius verba ſunt 3. p. q. 9. art. 4. *Quamuis aliter alibi ſcripſerim, dicendum eſt in Chriſto fuiſſe ſcientiam adquiſitam, quæ propriè eſt ſcientia ſecundum modum humanum, non ſolum ex parte ſubiecti recipientis, ſed etiam ex parte cauſæ agentis.*

Oecu. O tē hominem *OMNIS* bonæ Theologiæ, & ratiocinationis ignarum! aut impoſtorem manifeſtum! optime conſentiunt, *NIHIL* didiciſſe Chriſtum, quod antea neſciret, vbi cōtra Agnoitas aſſerunt *OMNES* Theologi, & habuiſſe ſcientiam *ADQVISITAM*, quod do-
S.Th.3.p l.c cet Thomas, & cum eo maior meliorq; Theo-
Suarez. q. logorum ordo, quamuis enim Dominus non
12. d. 30. adquiſiuerit operationibus ſuis, cognitionem
Vaſquez q. vllius rei, quam prius altiori modo non cogno-
diſp. 52. uerit, ſcientia trans naturaliter illi communicata, adquiſiuit tamen actibus ſuis ſcientia, Eumanias quæ per intellectum diſcurſumque humanum poſſunt generari, & quis neget comparaſſe Chriſtum ſpecies aliquas intelligibiles, per intellectus agentis officia, quem minime fuiſſe in Chriſto otioſum, ſuadet ratio.

Pſeudol. At Chriſtum ignoraſſe verè diem

vltimi

vltimi Iudicij quoad humanitatem, ſtatuiſſe multos *Patres* veteres, teſtis eſt ipſe Maldonatus Ieſuita Matth. 24.36.his verbis: *Multi veteres & graues auctores, vt Athanaſius ſerm. 4. contra Arianos. Ambroſius lib. 5. de fide cap. 8. Gregor. Nazianzen. Orat. 4. de Theol. Auctor diſputationis inter Arium, & Athanaſium coram Probo. Theodoretus Anathematiſmo 4. contra Cyrillum.*

Oecumen. Scribit quidem Maldonatus, hos apertè docuiſſe, Chriſtum, quatenus hominem diē iudicij ignoraſſe, ſed & explicat, adſirmatq; inprimis, Chriſtum tanquam Deum nihil ignorare potuiſſe, tanquam hominem verò, neque diem iudicij, neq; quicquā aliud ignoraſſe. Itaq; mendacium tuum eſt, quod ſcribis, Maldonatū aſſerere, multos veteres Patres ſtatuiſſe, quod Chriſtus verè vltimi Iudicij diem quoad humanitatem ignorauerit. Nam illud quatenus hominem ſi ſpeciem ſignificet hoc ſenſu: Chriſtus intellectu humano, ſeu, quoad humanitatem, verè neſciuit diem Iudici, omnino falſum eſt, nec à nominatis Patribus docetur: ſi cauſam notet, hoc intellectu, Chriſtus ignorauit, id eſt, nō ſciuit diem iudicii, quia homo erat, ſed quia Homo-Deus, nam ſi homo tantum fuiſſet, quātumuis perfectus, quantumuis Deo gratus, non ſciuiſſet illum, quemadmodum neque Angeli ſciunt, qui & perfectiſsimi, & amiciſsimi Deo ſunt. Et hæc eſt Patrum illorum ſententia, quæ minimè aſſerit, Chriſtum hominem verè diem iudicii ignoraſſe, ſed non ſciuiſſe eo titulo, quia homo erat.

S. Ambr. l. 5. de fide c. 8. proponens quorundā opinionem, qui dicebant, Chriſtum vt Deum omnia ſciuiſſe, non autem vt hominem, quia ſcriptum ſit: *Proficiebat ſapientia*, illam refellit ſuam.

ſuamq́ ita explicat: *Hæc alij dicant, ego autem multo magis arbitror, quod Filius qui cum hominibus conuerſatus eſt, & hominem egit, & carnem ſuſcepit, noſtrum adſumpſit adfectum. Vt noſtra ignorantia neſcire ſe diceret, non quod aliquid ipſe neſciret.*

Greg. Nazianz. Orat. in Baſilium: *Proficiebat ſapientiâ, non vt incrementum aliquod acciperet, quũ ab initio Dominus gratia ſapientiaq́ abſolutus eſſet, ſed quod hæc hominibus ignaris paulatim apparerent.*

Athanaſius ſerm. 4. contra Arianos: *Eſtne ille homo, vt vulgus hominum, an Deus humanitate, & carne indutus? quod ſi vulgaris eſt homo, eſto, vt pro cõditione aliorum hominum profectus capiat. At iſtius modi eſt Samoſatenſis ſententia, quam vos tanto animo & ope fouetis.*

Harm. Luc. 2.40. *Matth.* 24. 36. *Matt.* 22. 16.

ERROR itaque Caluini eſt, vt Samoſatenſis olim, Chriſtum Dominum ſecundum naturam humanam fuiſſe ignorantem, ignoraſſe diem iudicij: &, quænam eſſet illa arbor, cui maledixit? quæ blaſphemia iam pridem fuit damnata in Gnoſticis, Arianis, Samoſatenſibus, Agnoitis; tum à Patribus, tum à Theologis, tum ab ipſa Scriptura. Nam de Chriſto homine dictum eſt

Iſa. 2.1. *Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ & intellectus; ſpiritus conſilij & fortitudinis; ſpiritus ſcientiæ.*

Ioan. 1.14. *Verbum caro factum eſt, plenum gratiæ & veritatis, de plenitudine eius nos omnes accepimus.*

Coloſſ. 2.3. *In quo ſunt omnes Theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi.* Nullus igitur ignorantiæ locus, quibus ſatis ſuperq́ innoteſcit mendax in Bellarminum de Prodigalitate calumnia. At perge audacter, Calumnia ſi non ſemper vulnus, ſui ſignum relinquit.

ARTI-

ARTICVLVS X.

OMNIA PONTIFICVM DECRETA, etiam in OMNIBVS *dogmatibus inter ſe conueniunt.*

Bellarm. lib. de Not. Eccl. cap. 10. ar. 8.

Ita ſibi cohærent, ita ſecum in OMNIBVS *conſentiunt, vt* NVLLA *in eis, audacter dicimus,* NIHIL *timemus,* NVLLA *in eis vel minima diſcordia reperiatur.*

Bellarm. concion. de veritate Cathol. doctrin. §. Neque.

Pſeud. CONtrarium pluribus videre eſt apud Eraſmum Roterodamum Annotat. in 1. Cor. 7.

Oecumen. Eraſmi auctoritas in litterulis, & ſyllabis Grammaticalibus fortaſſe eſt aliqua, fuit enim in iſtiuſmodi ſtudiis non omnino ineptus, in rebus ad Theologicum theatrum ſpectantibus quanta ſit, docebit te Alphonſus Salmeron, in quo hoc eſt *ERASMI ELOGIVM*, quod te non latet, *ERAſMVS propter lubricam fidem, ambiguum eſt, ſitne inter HAERETICOS, an inter CATHOLICOS connumerandus: neque enim Eccleſia Dei inter HAERETICOS & CATHOLICOS, medios ſeu indifferentes homines, hoc eſt, neutri parti addictos, agnoſcit, quæ cum ſponſo ſuo, & capite Ieſu Chriſto dicere poteſt: Qui non eſt mecũ, contra me eſt. Et, qui non colligit mecum, ſpargit. Quod crimen, vt ſic dicam, NEVTRALITATIS, vt inexpiabile obiecit ei, dum adhuc viueret Iacobus Latomus Doctor*

Salmer. in ep. Pauli li. 1. d. 19. § Inprimis.

Doctor Louanienſis. A multis viris doctis, & Catholicis PRAECVRSOR *Lutheri habitus eſt, vt hic* ERASMVS *poſuiſſe oua, Lutherus excluſiſſe perhibeatur.* Bellarminus autem, ERASMVS, inquit, *à doctrina eorum*(Proteſtantium) *non omnino abhorrere viſus eſt.*

Bellar. de notis Eccle. cap. 13.

Pſ. Non vnius Eraſmi auctoritate nitor, nec exemplis, ſed aliis quàm plurimis, quæ tum apud Balæam in hiſtoria de vitis, & Romanor. Pontificũ geſtis, & alios inueniuntur, quæ nullius ingenio conciliari poſſunt, vt Zachariæ, & Greg. III. in Matrimonii titulo diſsidium. Formoſi, Sergii, ac Stephani R I. inimicitiæ capitales. Papæ Nicolai, & Pelagii definitiones contrariæ. Cœleſtini, & Ioannis XXII. aduerſa decreta. Pij IV. & Clementis VIII. in libror. prohibitione diſcordia. Quid? quod Pontifices multi Romani, hæretici fuerint atq; adeo hęreſin docuerint vt Liberius, Anaſtaſius II. Cœleſtin. Ioan, XXII. Zepherinus, Honorius. Concludo igitur, falſum eſſe, quod OMNIA Pontificum Decreta, etiã in omnib. dogmatib. inter ſe cõueniunt, ita vt nulla in eis vel minima diſcordia inueniatur.

Oec. Balæus minoris eſt fidei, quam Eraſmus apertus hæreticus, manifeſtus calumniator. In decretis Cõcilior. & Pontificũ quædã pugnantia videri prima fronte, quæq; nõ facile poſsint ab ignaris conciliari, negauit nemo Catholicus, nam hoc etiam vſu venit in ipſis Diuinæ Scripturæ enunciatis, adeo vt neceſſarium putauerit vir ſummi ingenij Auguſtinus libros cõſcribere *de Conſenſu Euangeliſtar.* poſt quos tamen nõ defuerunt è veſtris, adfirmare auſi, *Euangeliſtas ipſos interdum recepto errori aliquid ex charitate condonaſſe, & propter opinionem publicam à veritate hiſtoriæ deflexiſſe, adeoq; præter veritatem quædam ſacro textui*

Franci. Iunius loc. com. p. 61.

textui inſeruiſſe. quid illi non audeant de Pontificum & Conciliorum Decretis? Porrò, quod Bellarminus aſſerit, intelligit de decretis fidei, quæ nullis temporum arctantur ſpatiis, non de illis, quæ factum peculiare, aut permiſsionem alicuius, quod in ſe minimè malum, & ob circumſtantias mutari poteſt, reſpiciunt. Eſt enim illa poteſtas in Principe, vel Repub. vt quæ merè ciuilis, humaniue ſunt iuris, ſi neceſsitas, vel ciuium ſalus id exigat, mutet vel abroget.

Iuſtinianus Nouell. 127. *Noſtras leges emendare non piget nos, vbique vtilitatem ſubiectis inuenire volentes.* Idem de ſe vſurpare poteſt Pontifex, qui licet, quum totam Eccleſiam docet, in his quæ ad fidem pertinent, nullo caſu errare poſsit, quicquid aliqui minus conſideratè dixerint: & vt in decretis fidei, ita nec in præceptis morum, quæ toti Eccleſiæ præſcribuntur, quæque in rebus neceſſariis ad ſalutem, vel in iis quæ per ſe bona vel mala ſunt, verſantur, quicquam præcipere, quod errorem hæreſimve ſapiat, tamen in præceptis indiciiſve particularibus, aliquem è Pontificibus errare, aut legem aliquam ſuperfluam condere, vel minus diſcretam, multoq; magis, quæ non omnium gentium moribus, & ſemper ſit futura opportuna, non eſt abſurdum dicere, vt ex ipſo Bellarmino diſcere potuiſti. *Lib. 4 de Pont. c. 5.* Itaque mirum non eſt, ſi quæ vnus aliquando de moribus, ritibus, conſuetudinibus decreta ſanciuit, poſt aliquod tempus alius mutauerit: vnus indicauerit permittendum quidpiam, inhibuerit poſterior. Quidam conceſſerit, interdixerit alius, vti factum, in ſpeculo oculari Ioannis Reuchlini, ſeu Capnionis, quod vetuit Paulus IV. & Index libror. prohibitor. Pij IV. ſeu Concilij Trid. conceſſerat autem Leo X.

Bulla 37 in Bullario magno.

Rectè namq; Paulus IV. *Apoſtolicæ Sedis prouidentia circumſpecta, nonnunquam ea, quæ conſultè ſtatuerat, ex ſaniori iudicio conſultus reuocat, prout ex rerum euentu conſpicit in Domino ſalubriter expedire.*

Ioan 22. Extrau. Quia nonnunquam.

Quia nonnunquam, quod coniectura profuturum credidit, inquit alius Pontifex, *ſubſequens experientia nociuum oſtendit: non debet reprehenſibile iudicari, ſi Canonum conditor, Canones à ſe, vel ſuis prædeceſſorib. editos, vel aliqua in iiſdem contenta Canonibus, reuocare, modificare, vel ſuſpendere ſtudeat, ſi ea obeſſe potius viderit, quam prodeſſe. Nam ad conditorem Canonum non eſt dubium pertinere, quum ſtatuta à ſe, vel prædeceſſoribus ſuis edita obeſſe percipit potius quàm prodeſſe, nec obeſſe valeant, prouidere.* Idem in ciuilibus legibus contingere ob variationem perſonarum, cauſarum, temporum & locorum prudenter notat Gloſſa. Hinc tot leges antiquatæ, mutatæ, auctæ, ſapienter ſiquidem Iuſtinianus: *Quod medicamenta morbis, hoc exhibent iura negotiis. Vnde conſequuntur, vt nonnunquam à iudicio diſcordet effectus, & quod credebat coniectura prodeſſe, experimẽto videatur inutile. Itaque vnus idemque legislator nõnunquam inducit, quod prius ſcripſerat, ſi e Repub. eſſe mutationem didicerit. Non enim ſi his, quæ vel ipſi prius diximus, rectius aliquid excogitemus,* inquit idem Iuſtinianus, *pudet nos in legem id conycere, & per nos ipſos competentem prioribus correctionem adferre potius quam expectare, dum ab aliis lex corrigatur. Quocirca non eſt, quod ſucceſſores imprudentiæ, temeritatiſve arguantur. Si nonnulla anteceſſorum decreta reſcindant: id enim nonnunquam temporum, rerumque conditio poſtulat, qua ſit, vt quod prius erat vel maxime fructuoſum, aut neceſſarium, poſtea niſi remoueatur, ſit exitiale.*

Extra ad Conditore.

Nouell. 121.

Sola ergo Decreta, quibus fidei dogmata ſanciuntur, quippe veritatis æternæ, ac immutabi-

lis,

iis,talia ſunt,vt antiquari non poſsint;&quoniam Pontifex in iis errare non poteſt, fieri nequit,vt diuerſorum decreta, pugnantia contineant,itaque *OMNIA* inter ſe præclarè conueniunt, & *NVLLA* in iis vel minima reperitur diſcordia.

Non dubito equidem, quin tu hic expectes, vt longo,ſed minimè neceſſario excurſu,doceam,quomodo cõſentiant Decreta Ioannis XXII & Nicolai. Innocentis III.& Cœleſtini.Pelagij, & Gregorij I. Innocentis & Alexandri III.Zachariæ,& Gregorij III. Formoſi & Sergij III. Conſtantini II. & Stephani III. Formoſi & Stephani VI. aliorumque quos nominare poſſes.deinde quomodo ab hæreſis ſuſpicione eximantur Liberius, Cœleſtinus, Honorius, Vigilius.Sed ab hoc ego conſultò abſtinebo,quippe qui conſtitutum habeant, neque actum agere,neque quæſitis,& ad rem minimè facientib. otioſorum hominum fabulamentis, refellendis,tempus, quod melioribus occupationibus transcripſi, impendere. Et ſanè totus hic locus tam accuratè,ac plenè à Bellarmino, Baronio, Azorio eſt pertractatus,vt planè perfrictæ frõtis, ſtigmatiſque egregiè compunctæ ſit oportet, cui ipſorum dicta non ſatisfaciunt.Ex quibus igitur,obuias vel Theologiæ tirunculis obiectiones,putidè ac imperitè cõcinnaſti, ex eorũdem arculis reſponſ deſumenda erant, nouiſque diluenda ingenij vel hiſtoriæ certioris teſtimoniis,quod quoniam neque tu Myſorum vltimus,neque vllus è veſtris illis Rabbinis inter cœcos Luſcis, & hoc titulo glorioſis præſtare hactenus potuit,ad antiquas cauillatorum artes,qui mos hæreticorum peruetus,deflectitis,ea propter ſapientib.ludibriũ debetis,reſpõſum aliud non meremini. T Iu-

Bellar. li. 4. de Pont. à cap. 8. Baron. variis annis. Azor. To. 2. lib. 4.

Iudex. Vt nobis etiam de veritate conſtet, adferantur extemplo nominatorum codices: vt factum ocius, ab accenſo quibus apertis patuit omnibus, alienis ſe plumis exornaſſe corniculam, & nihil opus eſſe aliis ad diluendas obiectiones, inde petitas reſponſionibus. Imperatum igitur Pſeudolo poſt confuſam aſtantium, exſibilationem, vt ſi quid præterea notaſſet in Ieſuitis, produceret.

ARTICVLVS XI.

NVLLA EST HAERESIS, QVAE non accipiat nomen ab aliquo homine auctore ſuo, & nomen Chriſtianum iis relinquat, à quibus diſcedit. Sic enim hæretici huius temporis, alij Martiniſtæ, vel Lutherani, alij Zwingliani, alij Caluiniſtæ dicuntur. Nos autem ab aliquo certo homine NEMO VNQVAM *vocauit.*

Bellar. lib. de Notis. Eccleſ. cap. 4.

Pſeudol. HAec prima veræ Eccleſiæ Bellarmino eſt NOTA, ex qua probat, hodiernam Eccleſiam Romanam eſſe veram ac ſolam Eccleſiã. Articuli autem propoſiti falſitas multis patet modis.

Oecumen. Quamuis mendaciorum conſutor coneris eſſe eximius, tamen impudenter mentiendo perſæpe perſuadendi, quæ probabiliter ſubinde tuis interſeris, vim omnem perdis, quod contra mentiendi artem eſt delictum

non mediocrè, hoc tum alibi, tum hic à te commiſſum recole. Bellarmini verba ſunt: *Prima Nota eſt, ipſum Catholicæ Eccleſiæ & Chriſtianorum nomen*: quod probat manifeſtis Auguſtini contra epiſt. Fundamenti cap. 4. Cyrili. Catechesi 18. & Paciani epiſt. ad Symphronianum teſtimoniis. Huius autem hærens veſtigiis: *NVLLA* (inquit) *eſt hæreſis, quæ non accipiat nomen ab aliquo homine auctore ſuo, & nomen Chriſtianum iis relinquat, à quibus diſcedit.* quod demonſtrat ex Iuſtino Dial. cum Triphone, vbi claré: *Sunt diſtincti* (Hæretici) *cognominibus, denominati à quibuſdam viris, vt quiſque fuit auctor alicuius nouæ doctrinæ. Ex his alij vocantur Marcioniſtæ, alij Valentiniani, alij Baſilidiani, alij Saturniniani, alij alio vocabulo, QVISQVE à primo inuentore ſui dogmatis.* Non magis ergo de Prodigalitate accuſari poteſt Bellarminus, quam Iuſtinus, & cæteri Patres, quos nominat.

Irenæus lib. 1. c. 20. *Habent & vocabula à Principe impiiſſimæ ſententiæ Simone, dicti Simoniani.*

Lactantius libro 4. cap. 30. *Quum Marcionitæ, aut Ariani nominantur, Chriſtiani eſſe deſierunt, qui Chriſti nomine amiſſo, humana & externa vocabula induerint.*

Athanaſius ſermone 2. contra Arianos: *Nunquam populus ab Epiſcopis ſuis, ſed à Domino, in quem creditum fuit, nomen accepit. Certe à beatis Apoſtolis præceptoribus noſtris appellationes adepti non ſumus, ſed à Chriſto Chriſtiani ſumus, & nuncupamur. Illi verò qui aliunde originem ſuæ fidei deducunt, merito Auctorum ſuorum cognomenta præ ſe ferunt. Quapropter quum à Chriſto, omnes Chriſtiani eſſemus, & diceremur, exploſus eſt Marcion inuentor hæreſeos, reliqui autẽ qui remanſerũt Chriſtiani, titulũ retinuerũt,*

T 2 qui

qui verò Marcionem ſequuti ſunt, non iam inde Chriſtiani, ſed Marcioniſtæ appellati ſunt. Ita quoque Valentinus, Baſilides, Manichæus & cæteri, Sectatoribus nomina impertierunt.

Chryſoſt. Homil. 33. in Act. Apoſt. *Illi habent quoſdam, à quibus appellantur. Prout enim hæreſiarchæ nomen, & ſecta vocatur. Nobis autem* NVLLVS *vir nomen dedit, ſed fides ipſa.* In quibus continentur illa Bellarmini: *Nos ab aliquo certo Homine Nemo vnquam vocauit.*

Hieronymus contra Luciferianos in fine: *Sicubi audietis, eos, qui dicuntur Chriſtiani, non à Domino Ieſu Chriſto, ſed à quoquo alio nuncupari, vt Marcioniſtas, Valentinianos, ſcito non Eccleſiam Chriſti, ſed Antichriſti eſſe Synagogam.*

Pſeud. At enim, non omnis hæreſis nomen ſuum accepit ab aliquo homine, auctore ſuo: quia varium ac multiplex ſuæ denominationis habet fundamentum.

Oecum. Vbique vel impudentiæ, vel inſcitiæ impreſſa relinques veſtigia fatuelle. Bellarmini enim illa vniuerſalis propoſitio, quàm à Patribus accepit, *NVLLA eſt hæreſis, quæ non accipiat nomen ab aliquo homine auctore ſuo*, non eſt inter illas, quas Dialectici *Excluſiuas* vocant, quæ ſigna habent vel tacitè, vel expreſsè excluſione denotantia, *TANTVM, SOLVM, DVNTAXAT.* itaque non eſt exponenda: Hæreſis omnis accipit nomen ab auctore, & non aliunde; aut, Nulla hæreſis accipit nomen aliunde, quam ab auctore: ſed Nulla eſt hæreſis, quæ non accipiat nomen ab auctore, ſiue aliud ſit denominationis illius fundamentum, ſiue non: itaque inſcitè opponis Bellarmino, quod hæreſis varium habeat denominationis ſuæ fundamentum, hoc enim vniuerſalem Bellarmini non inuertit,

uertit, ideoque non eſt idoneum ad prodigalitatem illius demonſtrandum, quo collimare te oportuiſſet argumentum. Exemplis id confirmari poſtulas? Illi ipſi Gnoſtici, qui propter excellentiam ſic ſe appellatos eſſe, vel appellari debuiſſe gloriabantur, dicebantur vel Carpocratani ab auctore ipſorum Carpocrate, vt vult Ien. li. 1. c. 24. vel Valentiniani, ſecundum Hieronymum, li. de Scrip. Eccleſ. Ariani ab Auctore nomen ſortiti, aliam appellationem aliunde habuerunt, nominati Exoucontij ob phraſim, quâ vtebantur in ſua hæreſi dicentes, Chriſtum eſſe ἐξ οὐκ ὄντων, vt eſt apud Socratem in Hiſtor. Eccl. lib. 2. c. 35.

Eoſdem Arianos dici voluit Conſtantinus, *Socrat. hiſt. lib. 1. cap. 6.* Porphyrianos, *vt quorum ſequuti ſunt mores*, inquit in Edicto, *eorum etiam nomen habeant*. Simili modo vos, quamuis à deteſtabilis ſectæ auctoribus Lutherani vel Caluiniſtæ, aliunde tamen Proteſtantes, Geuſij, Huogenottæ, Picardi, Remonſtrantes, Contra-Remonſtrantes paſsim appellamini. Certè tam communis eſt ab Auctore, hæreticorum cognominatio, vt meritò dicatur: Nullam hæreſem eſſe, quæ ab auctore nomen non accipiat.

Pſeud. Vt vt ſit: Non omnis tamen Hæreſis Nomen Chriſtianum & Catholicum, relinquit iis, à quibus diſcedit. Nam *OMNES* hæretici volunt dici Catholici ex Auguſtino, contra ep. Fundamenti cap. 4. adeoque omnis hæreſis vult videri & dici Catholica Eccleſia, vt ipſemet Bellarminus ex Auguſtino obſeruat loco indicato.

Oecum. Adde, quæ ſequuntur in Bellarmino ex Auguſtino, *tamen quum interrogantur hæretici à paganis, vbi ad Catholicam conueniatur, NEMO*

audet domum ſuam oſtendere: itaque etſi velint dici Catholici, conſcientia tamen teſtimonio redarguuntur & relinquunt nomen Catholici, ijs, à quib. diſcedunt.

Cyrillus Catech. 18. *Si iueris in aliquam vrbem, nō petas, vbi ſit Eccleſia, vel domus Dei, nam etiā hæretici dicunt, ſe habere domum Dei, & Eccleſiam, ſed petas, vbi ſit Catholica Eccleſia, id enim nomen proprium eſt huius ſanctæ Eccleſiæ matris Omnium noſtrum.* q. d. ſi hoc petas, Nullus hæreticus ſuam Eccleſiam oſtendet. Poſtea verò quum impudentiſsima arrogantiâ nomen nō debitum ſibi accommodare niterentur: quomodo Ariani ſe vocabant Catholicos, & Donatiſtæ ſe ſolos iactabant Chriſtianos, & etiamnum Græca ſchiſmatica, & Proteſtantium ſectaria congregatio, vtraq; denominatione gloriatur, reliquerunt inuiti nomen Catholicum, iis, à quibus diſceſſerunt. Quamuis enim nominari Catholici velint, nunquam tamen id apud prudentes, ne quidem ſuæ factionis obtinent.

Pſeudol. At falſum eſt, quod Eccleſiam Romanam *NEMO VNQVAM* vocauit ab aliquo certo homine.

Oecum. *NEMO VNQVAM* veritatis conſectator, Nemo bonus, Nemo ſapiens, Nemo partium dolis & ſectariorum fraude non illectus.

Pſeud. At vocantur Sectatores Eccleſiæ Romanæ, paſsim Papiſtæ à Papa, à Pontifice Pontificij, ab Vrbe Romana, Romanenſes, Romaniſtæ.

Oecum. Non infringunt hæc vniuerſalem Bellarminianam: nam nō ſunt hæc nomina perſonæ certique hominis, ſed officij, & Paſtoris
Hom 33. in Acta. vniuerſalis: & dum dicuntur Papiſtæ, Chriſtus innuitur, qui primus Papa, cuius Vicarij ſunt

cæteri.

cæteri. Quamuis, vt notat Chryſoſtomus, etiamſi Catholici denominarentur, ab iis, qui Eccleſiam gubernant, nomine Chriſti, non eſſet id magnopere reprehendendum. neque enim idcirco nomen haberent ab homine particulari, quem fidei conditorem agnoſcerent: ceterum Romanos vocari ſe ab Arianis aliiſve hæreticis (qui ſibi nomen Catholicum falsò vſurpabant) veri Catholici ante tot ſecula honori ſibi ducebant, à Romana, Eccleſiarum Magiſtra, quæ omnium Magiſtri Chriſti ſinceram ſeruat traditãq; illibatam doctrinam. Romanus autem, & Romanenſis Ambroſij iam æuo idem ſonabat, quod Catholicus. Porrò, quamuis Papiſtæ, & Pontificij nomen Catholicis primitus ſit inditum à Lutheranis, Zvvinglianis, aut ſimilibus falſitatis magiſtris, à quibus initio ſic vocati ſumus, ideoque meritò, vereq; ſcribit Bellarminus, *quod nos vocemur Papiſtæ, non niſi à Lutheranis in Germania & vicinis regionibus, non ſic autem in Græcia, Aſia, Africa, India, Italia, Hiſpania:* Poſtea tamen, vt id nomen innotuit, & opprobrij loco ab aduerſariis vſurpari eſt cœptum, nobis glorioſum viſum, quocirca præclarè Ioannes Lorinus, Bellarminus haud contrarius: *A Papa Papiſtas dici non veremur, nec erubeſcimus, tãquam ab omnium Catholicorum loco Chriſti, Magiſtro, & in quo infamamur, in eo egregium orthodoxæ fidei teſtimonium, elogiumque libenter agnoſcimus, ac profitemur.* Et Bellarminus ipſe: *Hæc ipſa vocabula vetuſtatem ac nobilitatem Eccleſiæ noſtræ demonſtrant.*

Turon de glo. Mart. c. 26. 30 79.

Amb. Ora de obitu Satyr.

Lorin. Act. 20. 30.

Pſeud. Cum Pontificij ac Papiſtæ ipſi certatim ſe vocant, ac cognominari gaudeant, Auguſtinianos, Bernardinos, Dominicanos, Franciſcanos, negari profectò nõ poteſt, qn denominetur, ab aliquo homine particulari, nã Auguſt.

Bernardus, Dominicus, Franciſcus, à quibus ſic denominentur, ſunt, & fuerunt homines certi, ſic etiam homines particulares.

Oecumen. Eodem ſchemate diuerſarum apud Papiſtas familiarum homines inducere poſſes, qui omnes eodem gaudent, à primo Fundatore accepto cognomine, vel à Sancto quopiam, nomine, Philippos, Leopoldos, Maximilianos, & ex eo caſtigare Prodigalitatem Ieſuiticam, quæ audeat aſſerere generaliter: *Nos ab aliquo certo homine NEMO VNQVAM vocauit.* Sed vel nugamentis puerilibus populo imponere cogitas, vel fungus es, qui non intelligas de genere toto quæſtionem eſſe, Principis vnius in Fide, non partium, alio intuitu. Regius exercitus ab vno nomen habet, cui ſacramentum dixit, & capitale eſt, vel ſeceſsionis indicium, alterius illum dicere: ſed multæ in eodem ſunt cohortes, quæ à Duce peculiari nomen accipiunt, prioris minimè abiecto. Eſt Eccleſia vt caſtrorum acies ordinata: in qua Catholici nomen, nemo deferit, quia communem Imperatorem, eiuſque Vicarium agnoſcit, ſed ex iis nonnulli Bernardi, alij Auguſtini, aliqui Franciſci vt ab Imperatore deſtinatorum ductum ſequuntur, ſed in eodem exercitu, vt neceſſarium ſit diſtinctionis cauſa propriis aptiſque notare nominibus. Magna domus eſt *Eccleſia Catholica*, in qua religioſorum Ordines, tanquam dilectiſsimi filij aluntur, vnius Patrisfamilias ſoboles. Vt ergo in numeroſa familia, neceſſaria eſt per nominis impoſitionem diſcriminatio, ita & in Ordinibus Religioſis, quorum aliqui nuncupantur à loco, vbi primùm Ordines vel exorti, vel ſedē fixerunt; nonnulli ab officio & primario munere, ad quod à Deo vocati: non pauci à virtute aliqua

aliqua,alij à viro aliquo ſanctiſsimo,cuius tutelam ambiebant. Vt Ordines militares S. Ioannis,Lazari,Georgij,Iacobi,Michaelis, Stephani, Mauritij, Virginis Annunciatæ: pleriquè à familiæ totius parente: hinc Benedictini, Auguſtiniani, Franciſcani,& alij,quib.primos duces,accepto nominê venerari viſum.

Pſeudol. Peſsimo exemplo, & quod Paulus meritò condemnat, 1. Cor. 1. 12. *Hoc autem dico, quod vnuſquiſque veſtrum dicit: Ego quidem ſum Pauli; ego autem Apollo, ego verò Cephæ; ego autem Chriſti. Diuiſus eſt Chriſtus? nunquid Paulus crucifixus eſt pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati eſtis?* *Aug lib. de vnic. Bapt.*

Oecumen. Hanc Corinthiorum diſſenſionem imitabantur olim maiores veſtri, qui, vt Ambroſius & Auguſtinus obſeruant, ſpecioſa ab auctoribus ſuis nomina aucupabantur, de quibus ita ſcribit Iuſtinus, *ſunt diſtincti cognominibus*: quam hæreticorum conſuetudinem, & quaſi teſſeram Irenæus, Athanaſius, Chryſoſtomus & Lactantius affirmant. Sed hæc malignè tu tuique gemini calumniatores, detorques, ad eos, qui in religioſis familiis nomen Inſtitutoris præferunt. Non enim ab iis nominantur, vt fidei Magiſtris, à quibus ſalus expectanda ſit, ſed vt à morum doctoribus, quorum imitatione proficiunt. Et tametſi alij Baſilium, alij Benedictum, alij Dominicum, atque alij Franciſcum ſequantur, non ita tamen eos duces, agnoſcunt, vt nô eoſdem ſummo Imperatori Chriſto ſubiectos eſſe intelligant, & eatenus tantum iis ſeſe addicant, quia leges Euangelio conſentientes ſuis lectatoribus impoſuerunt. At Corinthii, aut Miniſtros Chriſto æquabant, aut certè, quũ vnum Chriſtum retinendum dicerent, Apoſtolos, & verbi præcones aſpernabãtur, aut ni- *Lib. 1. c. 2. Orat in Arian. 2. Hom. 33 in Act. Li. 4. c. 30.*

mio contentionis ſtudio. quaſi inter ſe pugnantes digladiabantur. Admodũ ſcitè, inquit Theodoretus, & prudenter Chriſti nomen cum aliis connumerauit, oſtendens abſurdum, quod ex eo ſequitur, quod ſcilicet dominum & ſeruum in eodem ordine, & loco habent. Iam ſubtilius quidpiam, ſed & verius, quàm quæ hactenus obiecta. à te expecto Pſeudole.

ARTICVLVS XII.

PATRES NVNQVAM OMNES ſimul errant.

Bellarmin. lib. 2. de Chriſto cap. 2.

Simul OMNES *ſimul in vno errore conuenire non poſſunt.*

Bellar. l. 1. de Purg. c. 10. Coſt. in Ench. c. 1. p. 63.

Pſeudol. CONtrarium non ſolum abundè liquet, ex quamplurimis articulis, in quibus *OMNES PATRES* ſimul erraſſe deprehenduntur; neq; ſolum etiam ex multis rationibus, quibus manifeſtè demonſtratur, *OMNES* Patres in vno errore ſimul poſſe conuenire, cuius probatio, & longioris eſt operæ, & extra præſentis noſtri ſpaciminis inſtitutum. Verùm patet quoque idem euidentiſsimè ex propria confeſsione aduerſariorum.

Oecumen. Deliras Pſeudole, ſi quemquam tam amentem credis futurum, vt tibi vel iurato fidem in hac re adhibeat: nam præterquam, quod, homini ſacrilego, Sacramento Mendacia firmare non ſit in aliis religioſum, in titulo de Patrum auctoritate, quâ incolumi, ſaluus

ex Proteſtantibus eſſe Nemo poteſt, planè ſacramentarium debes agere, iuratuſque ſuſpicionem impietatis tantum, non veritatis fidem, auditoribus hiſce facis. Itaque fruſtra claſsicū in Patres canis: nam quantumlibet rumpare clamando, nunquam tuis verbis, niſi rationes illas demonſtrationeſque, quas iactitas adferas, quæ nullæ ſunt, præter impoſturas auctoritatis inolitæ apud bonos omnes pars vlla obſoleſcet.

Pſeudoſ. Aduerſariorum triarios adduco, Bellarminum & Beatum Rhenanum. Nam in materia de Antichriſto OMNES veteres Patres erraſſe ſcribit, ac fatetur Bellarminus lib. 3. de Romano Pontifice capite 3. artic. 2. Sic ſimiliter quoque Rhenanus in argumento in lib. Tertullian. de exhortatione ad caſtitatem: *Veteres OMNES, inquit, atque adeo Hieronymus ipſe, Matrimonio parum æqui fuerunt.*

Ex quibus ſic argumentor: Si Omnes Patres veteres ſimul errarunt in materia de Antichriſto, & de matrimonio, ergo omnes Patres quādoque ſimul errant: ac per conſequens etiam omnes ſimul in vno errore conuenire poſſunt. (nam omnis actus, præſupponit potentiam.) Sed verum eſt prius, ergo & poſterius. Concludo. Ergo falſum eſt, quod Patres *NVNQVAM OMNES* ſimul errant, aut quod ſimul omnes in vno errore conuenire non poſſunt, vt habet Articulus Ieſuiticus.

Oecumen. Quid mirum ex mendacij ſemente non niſi falſitatis oriri ſegetem? mendacium eſt ſuperioribus haud abſimile, ſcribere Bellarminum, in materia de Antichriſto, *OMNES* veteres Patres erraſſe, immò loco, quem indicas, negat id Bellarminus, quod tu

illum

illum per ſummam impudentiam ſcripſiſſe cō-miniſceris. Tabulas reſigna, puer, & Bellarmini verba recita.

Bellarminus lib. 3. de Pontif. c. 3. Artic. 2. *OMNES* veteres animaduertentes ſuorum temporum malitiam ſuſpicati ſunt tempora Antichriſti imminere. Ita Theſſalonicenſes tempore Apóſtolorum putabant inſtare diem Domini, quos Apoſtolus corrigit 2. Theſſal. 1. Cyprianus lib. 3. epiſt. 1. *Imminente Antichriſto paret ad prœlium milites.* Hieronymus epiſt. ad Acheruchiam de Monogamia: *Qui tenebat, de medio fit, & non intelligimus Antichriſtum appropinquare?* Gregorius lib. 4. epiſt. 38. *Omnia, quæ prædicta ſunt, fiunt, Rex ſuperbiæ prope eſt. ſed iſtæ SVSPICIONES erant, non errores;, nimirum non leuibus ducti circũſtantiis atque indiciis: potiſſimum quando diriores ingruebant calamitates, & ipſa periclitari religio, & Eccleſia labare videbatur inſtare iudicij diem, autumabant: nihil tamen exactè de certo tempore definientes, ne nullus eo lapſo deinceps Domini expectaretur aduetus, vt Auguſtinus monet epiſt. 80. Non enim ſancti iſti Patres certum tempus definire auſi ſunt.* Et tu mortalium profligatiſsime in ampliſsimo hoc veritatis amantium conſeſſu pronunciare nō vereris, in materia de Antichriſto *OMNES* veteres Patres erraſſe ſcribit, ac fatetur Bellarmin. Sed nimirum quum falſitas veris non poſsit, mendaciis ſtabilienda eſt.

Rhenani quod ſubiungis teſtimonium, tanti apud nos quanti tuum eſt, vel cuiuslibet veteratoris Sycophantæ. Seleſtadienſem enim illũ veterum Patrum, quos inſulſis falſiſsimiſque notis fœdè corrupit improbum interpellatorem fuiſſe norunt eruditi. Cuius etiam dum gloſſemata peruoluo, quem cum Eraſmo cō-

ponam potius,inuenio neminem. Adeo vterq; quod ante me notarunt alii; veteris putatis eſt oſor,amator nouitatis. Vtrique ſacra omnia,& religioſa diſplicent:incertum vter improbi,veterum Patrum auctoritatem eleuet.Et tu huius teſtimonio ad euertendam, vel labefactandam ſanctiſsimorum doctiſsimorumque virorum fidem, vt præcipua machina apud æquiſsimos iudices vti non erubeſcis? Vbi frons? Vbi Batauaingenuitas? quam in reliquis maiorem for taſſe oſtendes.

Articvlvs XIII.

SECTARII HVIVS TEMPORIS Omnes Traditiones reiiciunt.

Bellar.de Not.Eccl.c.9.

Pſ. NEquaquam Proteſtantes, quos loco citato,ſuo more perSectarios intelligit Ieſuita Traditiones reiiciunt *OMNES*,quia non reiiciunt Traditiones ſcriptas in Canonicis ſacræ Scripturæ libris: neque etiam *OMNES* illas non-ſcriptas, quæ ad ritus, & ordinem Eccleſiæ pertinent.

Oecum.Hæc qui cum auctoris dictis conferret,diceret te Pſeudole, quantum quantum ex imis vnguibus ad verticem ſummum, ex fraudulentia compaginatum,vel inſcitia: Aut enim animaduertiſti ſignum vniuerſale *OMNES*, connectendum cum vocula *Sectarij* huius temporis,quos vniuerſe conuenire cum Arianis in negatione quarundam Traditionum,id eſt, nõ ſcriptarum, ſcribit Bellarminus, nam quod de Traditionibus non-ſcriptis loquatur, expreſſum eſt,præcedente Paragrapho, & es mendaciſsimus

ciſsimus Impoſtor,qui illud conſcientiæ reclamantis nulla religione iungis nomini Traditiones,vt fallendi occaſionem arripias:aut non obſeruaſti,& es imperitiſsimus oſtentator, qui ob defectum vnius inciſi, quod fortaſſe ab amanuenſi prætermiſſum clariſsimum ſenſum non videas,&diuerſum planè,abſque vlla probabilitate fingis.

Bellarmini comparatio eſt iſtiuſmodi: Ariani non recipiebant vllo modo Traditiones nō-ſcriptas, vt docet Maximinus Epiſcopus Arianorum apud Auguſtin. lib. 1. cap. 2. & vlt. contra Maximinum, quam hæreſim poſtea imitati ſunt multi alij, vt Neſtorius Dioſcorus, Eutyches,vt habetur in 8.Synod.act.1.

Hunc errorem docent *OMNES* huius temporis hæretici. Sectarij enim huius temporis *OMNES* Traditiones reiiciunt,poſt vocem vniuerſalem *OMNES*,inciſum eſt,ſi quidē Traditiones latiſsimè pro ſcriptis etiam, & aliis nō obligantibus accipiantur, vt tum ex ſuperioribus facile colligere potuiſſes, ſi aliquid ſanæ mentis inſte eſſet reliquum,tum ex eo loco,vbi ex inſtituto Proteſtantium de Traditionibus ſententiam proponit, & te quidem auctore, fideliter. Is eſt lib.4.de verbo Dei c.3.ex quo patet,duplicis generis Traditiones, etiā non ſcriptas deſignari poſſe,neceſſarias obſeruatu,præceptasq́ȝ, & planè liberas, poſteriores non negante Proteſtantes, nec de his eſſe controuerſiā;priores *Omnes* reiicere: itaque ſi ad id reſpexit Bellarmin.vti fas erat,nam de his litigatur, rectè pronunciare potuit,voce *omnes* Traditiones nomini adnexā, omnes Traditiones à Sectariis noſtri temporis reiici: Anagnoſtes nominati libri articulos perlegat.

Con-

Controuerſia inter Nos & Hæreticos in duobus conſiſtit. Primum eſt, quod nos aſſerimus. In Scripturis nō contineri expreſſè Totam *doctrinam neceſſariam, ſiue de fide, ſiue de moribus, & proinde præter Verbū Dei ſcriptum, requiri etiam verbum Dei non ſcriptum, id eſt, diuinas & Apoſtolicas traditiones.*

At ipſi docent in Scripturis OMNIA *contineri, ad fidem, & mores neceſſaria, & proinde non eſſe opus* VLLO *verbo non-ſcripto.*

Luther. in Com. c. 1. ad Gal. *Neque alia doctrina in Eccleſia tradi, & audiri debet, quam purum verbum Dei, hoc eſt S. Scriptura. Doctores vel auditores alij cum ſua doctrina anathema ſunto.* Ioan. Brentius in prolegōm. cap. de Tradit. *Perſpicuè ſignificat Apoſtolus, quod nulla Traditio contra & præter teſtimonia Scripturæ agnoſcenda ſit pro dogmate neceſſario ad ſalutem.*

Caluin. 4. Inſti. cap. 8. §. 8. *Eſto hoc firmum axioma, non aliud habendum eſſe Dei verbum, cui detur in Eccleſia locus, quàm quod lege primum & Prophetis: deinde ſcriptis Apoſtolicis continetur.*

Kemnitius in Exam. Conc. Trid. ſeſſ. 4. ſæpiſſimè repetit hunc eſſe ſtatum quæſtionis: *An Scripturæ contineant* OMNIA *dogmata ad ſalutem neceſſaria, & ſe adfirmare, nos negare.*

Secundò, diſſidemus, quod illi exiſtimant, Apoſtolos quidem quædam inſtituiſſe præter Scripturam, quæ ad ritus & ordinem Eccleſiæ pertinent, quæ tamen non ſunt neceſſaria, nec præcepta, ſed libera. *NIHIL* autem tradidiſſe præter Scripturam ad fidem, aut mores neceſſariò pertinent. id clarè docet Kemnitius, quū agit de ſeptimo genere traditionum. Caluinus libr. 4. Inſtit. cap. 10. §. 20. Nos autem agnoſcimus Traditiones Apoſtolicas omnium generum.

Tertio

audet domum ſuam oſtendere: itaque etſi velint dici Catholici, conſcientia tamen teſtimonio redarguuntur & relinquunt nomen Catholici, iis, à quib. diſcedunt.

Cyrillus Catech. 18. *Si iueris in aliquam vrbem, nõ petas, vbi ſit Eccleſia, vel domus Dei, nam etiã hæretici dicunt, ſe habere domum Dei, & Eccleſiam, ſed petas, vbi ſit Catholica Eccleſia, id enim nomen proprium eſt huius ſanctæ Eccleſiæ matris Omnium noſtrum.* q.d. ſi hoc petas, Nullus hæreticus ſuam Eccleſiam oſtendet. Poſtea verò quum impudentiſsima arrogantiã nomen nõ debitum ſibi accommodare niterentur: quomodo Ariani ſe vocabant Catholicos, & Donatiſtæ ſe ſolos iactabant Chriſtianos, & etiamnum Græca ſchiſmatica, & Proteſtantium ſectaria congregatio, vtraq; denominatione gloriatur, reliquerunt inuiti nomen Catholicum, iis, à quibus diſceſſerunt. Quamuis enim nominari Catholici velint, nunquam tamen id apud prudentes, ne quidem ſuæ factionis obtinent.

Pſeudol. At falſum eſt, quod Eccleſiam Romanam *NEMO VNQVAM* vocauit ab aliquo certo homine.

Oecum. *NEMO VNQVAM* veritatis conſectator, Nemo bonus, Nemo ſapiens, Nemo partium dolis & ſectariorum fraude non illectus.

Pſeud. At vocantur Sectatores Eccleſiæ Romanæ, paſsim Papiſtæ à Papa, à Pontifice Pontificij, ab Vrbe Romana, Romanenſes, Romaniſtæ.

Oecum. Non infringunt hæc vniuerſalem Bellarmini anam: nam nõ ſunt hæc nomina perſonæ certique hominis, ſed officij, & Paſtoris vniuerſalis: & dum dicuntur Papiſtæ, Chriſtus innuitur, qui primus Papa, cuius Vicarij ſunt

Hom 33. in Acta.

cæteri.

cæteri. Quamuis, vt notat Chryſoſtomus, etiamſi Catholici denominarentur, ab iis, qui Eccleſiam gubernant, nomine Chriſti, non eſſet id magnopere reprehendendum. neque enim idcirco nomen haberent ab homine particulari, quem fidei conditorem agnoſcerent: ceterum Romanos vocari ſe ab Arianis aliiſve hæreticis (qui ſibi nomen Catholicum falsò vſurpabant) veri Catholici ante tot ſecula honori ſibi ducebant, à Romana, Eccleſiarum Magiſtra, quæ omnium Magiſtri Chriſti ſinceram ſeruat traditꝗ; illibatam doctrinam. Romanus autem, & Romanenſis Ambroſij iam æuo idem ſonabat, quod Catholicus. Porrò, quamuis Papiſtæ, & Pontificij nomen Catholicis primitus ſit inditum à Lutheranis, Zvvinglianis, aut ſimilibus falſitatis magiſtris, à quibus initio ſic vocati ſumus, ideoque meritò, vereꝗ; ſcribit Bellarminus, *quod nos vocemur Papiſtæ, non niſi à Lutheranis in Germania & vicinis regionibus, non ſic autem in Græcia, Aſia, Africa, India, Italia, Hiſpania*: Poſtea tamen, vt id nomen innotuit, & opprobrij loco ab aduerſariis vſurpari eſt cœptum, nobis glorioſum viſum, quocirca præclarè Ioannes Lorinus, Bellarminus haud contrarius: *A Papa Papiſtas dici non veremur, nec erubeſcimus, tanquam ab omnium Catholicorum loco Chriſti, Magiſtro, & in quo infamamur, in eo egregium orthodoxæ fidei teſtimonium, elogiumque libenter agnoſcimus, ac profitemur.* Et Bellarminus ipſe: *Hæc ipſa vocabula vetuſtatem ac nobilitatem Eccleſiæ noſtræ demonſtrant.*

Turon de glor. Mart. c. 16. 30 79.

Amb Ora de obitu Satyr.

Lorin. Act. 20. 30.

Pſeud. Cum Pontificij ac Papiſtæ ipſi certatim ſe vocant, ac cognominari gaudeant, Auguſtinianos, Bernardinos, Dominicanos, Franciſcanos, negari profectò nō poteſt, qn denominetur, ab aliquo homine particulari: nā Auguſt.

Bernardus, Dominicus, Franciſcus, à quibus ſic denominentur, ſunt, & fuerunt homines certi, ſic etiam homines particulares.

Oecumen. Eodem ſchemate diuerſarum apud Papiſtas familiarum homines inducere poſſes, qui omnes eodem gaudent, à primo Fundatore accepto cognomine, vel à Sancto quopiam, nomine, Philippos, Leopoldos, Maximilianos, & ex eo caſtigare Prodigalitatem Ieſuiticam, quæ audeat aſſerere generaliter: *Nos ab aliquo certo homine NEMO VNQVAM vocauit.* Sed vel nugamentis puerilibus populo imponere cogitas, vel fungus es, qui non intelligas de genere toto quæſtionem eſſe, Principis vnius in Fide, non partium, alio intuitu. Regius exercitus ab vno nomen habet, cui ſacramentum dixit, & capitale eſt, vel ſeceſsionis indicium, alterius illum dicere: ſed multæ in eodem ſunt cohortes, quæ à Duce peculiari nomen accipiunt, prioris minimè abiecto. Eſt Eccleſia vt caſtrorum acies ordinata: in qua Catholici nomen, nemo deſerit, quia communem Imperatorem, eiuſque Vicarium agnoſcit, ſed ex iis nonnulli Bernardi, alij Auguſtini, aliqui Franciſci vt ab Imperatore deſtinatorum ductum ſequuntur, ſed in eodem exercitu, vt neceſſarium ſit diſtinctionis cauſa propriis aptiſque notare nominibus. Magna domus eſt Eccleſia Catholica, in qua religioſorum Ordines, tanquam dilectiſsimi filij aluntur, vnius Patrisfamilias ſoboles. Vt ergo in numeroſa familia, neceſſaria eſt per nominis impoſitionem diſcriminatio, ita & in Ordinibus Religioſis, quorum aliqui nuncupantur à loco, vbi primùm Ordines vel exorti, vel ſedē fixerunt; nonnulli ab officio & primario munere, ad quod à Deo vocati: non pauci à virtute aliqua

aliqua,alij à viro aliquo ſanctiſsimo,cuius tutelam ambiebant. Vt Ordines militares S. Ioannis,Lazari,Georgij,Iacobi,Michaelis, Stephani,Mauritij, Virginis Annunciatæ: plerique à familiæ totius parente: hinc Benedictini, Auguſtiniani, Franciſcani,& alij,quib.primos duces,accepto nomine venerari viſum.

Pſeudol. Peſsimo exemplo, & quod Paulus meritò condemnat, 1. Cor. 1. 12. *Hoc autem dico, quod vnuſquiſque veſtrum dicit: Ego quidem ſum Pauli; ego autem Apollo,ego verò Cephæ; ego autem Christi. Diuiſus eſt Chriſtus? nunquid Paulus crucifixus eſt pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati eſtis?* *Aug lib. de vnic. Bapt.*

Oecumen. Hanc Corinthiorum diſſenſionem imitabantur olim maiores veſtri, qui, vt Ambroſius & Auguſtinus obſeruant, ſpecioſa ab auctoribus ſuis nomina aucupabantur, de quibus ita ſcribit Iuſtinus,*ſunt diſtincti cognominibus*: quam hæreticorum conſuetudinem, & quaſi teſſeram Irenæus, Athanaſius, Chryſoſtomus & Lactantius affirmant. Sed hæc malignè tu tuique gemini calumniatores,detorques,ad eos,qui in religioſis familiis nomen Inſtitutoris præferunt. Non enim ab iis nominantur, vt fidei Magiſtris,à quibus ſalus expectanda ſit,ſed vt à morum doctoribus, quorum imitatione proficiunt. Et tametſi alij Baſilium, alij Benedictum,alij Dominicum,atque alij Franciſcum ſequantur,non ita tamen eos duces,agnoſcunt, vt nõ eoſdem ſummo Imperatori Chriſto ſubiectos eſſe intelligant,& eatenus tantum iis ſeſe addicant, quia leges Euangelio conſentientes ſuis ſectatoribus impoſuerunt. At Corinthii, aut Miniſtros Chriſto æquabant, aut certè,quũ vnum Chriſtum retinendum dicerent, Apoſtolos,& verbi præcones aſpernabãtur, aut ni- *Lib. 1. c. 2.* *Orat in Arian. 2.* *Hom. 33 in Act.* *Li. 4. c. 30.*

mio contentionis ſtudio.quaſi inter ſe pugnantes digladiabantur. Admodũ ſcitè,inquit Theodoretus,& prudenter Chriſti nomen cum aliis connumerauit,oſtendens abſurdum, quod ex eo ſequitur,quod ſcilicet dominum & ſeruum in eodem ordine,& loco habent. Iam ſubtilius quidpiam,ſed & verius,quàm quæ hactenus obiecta.à te expecto Pſeudole.

ARTICVLVS XII.

PATRES NVNQVAM OMNES ſimul errant.

Bellarmin.lib.2.de Chriſto cap.2.

Simul OMNES *ſimul in vno errore conuenire non poſſunt.*

Bellar.l.1.de Purg.c.10. Coſt.in Ench.c.1.p.63.

Pſeudol. CONtrarium non ſolum abundè liquet, ex quamplurimis articulis,in quibus *OMNES PATRES* ſimul erraſſe deprehenduntur: neq; ſolum etiam ex multis rationibus, quibus manifeſtè demonſtratur, *OMNES* Patres in vno errore ſimul poſſe conuenire, cuius probatio, & longioris eſt operæ,& extra præſentis noſtri ſpaciminis inſtitutum. Verùm patet quoque idem euidentiſsimè ex propria confeſsione aduerſariorum.

Oecumen. Deliras Pſeudole, ſi quemquam tam amentem credis futurum, vt tibi vel iurato fidem in hac re adhibeat: nam præterquam, quod, homini ſacrilego, Sacramento Mendacia firmare non ſit in aliis religioſum, in titulo de Patrum auctoritate, quâ incolumi, ſaluus

ex Proteſtantibus eſſe Nemo poteſt, planè ſacramentarium debes agere, iuratuſque ſuſpicionem impietatis tantum, non veritatis fidem, auditoribus hiſce facis. Itaque fruſtra claſsicũ in Patres canis: nam quantumlibet rumpare clamando, nunquam tuis verbis, niſi rationes illas demonſtrationeſque, quas iactitas adferas, quæ nullæ ſunt, præter impoſturas auctoritatis inolitæ apud bonos omnes pars vlla obſoleſcet.

Pſeudol. Aduerſariorum triarios adduco, Bellarminum & Beatum Rhenanum. Nam in materia de Antichriſto *OMNES* veteres Patres erraſſe ſcribit, ac fatetur Bellarminus lib. 3. de Romano Pontifice capite 3. artic. 2. Sic ſimiliter quoque Rhenanus in argumento in lib. Tertullian. de exhortatione ad caſtitatem: *Veteres OMNES, inquit, atque adeo Hieronymus ipſe, Matrimonio parum æqui fuerunt.*

Ex quibus ſic argumentor: Si Omnes Patres veteres ſimul errarunt in materia de Antichriſto, & de matrimonio, ergo omnes Patres quãdoque ſimul errant: ac per conſequens etiam omnes ſimul in vno errore conuenire poſſunt. (nam omnis actus, præſupponit potentiam.) Sed verum eſt prius, ergo & poſterius. Concludo. Ergo falſum eſt, quod Patres *NVNQVAM OMNES* ſimul errant, aut quod ſimul omnes in vno errore conuenire non poſſunt, vt habet Articulus Ieſuiticus.

Oecumen. Quid mirum ex mendacij ſemente non niſi falſitatis oriri ſegetem? mendacium eſt ſuperioribus haud abſimile, ſcribere Bellarminum, in materia de Antichriſto, *OMNES* veteres Patres erraſſe, immò loco, quem indicas, negat id Bellarminus, quod tu

illum

illum per ſummam impudentiam ſcripſiſſe cõminiſceris. Tabulas reſigna, puer, & Bellarmini verba recita.

Bellarminus lib. 3. de Pontif. c. 3. Artic. 2. *OMNES* veteres animaduertentes ſuorum temporum malitiam ſuſpicati ſunt tempora Antichriſti imminere. Ita Theſſalonicenſes tempore Apóſtolorum putabant inſtare diem Domini, quos Apoſtolus corrigit 2. Theſſal. 1. Cyprianus libr. 3. epiſt. 1. *Imminente Antichriſto paret ad prœlium milites.* Hieronymus epiſt. ad Acheruchiam de Monogamia: *Qui tenebat, de medio ſit, & non intelligimus Antichriſtum appropinquare?* Gregorius lib. 4. epiſt. 38. *Omnia, quæ prædicta ſunt, fiunt, Rex ſuperbiæ prope eſt., ſed iſtæ SVSPICIONES erant, non errores;, nimirum non leuibus ducti circũſtantiis atque indiciis: potiſsimum quando diriores ingruebant calamitates, & ipſa periclitari religio, & Eccleſia labare videbatur inſtare iudicij diem, autumabant: nihil tamen exactè de certo tempore definientes, ne nullus eo lapſo deinceps Domini expectaretur aduentus, vt Auguſtinus monet epiſt. 80. Non enim ſancti iſti Patres certum tempus definire auſi ſunt.* Et tu mortalium profligatiſsime in ampliſsimo hoc veritatis amantium conſeſſu pronunciare nõ vereris, in materia de Antichriſto *OMNES* veteres Patres erraſſe ſcribit, ac fatetur Bellarmin. Sed nimirum quum falſitas veris non poſsit, mendaciis ſtabilienda eſt.

Rhenani quod ſubiungis teſtimonium, tanti apud nos quanti tuum eſt, vel cuiuslibet veteratoris Sycophantæ. Seleſtadienſem enim illũ veterum Patrum, quos inſulſis falſiſsimiſque notis fœdè corrupit improbum interpellatorem fuiſſe norunt eruditi. Cuius etiam dum gloſſemata peruoluo, quem cum Eraſmo cõ-

ponam

ponam potius,inuenio neminem. Adeo vterq; quod ante me notarunt alii, veteris putatis eſt oſor,amator nouitatis. Vtrique ſacra omnia,& religioſa diſplicent:incertum vter improbi,veterum Patrum auctoritatem eleuet.Et tu huius teſtimonio ad euertendam, vel labefactandam ſanctiſsimorum doctiſsimorumque virorum fidem, vt præcipua machina apud æquiſsimos iudices vti non erubeſcis? Vbi frons? Vbi Batauaingenuitas? quam in reliquis maiorem for taſſe oſtendes.

ARTICVLVS XIII.

SECTARII HVIVS TEMPORIS Omnes Traditiones reiiciunt.

Bellar.de Not.Eccl.c.9.

Pſ. NEquaquam Proteſtantes, quos loco citato,ſuo more perSectarios intelligit Ieſuita Traditiones reiiciunt *OMNES*,quia non reiiciunt Traditiones ſcriptas in Canonicis ſacræ Scripturæ libris: neque etiam *OMNES* illas non-ſcriptas, quæ ad ritus, & ordinem Eccleſiæ pertinent.

Oecum.Hæc qui cum auctoris dictis conferret,diceret te Pſeudole, quantum quantum ex imis vnguibus ad verticem ſummum, ex fraudulentia compaginatum,vel inſcitia: Aut enim animaduertiſti ſignum vniuerſale *OMNES*, connectendum cum vocula *Sectarij* huius temporis,quos vniuerſe conuenire cum Arianis in negatione quarundam Traditionum,id eſt, nō ſcriptarum, ſcribit Bellarminus, nam quod de Traditionibus non-ſcriptis loquatur, expreſſum eſt,præcedente Paragrapho, & es mendaciſsimus

Controuerſia inter Nos & Hæreticos in duobus conſiſtit. Primum eſt, quod nos aſſerimus. In Scripturis nõ contineri expreſſè Totam *doctrinam neceſſariam, ſiue de fide, ſiue de moribus, & proinde præter Verbũ Dei ſcriptum, requiri etiam verbum Dei non ſcriptum, id eſt, diuinas & Apoſtolicas traditiones.*

At ipſi docent in Scripturis OMNIA *contineri, ad fidem, & mores neceſſaria, & proinde non eſſe opus* VLLO *verbo non-ſcripto.*

Luther. in Com. c. 1. ad Gal. *Neque alia doctrina in Eccleſia tradi, & audiri debet, quam purum verbum Dei, hoc eſt S. Scriptura. Doctores vel auditores alij cum ſua doctrina anathema ſunto.* Ioan. Brentius in prolegom. cap. de Tradit. *Perſpicuè ſignificat Apoſtolus, quod nulla Traditio contra & præter teſtimonia Scripturæ agnoſcenda ſit pro dogmate neceſſario ad ſalutem.*

Caluin. 4. Inſti. cap. 8. §. 8. *Eſto hoc firmum axioma, non aliud habendum eſſe Dei verbum, cui detur in Eccleſia locus, quam quod lege primum & Prophetis: deinde ſcriptis Apoſtolicis continetur.*

Kemnitius in Exam. Conc. Trid. ſeſſ. 4. ſæpiſſimè repetit hunc eſſe ſtatum quæſtionis: *An Scripturæ contineant* OMNIA *dogmata ad ſalutem neceſſaria, & ſe adfirmare, nos negare.*

Secundò, diſsidemus, quod illi exiſtimant, Apoſtolos quidem quædam inſtituiſſe præter Scripturam, quæ ad ritus & ordinem Eccleſiæ pertinent, quæ tamen non ſunt neceſſaria, nec præcepta, ſed libera. *NIHIL* autem tradidiſſe præter Scripturam ad fidem, aut mores neceſſariò pertinent. id clarè docet Kemnitius, quũ agit de ſeptimo genere traditionum. Caluinus libr. 4. Inſtit. cap. 10. §. 20. Nos autem agnoſcimus Traditiones Apoſtolicas omnium generum.

Tertio

Tertiò diſsidemus, quod illi putant traditiones Apoſtolicas ſi quæ fuerint, nunc non extare, id eſt non poſſe certò demonſtrari aliquam Apoſtolicam traditionem, ita Kemnitius ibid. *NVLLIS certis & firmis documentis probari poteſt, qui ſint ritus certo ab Apoſtolis traditi, qui ex Scriptura oſtendi non poſſunt. Nos è contrario aſſerimus, non deeſſe certas vias & rationes, quibus Apoſtolicæ Traditiones oſtendantur.* His offuciarum tuarum nebulæ facilè diſsipantur, illudque efficitur, Te hoc quidem articulo, quem nuper, & meritus aut ſtolidi, aut fraudulenti circulatoris, titulum egregiè amplificatum iiſſe. in ſequentibus quem ſis adſumpturus, ignoro, ex accuſationibus fiet iudicium.

ARTICVLVS XIV.

CALVINVS OMNES SANCTOS per contemptum nunc homines mortuos, vmbras, nunc Laruas, nunc etiam Colluuiem, Monſtra, carnifices, & beſtias nominat. Tantus ſcilicet eſt in libris & moribus Hæreticorum Sanctorum OMNIVM *contemptus, tamque horribiles in* OMNES *cælites blaſphemiæ.*

Bellarmin. Præfat. de Eccleſ. Triumph.

Pſeudol. NOn modo D. Caluinus, aut *OMNES* Sanctos, aut *OMNES* cœlites non ſic perſtrinxit, ſed ne Sanctos quidem, aut cœlites.

Oecum. Hic iterum, te homo nihili in apertiſsima impoſtura teneo, & tali, quæ à capitali calumnia excuſari non poſsit: nam vt adverſarium

rium accuſes, crimen finges per te ad iudicem deferendum. Accuſandus eſt Bellarminus de Prodigalitate vocum vniuerſalium, quod quoniam fieri nequit, niſi iſtiuſmodi vocibus enũciata ſignentur. Tu propoſitionem Nulla tali voce inſignem, ex indefinita vniuerſalem facis, eamq; vt exagitare poſsis, Bellarmino adfingis: hoc conſcientiæ documentum eſt non cauteriatæ ſolum, ſed & diabolicæ. Nego, inquam, propoſitionem illam in Bellarmino reperiri. Aperi puer codicem, & Bellarmini verba recita.

Bellarminus: *De ſanctis hominibus Teſtamenti noui primum ſcurriliter nugatur* (Caluinus) *eos, ſi preces mortalium exaudire debeant, tam longas aures habere oportere, vt à cœlo, vſq; ad terram porrigantur. Deinde, eoſdem per contemptum, nunc homines mortuos, nunc vmbras, nunc laruas, nunc etiam colluuiem nominat, in Inſtit. lib.* 3. *cap.* 20. §. 27. *in libro autem, quem inſcripſit, De vera Eccleſiæ reformandæ ratione, etiam monſtra, carnifices, & beſtias appellauit.*

Nullum ego hic Enunciatum vniuerſale reperio, ſed indefinitum tãtum, ſine ſigno, quod veriſsimum eſt, quandocunque plures ſub eo genere conditionem ſubeunt, quæ de ſubiecto (vt loquuntur Dialectici) enunciatur, quod fieri fateris ipſe, nec à mendaciſsimo negari vllo modo poteſt. Quid, quod vniuerſe Caluinus, nulla reſtrictione particularitatis, ſanctos, mortuos, & vmbras, aliquos verò ex iis, Laruas, beſtias, monſtra, carnifices appellet?

Vocari ab illo Cœlites, mortuos, certiſsimũ eſt, neque eo nomine ſimpliciter culpatur à Ieſuita Caluinus, nam & de Sanctis dictum non ignorabat. *Qui mortui ſunt in Chriſto, reſurgent primi. Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Sed, 1. *Theſſ.* 4. 16. *Apoc.* 13. 14.

V quod

Li.3.c.20. quod per cõtemptum, & paſsim ita vocet: nam
§.21.22. in vno capite, & quidem paucisſimis eius para-
23.24.25. graphis, amplius duodecies ita Sanctos nuncu-
26.27. pat, &, vt ex tuo grege Rainoldus aſſerit paſsim.
Rainol. li. Vmbras etiam diu indiſcriminatim Sanctos
de Rom. i- conſtat ex lib.3. cap. 20. §.24. vbi Caluinus, O-
dol.c.5. *mnes*, inquit, *eiuſmodi rationes à mortuis abſunt, quos à noſtro contubernio dum ſubduxit Dominus, nullum nobis cum illis reliquit commercium, ac ne illis quidem nobiſcum. Quod ſi quis cauſetur fieri non poſſe, quin eandem erga nos caritatem retineant, vt ſunt vna nobiſcum fide coniuncti: quis tamen eouſque longas illis eſſe aures reuelauit, quæ ad voces noſtras porrigantur? oculos etiam tam perſpicaces, qui neceſsitatibus noſtris aduigilent? Nugantur quidem in ſuis* VMBRIS *ne-*
Rainol. li. *ſcio quid de fulgore diuini vultus ipſos irradiante in*
1.c.5. *quo, ceu in ſpeculo res hominem deſpiciant. Vbi vmbras vocari ſanctas negat Pſeudolo ſubtilior Caluiniſta.* ſed non conuincit, quamuis pronomen, *ipſos*, adducat, quod cum vmbris minimè conuenit, Grammatico genere, potuit enim Caluinus reſpexiſſe non nomen, ſed nomine deſignatos, quod eleganter fieri Grammatici autumant, *LARVAS* appellari quoſdam è cœlitum numero, liquet è loco à Bellarmino expreſſo, qui ſic habet: *Non alio validiore argumento pugnant opus nobis eſſe Sanctorum patrocinio, quam dum obijciunt, nos eſſe indignos familiari ad Deum acceſſu, quod nos veriſsimum quidem eſſe fatemur, ſed inde colligimus, Nihil eos Chriſto reliquum facere, qui pro nihilo ducunt eius interceſsionem, niſi accedant* GEORGIVS *& Hippolytus, aut ſimiles laruæ.*

Pſeudol. Hic Caluinus, vt alibi, non ſine diſcrimine laruas dixit, vel monſtra, vel carnifices vel beſtias, ſed eos, quos in Papatu, vel nominibus fictitiis, vel qui *NVLLI VNQVAM* fuerunt,

runt,nimia induxit ſuperſtitio, ac nominatim quidem,ſic vocauit in ſpecie Georgium, Hippolytum, Catharinam, Chriſtophorum, Dominicum,Medardum, Lubinum.

Oecum. Ergo nunquam,te cenſore,illi fuêre,vel fictis nominibus inducti à Papali ſuperſtitione Dominicus, Medardus, Lubinus? vt de Georgio, Catharina,Chriſtophoro,Hippolyto taceam.

Pſeud.Id mihi elapſum properanti, fateor, nã poſteriores tantum ſignare volui, quos diſtinguit Caluinus à prioribus,dum ſic ſcribit: *Omitto Dominicum,& ſimiles carnifices.Omitto Medardũ, & Lubinum, & ſimiles beſtias: quis enim finis eſſet,ſi ſingulas Labyrinthi ambages excutere vellem?* *Lib.de ver. Eccl. Refor §.centies.*

Oecum. Ergo non ſolum Dominicum carnificem,nec ſolos Medardum & Lubinum beſtias nuncupat. Atquę cauſa eiuſce nuncupationis?

Pſeudol.Fratri mihi in Chriſto dilectiſsimo Rainoldo aſſentior, qui Dominicum vocatum ſcripſit à Caluino carnificem, quod bello contra Albigenſes,qui noſtri fuêre maiores,interfuerit,atque inter Crucis prædicatores ita excelluerit,vt ad eum congregaretur cœtus fortis viribus cruce ſignatorum, quibus Albigenſium millia aliquot deleta.

Oecum. Carnifices ergo omnes illi, qui ad bellum contra Turcam, vel Hæreticos vires, operaſque conferunt? Cur non verius carnifices Lutherus,Munzerus,Caluinus,Zvvinglius qui ad cædem vaſtitatemque Germanis, Anglis, Scotis, Belgis, Gallis Duces fuêre, & in bellis præcones? ſed beſtiarum myſterium euolue.

Pſeudo.idem,quem laudaui,ſuggerebat indoctos, ſi cum doctis conferantur,beſtias dici

poſſe: atque idcirco Medardum & Lubinum collatos cum Prophetis, Apoſtoliſque à Caluino nuncupatos Beſtias.

Oecum. At eodem iure Auguſtini, Chryſoſtomi, Hieronymi, Gregorij poſt Prophetarum & Apoſtolorum ætatem dicentur beſtiæ, vos verò ſoli homines.

Pſeud. Ita reor, nam profectò, omnes à Caluiniſmo alienos habemus vt lapides, truncos, bardos, caudices, aſinos χρυσόμαλλος, nec pluris facere multos ex iis, quos vos vt cœlites veneramini, à Magiſtro noſtro didicimus. qui *LARVAS* etiam merito appellauit, qui nulli vnquã quum fuerint, obtruduntur ad Deum exorandum Patroni, quales haud dubiè Georgius, Hippolytus, Catharina, Chriſtophorus. Nam quæ de his circumferuntur hiſtoriæ, ſeu aureæ, vt vocantur legendæ, aut paſsionalia, nugarum, ineptiarum, & fabulamentorum plenæ ſunt.

Oecum. Quid hæc, ô Mome, ad prodigalitatem Ieſuiticam? quam poſtquam figmento propoſitionis vniuerſalis perſuadere non potuiſti, deſperatione actus, ad deliberamenta laberis: quæ cum nuper adferres pro conſcientia Ieſuitica ſtabilienda, quæ tunc *ALTER-EGO* in eius caſtigatione reſpondi, hoc loco repetenda non ſunt, nec tibi tam labilem in his talibus opinor eſſe memoriam, vt exciderint. Aliud eſt, mi homo, Sanctos nominatos *NVLLOS VNQVAM* fuiſſe; aliud, non fuiſſe cum his illiſque, quæ à quibuſdam falſo illis affinguntur circumſtantiis. Poſſunt eſſe Sanctorum quorundam hiſtoriæ incertæ & apocryphæ, certum tamen, illos extitiſſe aliquando. Tua collectio ſi valeat, efficies in rerũ natura *NVNQVAM* fuiſſe Anchiſen, Aeneam, Vlyſſem, Cyrum,

Caſtigat. conſcientiæ Ieſuit p. 196

rum, de quibus tam audacter fabulati Poetæ: nulla plerarumque & gentium, & vrbium primordia, quæ figmentis inuoluta plurimis certi præferunt nihil, ne Apoſtolos quidem per orbem ſparſos, quorum acta, & extrema certamina habent nonnulla dubitationibus multorum expoſita. Itaque & hic prioris tituli dignitatem præclarè tutatus es, & nouo nugatoris au xiſti egregiè. Nunc ſi quid reſtat exequere, aures dabimus.

ARTICVLVS XV.

NVNQVAM LICVIT SACERdoti iam ſacris Presbyterij ordinibus initiato vxorem ducere. Neque Quiſquam eſt Catholicorum Patrum, qui totus 1500. *annos, aliter vel ſcripſiſſe, vel ſenſiſſe legatur. Quin potius hæreſeos damnati ſunt, qui ſecus affirmare auſi fuiſſent.*

Coſterus in Enchirid. cap. 17. §. Tertia propoſitio.

Pſ. CONtrarium manifeſtè patet ex ſequentibus. Primo, vniuerſa cœlibatus lex nō non eſt, ex iure, ſeu præcepto diuino, nec Apoſtolico, ſed tantum Eccleſiaſtico, id eſt ſtatuto Eccleſiæ. Communis hæc Pontificiorum, ipſorumque adeo Ieſuitarum eſt ſententia. Nec enim audiendus eſt *NOVVS* quidam in Italia dogmatiſtes, *IESVITA TVRRIANVS*, qui vnus contra *OMNIVM* veterum, & recentiū Eccleſiaſticorum ſententiam, cœlibatum ordini

dini ſacro οὐσιωδῶς, hoc eſt, ſubſtantialiter, lege diuina adiunctum eſſe contendit, nec eſſe in poteſtate Pontificis, nec Eccleſiæ, vt coniugij vſum ſacerdotibus permittat, non magis quam furandi, aut latrocinandi. Vt eſt apud Caſſandrum Conſultat. Art. 23.

Oecum. Mentiris ſplendidè, ſiue dum communem dicis Ieſuitarum ſententiam, quod lex cœlibatus non ſit ex ſtatuto Apoſtolico, contrarium enim diſertè affirmat Bellarminus lib. 1. de Clericis cap. 18. & multis probat cap. 19. & Valentia Tom. 4. diſp. 9. q. 5. punct. 5. §. ad tertium, & Paſsimatij, ſiue dum vnum Turrianū, vt nouum dogmatiſten aſſeris ſcribere, cœlibatum ordini ſacro lege diuina nexum eſſe: illud enim docuerunt Ioannes Maior in 4. d. 24. Michael Medina li. 5. de ſacrorum hominum continentia cap. 99. &c. & Clichtouæus de continentia Sacerdotum c. 4. & ſeqq. Nec eſt, quod impoſterum apud nos Caſſandri auctoritatem commendes, nam Caſſandro ſimiles Irenarchæ & Adiaphoriſtæ, iamdudum apud doctos pioſque decoxerunt.

Pſeu. Primus perpetui cœlibatus in ſacerdotibus legiſlator fuit Papa Syricius, qui Pontificatum adeptus eſt An. 363. decretum autem de cœlibatu ſanciuit poſtea.

Oecum. Mendacium eſt, vel error: nam ante Syricium fuit Clemens Origenes, Euſebius, Epiphanius, multaque concilia, in quibus luculenta ſunt de cœlibatu ſacratorum teſtimonia, quæ inuenies apud Bellar. & Valentiam recenſitis locis, quid opus actum agere? vnius tamen Concilij Carthagin. II. verba referenda ſunt, quoniam ad Apoſtolorum doctrinam prouocat: *Placuit, & condecet ſacroſanctos Antiſtites, & Dei*

Sacer-

Sacerdotes, nec non & Ieſuitas, vel qui Sacramentis diuinis inſeruiunt, continentes eſſe in omnibus, quo poſ ſint ſimpliciter, quod à Deo poſtulant, impetrare, vt quod Apoſtoli docuerunt, & ipſa ſeruauit Antiquitas, nos quoque cuſtodiamus. Fruſtra ergo tu nobis cõtra Patrum Conciliorumq́ plurimorum inuictum agmen, recentiores, & ſuſpectæ fidei aliquos, tirones, Polydorum, Caſſandrum, Sigebertum, ſimilesq; producis: nam eodé iure nominare potuiſſes Caluinum, qui 4. Inſt. c. 4. §. 25 non eſt veritus affirmare, OMNES veteres Patres approbaſſe coniugium in Epiſcopis: ac Philippum Melancthonem, cuius in Apologia Cõfeſsionis Auguſta. aſſertio eſt, legem cœlibatus repugnare antiquis Conciliis, & à ſolo Papa cõtra auctoritatem Synodorum eſſe ſancitam, in Germania verò non niſi ante 400. annos eſſe introductam: quod idem affirmat Kemnitius in exam. Trid. Can. 9. ſeſſ. 24. Sed de hoc mendacio cõuincunt Ieſuitæ Greg. de Valen. & Bellarm. à quorũ obiectionibus, omiſsis reſponſis, quum nihil diuerſum adduxeris, nec poſsis, cõſtat non de prodigalitate Ieſuitas, ſed de calumniis Pſeudolum & Symmyſtas condemnari debere, ſed in ſequentibus fortaſſe veracis perſonam adſumes. Perge igitur.

ARTICVLVS XVI.

Vigilantius multa docuit. 1. Sanctorum reliquias non eſſe venerandas. 2. orationes mortuorum pro aliis non exaudiri. 3. Eccleſiaſticos debere eſſe vxoratos. Eadem OMNIA docent nunc Sectarij. *Bellar. lib. de Not. Eccleſ. c. 9.*

Pſeud. FAlſum eſt, eadem omnia docere nunc Sectarios, id eſt, Proteſtantes, quãuis

enim hi doceant,ſanctorum demortuorum nō eſſe venerandas reliquias: non docent tamen Sanctorum demortuorum,ſeu Beatorum cœlitum orationes pro aliis non exaudiri. Quum enim Sanctos, qui ſunt in cœlis, pro fratribus qui ſunt in terris. *ALIQVO MODO* orare libenter,atque vltro concedant, Triumphantem nempe Eccleſiam pro Militante in genere, abſit vt illos fruſtra ſemper orare, aut nunquam exaudiri eorum preces à Deo exiſtiment.

Oecum. Non negat Bellarminus hæc concedere Proteſtantes,imò rectius multo,quam vllus Caſſander,& fidelius ſententiam eorum exponit li.1.de Sanctor.beatit.c.15.vbi ſcribit Hereticos noſtri temporis tria docere de orationibus Sanctorum. Primum, ex diuinis litteris non haberi,quod Sancti mortui orēt pro viuis, ac proinde hoc non eſſe certum. Secundum, ſi Sancti orent, eos non orare niſi in genere pro tota Eccleſia electorum,non autem pro aliquibus in particulari. Tertium,inutile,& illicitum eſſe,inuocare Sanctos,ſiue Angelos,ſiue homines,ac petere,vt pro nobis orent,inutile quidē, quia non habent tam longas aures(ita enim Caluin⁹ loquitur)vt preces noſtras audire poſsint: illicitum, quia hinc obſcuratur gloria Chriſti, qui eſt vnicus Mediator, & Interceſſor noſter. Quia tamen non ignorabat Bellarminus, docuiſſe Vigilantium,Sanctos pro mortalibus nō orare,ſiue generatim,ſiue particulatim,&apud Proteſtantes non eſſe conſtitutum,certumque, quum ex Scriptura non habeatur, quod generatim orent,liquere autem ipſis,quod particulatim non orent,rectè idem,illos quod Vigilātium ſentire,ſcripſit:nec inuitis Proteſtantium Magiſtris Magdeburgenſibus, qui animaduertentes

Centu 4.c.8

tentes

tentes ſuam eſſe in hac re eandem cum Vigilantio ſententiam, eum non vt hæreticum, ſed vt ſanctum presbyterum, licet minus bene cum S. Hieronymo conuenientem, introducunt.

Pſeud. Nec tertium errorem Vigilantij docent Proteſtantes, quorum doctrina eſt, verbi Dei Adminiſtros non debere, ſed licere eſſe vxoratos.

Oecu. Imponis Pſeudole, vt ſoles, nam quod dixit Bellarminus, probauit luculentiſsimo Lutheri teſtimonio, qui in Epithalamio ait, Matrimonium iure diuino eſſe præceptum omnibus etiam Eccleſiaſticis, & monachis, qui non ſentiunt, ſe habere donum continentiæ: vocat autem ipſe donum continentiæ, nō gratiam, quâ non conſentimus tentationibus carnalibus, ſed qua non tentamur, qualem continentiam apud hircoſos Lutheri, Caluiniq; præcones NEMO habet. Idem in lib. de Votis Monaſt. ex profeſſo dehortatur à religione, ſolumque permittit, vt fœminæ Lx. annorum, & viri Lxxx. vel xc. in monaſteriis maneant. Et nonne debere eſſe vxoratos docuit, qui verbum hoc, quo Deus ait: *Creſcite & multiplicamini*, non eſſe præceptum, ſed plus quam præceptum aſſeruit, poſtquam tam durum, ac primum præceptum eſſe adſtruxiſſet? Qui neceſsitatem, non arbitrij libertatem in maris fœminæq; commixtione agnouit? qui votum caſtitatis cōtra verbum, & opus Dei ſuſceptum vt impoſsibile, impium, nullius momenti deteſtabatur? Hæc autem ſunt Lutheri effata. *Sermo. de Matrimo. Epiſt. ad VVolfgan. Renſenbuſ.*

Quæ Caluini fuerit ſententia, clarum eſt ex lib. 4. Inſtit. c. 12. & 13. quibus cœlibatum clericorum, monachorumq; profeſsionem ex condicto oppugnat, quo ſpiritu idem ep. 371. apertè

obiurgat quẽdam Euangelij ſui buccinatorem, quod cœlibatum in Miniſtris vrgere nimium videretur. Et hoc tempore Caluinus poſt Sodomiam, adhuc cœlebs erat, dicitq́ꝫ, ſe ſi vxorẽ ducat, quod fecit poſtea, ſciebat n. Epiſcopum creari apud reformatos nefas eſſe, niſi vnius ſal tem vxoris virum, non alia mente ducturum, quàm vt Deo expeditius ſeruire, rebusq́ꝫ diuinis commodius vacare poſſet. Hauſerat nimirum ſpiritum ex Paulo, qui 1. ad Cor. 7. ita philoſophatur: *Qui ſine vxore eſt, ſolicitus eſt, quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo, qui autem cum vxore eſt, ſolicitus eſt, quæ ſunt mũdi, quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt.*

His Doctoribus vſi Lutherani & Caluiniſtæ Prædicantes duo tantum quærunt (verba ſunt Eraſmi ep. l. 19. ad Pirckheimerum) *Cenſum, & vxorem. Cætera præſtat illis Euangelium, hoc eſt, poteſtatem viuendi, vt volunt.* Idẽ ep. l. 19. ad Melanch. *Tantum hoc agunt* (Zvvingliani & Lutherani) *vt res quoquo pacto ſerpat, & egregium Euangelij profectum interpretantur, ſi pauci Monachi ſint exonerati cuculla: ſi Sacerdotibus aliquot ſit proſpectum de vxore, ſi è duobus templis exactæ ſint imagines.*

Georgius VVicelius olim Lutheranus Prædicans in confutatione Iuſti Ionæ: *Affirmant* (Lutherani) *etiamnum neminem purè Euangeliſtam eſſe poſſe ſi deſit vxor, quorum plerique ſcorta ducunt.* Nõ dubites igitur Pſeudole eandem eſſe in hoc capite Proteſtantium, quæ fuit Vigilantij, doctrinam, quam pluribus diduxit, ornauitq́ꝫ nuper *ALTER-EGO* in caſtigatione conſcientiæ *IESVITICAE* Artic. 2. Ex quibus veritas, vniuerſalis Bellarminianæ: fraus & dolus impudentis Pſeudoli elucefcit. Itaque alia tibi quercus excutienda eſt.

ARTI-

ARTICVLVS XVII.

Sacramentarij, id eſt, Caluiniſtæ, Sæpe dicunt, REALE *corpus Chriſti in cœna adeſſe, ſed* REALITER *adeſſe* NVNQVAM *dicunt.*

Bellar. lib. 1. de Euchar. cap. 2. art. 6.

Pſ. FAllitur Ieſuita, Sacramentarios, & Calui-
niſtas *Nunquam* dicere, corpus Chriſti in
Cœna adeſſe realiter.

Oecumenius. Fallit mendaciſsimus rabula,
qui propoſitionis vnam partem calumniæ op-
portunam profert, omiſſa appendice quam au-
ctor appoſuerat, quâ adiuncta perit robur om-
ne impudentis inſcitiæ. Verba Bellarmin. ſunt.
*Sacramentarij ſæpè dicunt reale corpus Chriſti in cœna
adeſſe, ſed realiter adeſſe* Nunquam *dicunt*, quod le-
gerim, *niſi forte loquantur de cœna, quæ ſit in cœlo.
Nam Theodorus Beza, vt Lutheranos per dolum trahe-
ret ad Caluiniſmum ſcripſit confeſſionem, in qua aſſe-
ruit, Chriſti corpus verum, & naturale, verè & reali-
ter eſſe præſens in cœna, & communicantibus verè &
realiter exhiberi, in eamq́; confeſſionem conſentire ad-
firmauit Eccleſias Heluetiorum, & Geneuenſium. Ve-
rum quum hac occaſione Lutherani de Sacramentariis
triumpharent, & Tigurini grauiter in Bezam inuehe-
rentur, reſpondit Beza, ſe vera ſcripſiſſe, ſed à Luthera-
nis non bene intellecta, ſe namq́; non loquutum de cœna
Domini, quæ celebratur in terris, ſed de illa, quæ in cœ-
lis, vbi Chriſtus verè & realiter præſens eſt.* Fraudu-
lenter igitur à Caluiniſtis vſurpari vocem *rea-
liter*, nunquam negauit Bellarminus, imò id fie-
ri exemplo firmauit, cui adiũxit aliud Greg. de *Tom. 4. d.*
Valentia, qui poſtquam dixit, Caluiniſtas tur- *6. q. 3. p. 1.*
pitudinem ſententiæ ſuæ ne nudè conſpiciatur,
adeò ſubdolè verborũ integumẽtis adornare,

vt de

vt de Myſterio Euchariſtiæ interdum videri poſsint, nõ modo ſimilia, ſed eadem plane, quæ Orthodoxis loqui, à quorum tamen ſententia tantum Caluiniſtica opinio differt, quantũ exitialis hæreſis à veriſsima & ſaluberrima fide, addit, in hac veteratoria arte ſuis prçluxiſſe Caluinum. *Nam notum eſt*, ait, *quàm procul amandet Chriſtum Caluinus ab Euchariſtiæ Sacramento: nempe quam procul cœlum ſummum diſtat à terra, vt ſcribit in defenſione primæ doctrinæ de Sacram. contra VVeſtphalum, & tamen vide obſecro, quali verborum integumento hanc impietatem adornet, omnino iſthæc piis tenenda eſt regula, vt quoties ſymbola vident à Deo inſtituta, illic rei ſignatæ veritatem adeſſe certò cogitent, ac ſibi perſuadeant.* Et paulò poſt: *Dico in Cœnæ myſterio per ſymbola panis & vini Chriſtum nobis exhiberi, adeoque corpus, & ſanguinem eius.* Caluin. libr. 4. Inſtit. c. 17. ſect. 10. Adiungere potuiſſet quod ſcribit Caluin. 1. Cor. 11. *Chriſtus viſibile illud ſignũ nobis porrigendo, vna dat nobis etiam ſuum corpus. Neque enim fallax eſt, qui vacuis figuris nos ludat. Proinde illud mihi eſt extra controuerſiam veritatem hic cum ſuo ſigno coniunctum eſſe.* Et, *concludo realiter (vt vulgo loquuntur) hoc eſt, verè nobis in cœna dari Chriſti corpus, vt ſit animis noſtris in cibum ſalutarem.* Sed hæc fraudulenter à Caluino dici nullum eſt dubium, quum Realiter explicet, per verè, verè autem intelligat, veritate fidei, nam non alio modo dari, percipi, manducari, quàm ſola fide docet clariſsimè lib. 4. c. 17. §. 5. *Interim*, inquit, *verò hanc non aliam eſſe quàm fidei manducationem, fatemur, vt nulla alia fingi poteſt.* Et §. 31. *Chriſtus præſens illis non videtur, niſi ad nos deſcendat, quaſi verò ſi ad ſe nos euehat* (per fidem videlicet) *non æquè potiamur eius præſentia:* infra quoque, *neceſſe nõ eſt, Chriſtum elicere in terras, vt nobis coniunctus ſit.*

Pſeud.

Pſeudol. Falſe igitur eſt Ieſuitæ vniuerſalis, *Caluiniſtas NVNQVAM dicere, Corpus Chriſti in Cœna adeſſe Realiter,* nam dicit ita, ac ſcribit diſertè, vt ipſemet citaſti, Caluinus.

Oecumenius. Sed adiungit: *Quod legerim, & niſi loquantur de Cœna, quæ eſt in cœlo*: qui conuincis Bellarminum, locum illum Caluini *Vnquam* legiſſe, quum tota illa diſputatione ſententiam Caluini eliciat ex libris tantum Inſtit. & libr. de cœna Domini: nec veroſimile ſit omnibus Caluini Tomis conclaue Bellarminianum fuiſſe oneratum. Et ſi legerat, ſciebat ludificatoriè voculam illam poſitam, & ad aliam cœnam eſſe referendam. Sed demus tibi, & Bellarminum legiſſe, & Caluinum, quæ attulimus, non de cœna cœleſti, ſed quæ in mundo peragitur intelligere voluiſſe, veriſsima nihilominus erit Bellarmini vniuerſalis, *SACRAMENTARII nunquã dicunt, corpus Chriſti REALITER adeſſe in cœna*: an tu enim idem cenſes in doctrina Sacramentaria *REALITER ADESSE*, quod negat dici Bellarminus, & *REALITER*, id eſt, verè dari, quod adfirmat Caluinus, ô te imperitum Caluinutici, myſterij! Negat Caluinus *REALITER ADESSE* corpus ſub ſignis, concedit tamen *REALITER DARI* in cibum, quum ſigna dantur. Prius habetur in conſenſione Sacramentaria, vbi ſic Caluinus: *Tollenda eſt quælibet localis præſentiæ imaginatio. Nam, quum ſigna hic in mundo ſint, oculis cernantur, palpentur manibus, Chriſtus quatenus homo eſt, non alibi, quam in cœlo quærendus eſt.* Ibid. *quia tamen corpus Chriſti finitum eſt, & cœlo, vt loco continetur, neceſſe eſt a nobis tanto locorum interuallo diſtare, quanto cœlum abeſt à terra.* Poſterius dicitur locis paulò ante recitatis, in quibus corpus cum Symbolis *DARI REALITER*, id eſt, verè,

aſſeri-

aſſeritur alio verbo vſus eſt Fortunatus Calui-niſta in vindicatione diſceptationis de *EVCHARISTIA*, qui, *verè* (inquit) *& REALITER, imò veriſſimè, & REALISSIME, in Euchariſtiæ Sacramento corpus & Sanguis Chriſti percipitur*, non dicit *ADEST*. Quod myſterium, quoniam tuus ſtupor non percipiebat, paucis paragraphis ineptiſsimè nugando, & inſulſiſsimi diſputatoris & mendaciſsimi impoſtoris edidiſti ſpecimen. Iam vltimo collecto ſpiritu, quicquid ſupereſt, euome.

ARTICVLVS XVIII.

Quod attinet ad populum, ſunt quidem in Eccleſia Catholica, id eſt, Papiſtica plurimi mali, ſed ſi quis conſideret Magiſtros Eccleſiæ, ac Doctores, tam ſancti, caſti, pij, ſobrij OMNES *ſunt, vt aduerſarij* NIHIL *habeant, quod reprehendant, niſi nimiam ſanctitatem.*

Bellar. lib. 2. de Not. Eccl. c. 13.

Pſeud. FAlſus articulus, quia multi Sacerdotes, Monachi, Clericiq; fuerũt impij, impudici, incaſti, incontinentes. Multi item Pontifices vitæ planæ diſſolutæ, ac ſceleratiſſimæ.

Hic ego centenas auſim depoſcere voces.

Vt non vno tubo detonem Syluestri ſecundi, Ioannis vigeſimi, Gregorij ſeptimi improbitatem, laſciuiam Sergij, lubricitatem Benedicti, lu-

ſti, luxuriam Alexãdri, diſſolutionem Ioannis, rapacitatem Bonifacij, & tot aliorum Pontificum, Eccleſiæ nimirum Romanæ Doctorum facinora.

Oecum. Sæpe audiui Pſeudole, Nulla in re facundiores eſſe veſtræ Sectæ homines, quàm in Catholicorum vitiis exaggerandis, quum de Pontificiorum mala vita, & profeſsioni diſſentaneis moribus differendum eſt, eatenus balbi, & linguæ impeditiſsimæ, derepente incredibili conuerſionis modo, magna oris volubilitate, fanda infanda, facta & infecta in Pontifices, Cardinales, Epiſcopos, Sacerdotes, Monachos, Moniales, Romam, eiuſque curiam, in monaſteria, & Deo dicatorum hominum Collegia euomunt, & huius tu tolutiloquẽtiæ documenta dare velle videris; ſed non huiuſce rei gratia coram iudice agimus. Prodigalitas Ieſuitarum in vocibus vniuerſalibus probanda eſt, quam tu non ſcurrili ſtultiloquio, ſed ſi quas habes ex veritatis penu rationibus perſuadere ſapientibus deberes. Audiatur igitur Bellarminus, cuius tu verba mutilas, ſenſumque inuertis, vt inuenias, quod calumnieris. Ita ille: *Eccleſia vera non ſolum habet doctrinam ſanctam, & efficacem, ſed etiam Doctores ſanctos. Si quis autem conſideret Magiſtros Eccleſiæ Catholicæ, primum Patriarchas, & Prophetas, deinde Apoſtolos, tum Doctores, qui contra ſingulas hæreſes dimicarunt, denique inſtitutores Ordinum Religioſorum, inueniet OMNES tam ſanctos, caſtos, pios, ſobrios fuiſſe, vt aduerſarij nihil habeant, quod reprehendant, niſi nimiam ſanctitatem, vt Beatus Auguſtinus ait de Monachis ſui temporis*, libro de Moribus Eccleſiaſticis capite trigeſimo primo.

Itaque

Itaque Bellarminus non quoſlibet, qui quolibet tempore fuêre Doctores, eius fuiſſe ſanctitatis aſſerit, ſed eximios illos, qui poſt Apoſtolorum ætatem. Fidem Chriſtianam propagarunt inter gentes, Eccleſias inſtituerunt, Epiſcopatus primò adminiſtrarunt, Deo ſacratas familias, Religionis nomine, vt primi Patres rexerunt, quales in Italia, Sicilia, Creta, Cypro, Hermagoras, Syrus, Proſdocimus, Aſprenus, Priſcus, Victorinus, Apollinaris, Pancratius, Titus, Marcianus, Nicanor.

In Hiſpania, Eugenius, Torquatus, Cteſiphon, Secundus, Indalicius, Cæcilius, Heſychius, Epænetus.

In Gallia, Areopagita, Fronto, Regulus, Xiſtus, Siſinnius, Zacharias, Vrſinus, Trophimus, Eutropius, Exuperius, Manſuetus, Lucianus, Felix, Nicaſius, Rufus, Sauinianus, Sanctinus, Iulianus, Vrbicus, Saturninus, Gratianus, Amatus.

In Belgio, Memmius, Quintinus, Rufinus, Criſpinus, Fuſcianus, Victoricus, Prato, Vedaſtus, Audomarus, Gaugericus, Florebertus, Vrſmarus, Erminus, VVillebrordus, Bertulphus, Humbertus, Maurontus, VVerentfredus, Luibertus.

In Anglia, Scotia, Hibernia, Ioſeph, Ariſtobulus, Fagatius, Damianus, Auguſtinus, Mellitus, Iuſtus, Laurentius, Palladius, Columbanus, Herbertus, Patritius.

In Germania, Eucharius, Andronicus, Valerius, Bonifacius, VVillebaldus, Ludgerus, Soſimus, Burchardus, Hildegernus, Kilianus, Deus-dedit Rudbertus, VVilfridus, VVillehadus, VVulfranus.

In Ruſsia, Prutenia, Pannonia, Liuonia, Hyrcania

cania, Dalmatia, Bulgaria, Scythia, Gothia, Adelbertus, Anſgarius, Magnus, Othomarus, Medardus, Albertus, Andronicus, Hermes, Ioannicius, Theotimus, Tomitanus, Vlphila.

In Africa, Lucius, Creſcens, Donatianus, Præſidius, Manſuetus, Tuſculus, Lætus, Fraxinianus.

In Aſia, Euodius, Abilius, Calliſtus, Polymius, Quartus, Fuluianus, Carpus, Metropius, Metrodorus, Frumentius, Adeſius, Marutha, Abda, Iacobus Niſibinus.

Religioſorum Patres, Paulus, Anthonius, Hilarion, Heraclides, Macarius, Iſidorus, Stylites, Paphnutius, Arſenius, Theodorus, Daniel Benedictus, Maurus, Placidus, Bauo, Columbanus, Eligius, Damaſcenus, Theophanes, Othmarus, Nicetus, Adelhardus, Meinardus, Odo, Nortbertus, Bernardus, Dominicus, Franciſcus, Theologiæ Magiſtri, hæreſum debellatores Prochorus, Iuſtinus, Athenagoras, Clemẽs Alexandrinus, Ephræm, Cyrillus, Baſilius, Nazianzenus, Nyſſenus, Auguſtinus, Ambroſius, Hieronymus, Gregorius, Chryſoſtomus, Damaſcenus, Minutius, Leo, Saluianus, Aquinas. Bonauentura, Iuſtinianus.

De his aliiſque innumeris vſurpamus, quod Auguſtinus de Catholicis Doctoribus vniuerſe: *Iſti ſunt Epiſcopi & Paſtores, docti, graues, ſancti, veritatis acerrimi defenſores, qui Catholicam fidem in lacte ſuxerunt, in cibo ſumpſerunt, cuius lac & cibum, paruis, magniſque miniſtrauerunt.* Talibus, poſt Apoſtolos, ſanctæ Eccleſiæ plantatoribus, rigatoribus, ædificatoribus, paſtoribus, nutritoribus creuit.

Verùm itaque eſt, ſi quis conſideret Magiſtros Eccleſiæ Catholicæ, primum Patriarchas,

& Prophetas, deinde Apoſtolos, & Doctores, qui contra ſingulas Hæreſes dimicarunt, denique Inſtitutores Ordinum Religioſorum, inueniet *OMNES* tam ſanctos, caſtos, pios, ſobrios fuiſſe, vt aduerſarij nihil habeant, quod reprehendant, niſi nimiam ſanctitatem, quod Beatus Auguſtinus de Monachis ſui temporis aſſeruit. Eſt itaque *NOTA* veræ Eccleſiæ ſanctitas vitæ, non quorumlibet, ſed, vt Bellarminus loquitur, *PRIMORVM* Patrum noſtræ Religionis, & de his intelligitur vniuerſalis *IESVITICA*.

Pſeud. At, è Pontificibus aliqui ſceleribus fuêre inquinatiſsimi, è monachis etiam, & ſacerdotibus quamplurimi.

Oecumen. Quid hoc ad præſentem cauſam homo vaniſsimè? producendi eſſent aliqui ex Religionis, fideique primis plantatoribus, & ædificatoribus, qui ſceleribus magis, quàm ſanctitate fuiſſent nobiles, & obtineres, vti nos facimus, qui Religionis deformatæ capita, & anteſignanos, diſſolutiſsimæ vitæ, morumque turpiſsimorum fuiſſe conuincimus, Proteſtanticæ ſectæ qui Doctores & Magiſtri? Lutherus, Zvvinglius, Caluinus. Lutherus, excucullatus Monachus, procax amator, ſcurrilis ludio, temulentus Sycophanta, ſeditionum tuba, cõuitiator ſummus, calumniator maximus, peſtis patriæ. Caluinus, veteratorius impoſtor, libidinoſus Apoſtata, Sodomitici criminis notâ infamis, lues Galliæ. Zvvinglius, ambitioſus buccinator, ſeditioſus ciuis, miles vaniſsimus, non ſunt hæc noſtra, ſunt veritatis, de Trium-viris iſtis, quorum acta ſuperſunt iudicia; ſunt clariſsimorum, an & cariſsimorum? Elogia.

Tigurini in Zvvingliana ſua confeſsione. *Liber hic Lutheri, tanta Diabolorum, atque ſelectiſſimorum, & à Chriſtiana fide cumprimis abhorrentium conuitiorum copia ſcatet; tanta verborum immodeſtia, fœditate, & impuritate turget, tanta denique iracundiæ, maledicentiæ, furoris, & inſaniæ impetu furit, vt quotquot illum legere dignantur, modo non ipſi quoque cum illo inſanire cœperunt, non ſine graui animorum ſtupore, infelix hoc & inauditum hactenus exemplum admirari cogantur.*

Edita An. 1545.

Liber Lutheri, qui inſcribitur Breuis confeſsio.

Ibidem folio 10. NEMINEM *vnquam mortalium Luthero vel fœdius, vel inciuilius, vel inhoneſtius, idque præter* OMNES *Chriſtianæ modeſtiæ, & ſobrietatis terminos in negotiis illibatæ Religionis noſtræ, & aliis magnis & arduis diſputationibus ſcripſiſſe.*

Item: *Diuinos Prophetas, Ioannem Baptiſtam, Apoſtolos electos, ac omnium horum Dominum, & caput* IESVM CHRISTVM *dicendi acrimonia & duris verbis vſos nonnunquam fatemur. Modum tamen in omnibus iſtis tenebant, Lutherus autem, Modum non ſeruat aliquem,* (ergo ſupra modum erat LVTHERVS Hyperbolicus) *ſed pleraque ſua ſcripta præter conuicia, & criminationes* NIHIL *fere aliud continent.*

Eraſmus libro decimooctauo epiſtolarum ad Lingonienſem Epiſcopum: *In dicteriis, in ſannis, in conuitiis, in ſalibus, quem non vincit* SCVRRAM, (*Lutherus?*) *Magno animo contemnit Cæſares & Pontifices, & ad leuiſſimorum, abiectiſſimorumque hominum ſuſurros, ſic debacchatur in quemlibet velut oblitus, quam agat fabulam, & quam perſonam induerit.*

Idem Tomo nono contra Expoſtulationem

Hutteni ſi mihi terque quaterque frater eſſet Lutherus, ſi doctrinam illius TOTAM probarem, non poſſem nõ vehementer improbare tantam in aſſeuerando peruicaciam, tam acerbam vbique paratam maledicentiam. Nec adhuc poſſum animo meo perſuadere Chriſti ſpiritum quo nihil mitius inhabitare pectus illud, vnde tanta ſcatet amarulentia.

Ioannis Caluini veriſsimum hoc circumfertur Elogium.

ANIMICIDA.

IOannes Caluinus Nouiodunenſis, Dei permiſsione inter noſtri temporis Theologos, per maiorem totius Europæ partem Quinti Euangelij propagator famoſiſsimus, Græcæ, Latinæ, & Gallicæ linguarum peritiſsimus: nec non Romanæ Eccleſiæ, & publicæ pacis, Religioniſque perturbator iniquiſsimus, ac Catholicorum templorum truculentiſsimus deuaſtator, & blaſphemus atrociſsimus. Craſsi etiam Theologi (vt illum appellat) Martini Lutheri doctrinæ & confeſsionis Auguſtanæ Repurgator, vel potius expurgator vigilantiſsimus: ac permiris ſuis in operibus mille artifex, priuatoque ſuo iudicio magis quam vniuerſali & vnanimi Chriſti Eccleſię conſenſui tribuens, poſtquam natus eſſet annos LV. menſes XI. dies XVII. glorians in malitia, potenſq; in iniquitate, ſine Crux, ſine Lux, ſine Deus, ex hoc migrauit ſeculo.

DISSERTATIO VLTIMA.

ASSESSORVM DE PSEVDOLI *ſupplicio anceps deliberatio*, IESVITARVM *pro* PSEVDOLO *interceſſio*.

Iudicis Sententia.

ALtercationi finem vt Iudex per præconem impoſuit, ſilentio indicto diſsidentibus, ad *ASSESSORES* ſuos conuerſus, liberè pronũciare iubet, quoſnam ſontes iudicarent, Ieſuitaſne, eorumque Patronum Oecumenium, an Proteſtantes, & ſuffragatorem Pſeudolum? de quo capite nulla fuit controuerſia, conſenſu cunctis in Pſeudolum pronunciantibus, quem vt mendaciſsimum, vaniſsimumque criminatorem, condemnandum plectendumque iudicarunt. At longè aliæ eoſdem diſtraxerunt curæ, poſtquam imperatum eſt, vt & ipſi de ſupplicio decernerent. Seceditur, dicuntur graues in caput Pſeudoli ſententiæ. Pœna capitali mulctandum qui opinabantur, multa de iniuriis ſcripto factis memorabant, quæque illis pœna legibus decreta eſſet. Producebatur inprimis Lex XII. Tabularum, quâ *frugem alterius aratro quæſitam nocte pauiſſe, vel infame carmen propoſuiſſe, capite luebatur.* Tunc Lex Valentis, & Valentiniani, à Theodoſio, Iuſtinianoque in Codicem relata, quæ ſic habet. *Si quis famoſum libellum ſiue domi, ſiue in publico, ſiue quocunque loco ignarus repererit, aut corrumpat prius, quam alter inueniat, aut nulli confiteatur inuentum, ſi verò non ſtatim eaſdem chartas, vel corruperit, vel igne conſumpſerit, ſed vim earum manifeſtauerit, ſciat ſe quaſi auctorem huius-* *l. Si quis, C. de famos. lib. libell.*

modi delicti CAPITALI *ſententiæ ſubiugandum: Sanè ſi quis deuotionis ſuæ, ac ſalutis publicæ deuotionem gerit, nomen ſuum profiteatur, & quæ per famoſum libellum perſequenda putauerit, ore proprio dicat, ita vt abſque trepidatione vlla accedat, ſciens quidem, quod ſi aſſertionibus ſuis vera fides fuerit opitulata laudem maximam, & procœmium à noſtra clementia conſequetur. ſin verò minimè hæc vera oſtenderit, pœna plectetur.*

Conſtare autem libellum Pſeudolo famoſum eſſe, in quo incredibili confidentia innocentum nomen traducitur, delationibus, nulla veri fide nixis, vt ſingulis articulis eſt demonſtratum. Grauiſsimam autem hanc pœnam merito decernendam, quod, vt Claudianus Iuriſconſultus rectè dixit: *Maleficiorum ſupplicia exacerbanda ſint, quando nimium multis perſonis graſſantibus exemplo eſt opus*, quod alius quoque Nomothetis probatum. Quis autem neſcit, ea licentia ſpargi dentatas noxiaſque has chartas, vt nulli ordini, conditioni ſexuſq; hominum, nulli loco, nullis cauſis parcatur. Eadem eſt Pſeudoli, quæ tot Sycophantarum per imperium clam volitantium, bonorumque famæ, dictis, ſcriptiſque ſceleratis inſidiantium cauſa: itaque quid in omnes ex Imperatoriis legibus decerni oporteat, huius ſupplicio declaretur. Addebant, antiquiſsimis temporibus Anaxandridem Poetam Comicum Rhodium, fame atque inedia mori coactum, quod licenter mendaci ſcommate bonorum exiſtimationem læſiſſe diceretur. Et nonne Sotades Cretenſis Phlyακῶν, id eſt, nugatium verſuum Poeta, quum de vno ſolo homine impudentius ſcripſiſſet, in [illegible] vaſe concluſus,

L. aut facta 16. 1. fina. de pœn L. capitalium §. ſolent. & §. graſſator. eod. L. 1. ad l. Iulia.

Oui. in Ib.

De Ptolomæo. Athæ. li. 14 c. 7.

cluſus, in mare demerſus eſt, vel vt alij volunt in carcere contabuit? Pattœcion infamis calumniator, quia mos illi erat bonis viris calumniam ſtruere, atque hoc tam fœdo quæſtu per arerem, comprehenſus conuictuſque pœnas dedit capite. Hinc quod de Pſeudolo dici verè poteſt, in prouerbium abiit πατlαικίων συκοφαντικώτερ@, Pattœcione calumniofior. Noſcis nos minus æquos non eſſe conuenit, apud quos, qui ſemel Principi eſt delatus morte, vel falſam luit calumniam. Qui mitius agendum arbitrabantur, cenſebant in primis Pſeudolum iniuriarum nomine teneri, nam qui libellum, carmen, aut hiſtoriam ad alicuius infamiam ſcripſerit, compoſuerit, ediderit, dolove malo fecerit, quo quid eorum fieret, eo titulo conuenitur: Deinde pœnam eſſe iniungendam, vt ſit inteſtabilis impoſterum, & nulla ei amplius, ſiue è ſuggeſto agreſtium multitudini concionanti, ſiue in Nationali Hollandorum Synodo comparenti, ſiue in Conſiſtorio coram deputatis Ordinum accuſato habeatur fides. Ita ob carmen famoſum condemnatur, neque teſtis eſſe poteſt, nec Teſtamentum condere, leg. ob carmen 21. de teſtibus, quod etiam ſtatutum eſt in eum, qui libello Principi dato, vel aliis, quanto magis publicè diuendito? aliquem infamet leg. item apud Labeonem 15. §. *Si quis libello.* de iniuriis, quanto magis, ſi honeſtiſsimum ordinem vniuerſum?

Plutar. in Pædago.

Alexan. Craginus in Moſcouia.

Lex his verbis concepta eſt: *Si quis librum ad infamiam alicuius pertinentem, ſcripſerit, compoſuerit, dolove malo fecerit, quo quid eorum*

L. lex Cor. nelia ſ. de iniuriis.

fieret, etiamſi alterius nomine ediderit, vel ſine nomine, vti de ea re agere liceret, etſi condemnatus ſit, qui id fecit, I N T E S T A B I L I S *ex lege eſſe iubetur.* Eadem pœna ex ſenatus conſulto tenetur etiam is, qui Epigrammata aliudve quid ſine Scriptura in notam aliquorum produxerit; item, qui emendum, vendendumve curauerit. Sed excipiebāt ſeueriores, hanc legem eſſe quidem antiquiorem, ſed legem Codicis à ſe recitatam poſteriorem, eamque renouare vetuſtiſsimam legem XII. Tabularum, quâ ſancitum, *ne quis maledicum in quenquam ſcriptum ederet, aut vltimo ſupplicio plecteretur,* vt auctor eſt Cic. de Repub. & 4. Tuſc. Pœnas autem ſecundum poſteriores leges infligi debere, Poſteriorum enim eſt, priores antiquare, aut firmare, & adprobant Iuriſperiti illud ſuis Modeſtini, αἱ μεταγενέστεραι διατάξεις ἰσχυρότεραι τῶν πρὸ αὐτῶν εἰσιν, *Poſteriores conſtitutiones, fortiores ſunt prioribus.*

L. 4. de Conſtitut. Princip.

Aliis conſultius viſum, mediam ſententiam ſequi, qui mitioribus æquè, ac ſeueris illis probanda videbatur. Itaque à Lacertoſis duobus virgatoribus Pſeudolum ſub furca flagellandum iudicabant, & Ius Pontificium fauet, quo qui in alterius iniuriam & famam Scripturam, aut verba contumelioſa confinxerit, & compertus Scripturam non improbauerit, flagellatur.

c. 1. 5. q. 1.

Teterrimo carceri mancipandum Pſeudolum, vt in eo cum vmbris luctaretur, aiebat nō nemo, poſt ablatam à viatore, mulctæ nomine librariā omnem ſupellectilem. Profecto plauſum is meruit, poſtquam inuictiſsimi Cæſaris Caroli V. facta eſt mentio, quo imperante comitiis habitis Auguſtæ Vindelicorum Anno M. D. X L V I I I. inhibiti ſunt libelli maledici,

picturæ,

picturæ, ficturæ, Scripturæ, paſquilli, & alia, quę in alterius infamiam fiunt, conſtituta pœna carceris, & mulcta, neve Typographi ſub eadem pœna, & officij Typographici ademptione audeant iſtiuſmodi ſcripta prelo committere & excudere.

Quod Decretum reſpexiſſe videntur, & optaſſe innouari Anno M. DC. XIII. in Comitiis Ratisbonenſibus Principes illi & Ordines Orthodoxi, qui animaduertentes incredibilẽ eſſe Miniſtrorum Proteſtantium ore ac ſcripto calumniandi Pontificios libidinem, grauaminibus ſuis Cæſareæ Maieſtati etiam hæc inſeruęrunt: videri omnes in Religionis Catholicæ perniciem conſpiraſſe. Calumniandi autem & criminandi licentiam adęo in ſuggeſtis Proteſtantium iam inualuiſſe, vt nec Romanum Pontificem longè melius de ipſis, & vniuerſo Imperio vel proximo Hungarici belli tempore promeritum, conuitiis proſcindere dubitent. De Catholicis Principibus quid fiat, & quomodo non ipſi ſolum, ſed & Auguſtanam Confeſſionem profeſsi ſtatus alij pacifica cum Catholicis cupientes traducantur paſsim *FAMOSISQVE LIBELLIS* dehoneſtentur, operæ pretium non eſſe prolixè demonſtretur. Sperare tamen Cæſarem aliquando de legitimis & licentiam iſtam compeſcendi, & concordiam in imperio conſeruandi mediis cogitaturum. *Artus in Chronic.*

Porro Typographi nomen lege Cæſaris Expreſſum incitauit quenquam, qui dixit conuenientem flagitio pœnam videri, quam ſenatus Regij decreto Pariſiis ante paucos annos ſubiit Ioannes Antonius Ioualinus Bibliopola Caluinianus, qui libellum, cui titulus, Anticonus, cætera Anonymum, in quo *IESVITAE* à Calui-

niſtis apud vulgus mendaciter traducebantur, per vrbem ſparſerat. Et quoniam commodum in Epimeridem verba ipſa coniecerat, ea iubente Iudice recitauit, ſuntque digna, quæ non vno legantur loco: ſunt autem hæc ipſa.

Dictum habebitur ex Conſilij ſententia, audito ſuper hac cauſa, Procuratore regio, quod ad reparationem eorum caſuum, qui fuſius in ipſo litis inſtrumento continentur, Ioannes Antonius Ioualinus damnatus eſt, ipſumque damnamus ad mulctam honorariam foro faciendam, ipſo die, fori, quum forum agetur, vbi nudato præter indaſium corpore, apertoque capite, flexis genibus, ſuſpenſa è collo reſte, ac facem pondo duarum librarum manu geſtans, alta voce, vt exaudiri poſſit, renunciabit, quod ſceleſtè & malitioſè per diuerſa huius vrbis loca proiecerit, & ſparſerit folia, ſeu chartas impreſſas extractas ex libro quodam pernicioſo & maligno, qui Anticotonus inſcribitur, ad turbandam quietem publicam, excitandas turbas, & ſeditionem in hac ciuitate mouendam compoſito, quod fuſius habetur in inſtrumento litis. Cuius facti petet à D E O, R E G E, *& Iuſtitia veniam. In ipſius autem præſentia, prædicta folia, ſeu chartæ frangentur, & dilacerabuntur. Inhibemus autem illi, & interdicimus, ſub pœna capitis: ne ſimile quid committat impoſterum. Ceterum ad quinque integros annos Regni Galliæ exilio illum mulctauimus, & mulctamus.*

Hoc ergo ſchemate ſubiungebat Aſſeſſor, per populoſiſsimas Batauiæ ciuitates, præcone, & tibicinibus præcinentibus deducendum iudico Pſeudolum, & annos integros quinque in eam inſulam relegandum, vbi viuos homines mortui incurſant boues, ita ſentio.

Non defuit, qui ex Caroli Quinti Conſtitutione pronunciandum diceret: Ea infamantem eidem ſupplicio ſubiicit, quod mereretur diffamatus libello, ſi eius criminis reus, quo accuſatur, peractus eſſet. Itaque interrogandum Sacramenti Religione adductum Pſeudolum, qua pœnâ plectendos exiſtimaret *IESVITAS*, ſi tantæ prodigalitatis mendaciorum, calumniarumque conuinceretur, & ex ore ſuo iudicandum, nihil mitius æquiuſve fingi poſſe.

Variantibus in hunc modum ſententiis multas horas ea deliberatio tenuit; quo tẽpore Pſeudolus cuticulæ metuens, huc illuc concurſans prenſabat auditores, orabatque vt intercederent, inuentus eſt autem nemo qui depoſitam hominis perditi cauſam ſubleuare dignaretur, aut verbo gratiam poſcere, præter læſos. Hi & noxam ſe omnes condonare dixerunt ſponte, & nolle vt ſuâ cauſâ durius quid ſtatuatur in accuſatorem, qui ſi ad ſaniora conſilia reducatur, ſatisfactum ſibi abundè teſtabantur ex animo, illud etiam adferebant, vt Iudicis acerbitatem mitigarent videri, dum dixit, ſcriptiſque Pſeudolus, fuiſſe quod in Batauis certis temporibus quibuſdam accidit, emotæ plane mentis, & maniā à ſenſibus alienatum, nec enim fieri poſſe, vt homo niſi omnino delirus, ea quæ Pſeudolus, effutiat. Mouit à DEODATVM iudicem, nõ tam excuſatio, quam Patrum æquitas, quos quia inſtantiſsimè ſupplicium à Pſeudolo auertere conari animaduertebat, ne in leges ſuâ conniuentiâ condonationeque committeret, & dum ſeuerus eſſe vult, audiret crudelis, ſententiam

ſelenſ-

ſe leniſsimam laturum, æquam tamen, & facinori Patrumq; interceſsioni accomodatam edixit, quam concepit, & paulo poſt è tabella recitauit in hunc modum:

Quandoquidem tu M. Grunni Pſeudole, NEQVE LEGES ROMANAS, NEQVE IVS GENTIVM, NEQVE DEO ASSISTRICEM IVSTITIAM VERITVS, ADVERSVS INNOCENTIAM LAXATA LINGVA, VIBRASTI STILVM, ET DE PRODIGALITATE HOMINES TEMPERATOS, DE VANITATE MODESTOS, DE MENDACIIS VERACES. LIBELLO INFAMI CALVMNIOSE ES CRIMINATVS. ET QVANTVM IN TE FVIT, SOCIETATIS HVMANAE VINCVLVM, QVA NEXA AD HANC DIEM BONORVM DOCTORVMQVE STETIT RESP. SOLVISTI, VT AVT MVNERIS MEI OBLIVISCENDVM SIT, aut innocentiæ patrocinandum, te maledicentiſſimum Calumniatorem pronuncio, capitali pœna ex 12. tabularum præſcripto, & legibus, quas magni Cæſares condiderunt, dignum. Sed quoniam interceſſerunt, quos læſiſti, Patres, nec damnaturi iurant amplius, ſe nihil gratiæ, nihil precibus daturos quod mitiſſimum ſentio, amplector. Itaque

taque poſtquam infamium chartarum partem vnam, in qua pueris ludibrium debes Ridiculus, ad pigmentariorum officinas vt thuris piperiſque ſit cucullus, præco. alteram, in qua cloaſinæ myſten agis, homo-ſtercoreus inficetiſsimis contumeliis, ad phyſconis Olenti cetum, aut Batauorum foricas, ne alio peniculo ſit opus, lictor; tertiam, quæ augiæ eſt ſtabulum, errorum, hæreſum Sycophantiæ ſordibus contaminatiſſimam Vulcano infælicibus vſtulandam flammis carnifex tranſmiſerit. IVBEO, vt quaſi in libro, quum ſcripſiſti calamo literas ſtilis te totum vlmeis conſcribant Brutii. Sic bellè dictum, vt ne periſtomata quidem æquè picta ſint campanica, neque Alexandrina belluata conchyliata tapetia, tum ſtatuaris, vbi gulam reſtis inſidiatoribus frangit in gabato. Hinc deductus pompaticè, verticea corona radians, ad tibi deſtinatū ducaris hoſpitium, caulam Saginariam, vbi dum Spiritus Petulcos reget artus, ab omni ſcriptione ſemotus, hircos cotidie mulgeas, cribum Alternatium donec impleatur, prædicantibus, quibus libellus dedicatus, ſupponentibus. Ita lictor exequere.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, ſicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum Amen.

Digitized by Google